



LUDOVICI SERGARDII ANTEHAC Q. SECTANI SATYRÆ

Argumentis, Scholiis, Enarrationibus illustratæ, Trinis autem Voluminibus dispertitæ.

VOL. III.





LUCÆ MDCCLXXXIII

Typis Francisci Bonsignorj
Utraque Permittente Potestate.

B. Nerici Luc. sc.

LUDOVICI SERGARDII

ANTEHAC

Q. SECTANI

SATYRARUM LIBER III.

SATYRÆ XIV.

ARGUMENTUM.

QUo tempore Curia Innocentiana in monte Citatorio magnifice exstruebatur, prodiit hæc satyra; quæ iccirco in Innocentii XII. P. M. laudibus effunditur. Judicia, leges, universæque Curiæ mores ab justissimo Principe moderatos emendatosque describit. Laudato deinde portorii terrestris ædificio, sternendarum rationem viarum Ædilibus proponit. Effrenatam aurigarum licentiam, & funera passim ab illis patrata graviter insectatur, non sine procerum censura, qui maxima impensa & exquisito luxu equos in stabulis nutriunt. Libero quoque calamo nobilium stultitiam damnat, qui hebræorum familiaritate utuntur, eosque fovent, reique domesticæ præficiunt. Musicæ demum libidinem e romana orchestra expellere conatus, fœtidos eviratorum mo-

mores undique profligat. Multiplex argumentum eodem ſcribendi robore, felicitate, ac nitore continuatum habes.

SA-

SATYRA XIV.

ROma domus fiet, ſed quæ migrare Quirites
Non cogit Vejos. Ingenti Curia tecto
Naſcitur, & centum late ſpectanda feneſtris
Informes ſenio lucrique cupidine leges

1 *Roma*] Diviſa per totam Urbem romana Curia, nullum erat forum, ubi cauſſæ agitarentur: quare miſeri clientes cauſarumque patroni ſingulos adire judices, longis ſæpe lutulentiſque itineribus, cogebantur. Publicum ut incommodum tolleret providentiſſimus *Innocentius XII.* palatium in monte *Citorio* a gente *Ludoviſia* inchoatum regio quo erat animo perfici juſſit, *Carolo Fontana* architecto, in eoque ædes Judicibus & ſubſellia ſtabiliri. Amplum ſane ædificium & antiquis romanorum molibus haud impar, ſatyræ exordium deſumendi occaſionem obtulit a notiſſimo incerti auctoris ſcommate in Neronianam domum, *tranſitoriam* ab eo Imperatore dictam, mox *auream*, quæ magnam Urbis partem a palatio ad exquilias occuparat: = *Roma domus fiet: Vejos migrate, Quirites:* = *Si non & Vejos occupat iſta domus.* = Statim vero ſe corrigendo invidiam diluit: Curiæ ſiquidem amplitudine cogi negat quirites Vejos aut alio migrare.

3 *naſcitur*] Uno verbo operis celeritatem demonſtrat: tanta enim moles tam brevi tempore naſci propemodum viſa eſt & adoleſcere; ut æque illi conveniat quod de thermis Antoninianis: = ... *celeres thermas, velocia munera thermas.* = *centum*] Non ad pompam pro indefinito numero, quod ſolent poetæ; ſed centum revera in ſola Curiæ fronte patent feneſtræ.

4 *informes*] Leges municipales tractu temporis contemnuntur, unde potiſſimum eſt mala reip. adminiſtratio. Hoc itaque forum ve-

Excipit alta ſinu; ſordeſque abſtergere frontis
Imperioſa jubet. Non roſtra avulſa carinis,
Agrippæ monumenta ducis, nec poſtibus altis
Ænea ter victi pendent ſimulacra Tyranni:
Sed titulis magnas imples melioribus ædes,
Sancte Pater, communis amor, noſtrique cadentis
Votum ævi. O utinam longos manſura per annos
Tegula ſollicitos defendat ab imbre clientes,
Conſervetque tuum de nomine Curia nomen.

Ite

veteres ſanctiones non modo pæne tempore deletas, ſed avaritia etiam judicantium corruptas & deformatas revocat, ſinu excipit ac fovet, ſordeſque in fronte, nobiliori videlicet parte, contractas abluere jubet.

6 *non roſtra*] Sublimibus hujus Curiæ poſtibus non pendent navium roſtra, ſicuti olim vel in foro romano, vel in ædibus *M. Agrippæ*, monumentum, aut *Sext. Pompeji* in ſiculo mari piraticam exercentis ab eo navali prælio victi, aut Actiacæ pugnæ, quam cum *Auguſto* ſocero ſuo contra *M. Antonium*, & Ægypti reginam *Cleopatram*, ſtrenue pugnavit. *ænea*] Statua *Mithridatis* Ponti regis ex ære conflata, qui tribus cladibus a ſingulari romanorum virtute affectus tandem propinato veneno fato ceſſit.

9 *ſed titulis*] Vere ſplendidioribus titulis, quam ſtatuæ ſint & roſtra, hanc Curiam ornavit optimus Princeps, qui legum ſanctitatem, juſtitiæ præcepta, morum diſciplinam, ceteraſque virtutes romano judice dignas, non tam imperio, quam exemplo, revocavit.

11 *o utinam*] Votum *Sectani*, qui æternitatem huic ædificio auguratur, ut miſerrimi clientes, non ut antea defatigati, fortunas ſuas tueri, atque juris remedio vindicare poſſint.

13 *conſervetque*] Hæc Curia merito *Innocentiana* appellatur; & perpetuo ut appelletur optat *Sectanus*, uti olim *Trajana* & *Antoni-*

ni-

Ite procul, socii rixarum, atque aure minores
Causidici, juris probrum gentisque togatæ,
Qui capitolinæ subsellia rumpitis aulæ,
Et fora dimidiis tantum lustrata lacernis.
Tuque, Bion, secede domo, qui cassus utraque
Auricula sacrata fricas monumenta virorum,

nina, ceteraque Urbis fora a suo quodque auctore nuncupabantur.

4 *ite procul*] Hinc longius abire jubet sordidos Rabulas, ineptosque Causidicos, qui potius formularum tricis, jurgiisque, sæpe & mendaciis, incumbunt, quam veræ jurisprudentiæ, caussarumque patrocinio: atque inde caussa *Petrarchio* fuit (*Canz. del piato di Amore*) cur juris disciplinam dixerit artem. = *Di vender parolette, anzi menzogne* = [*aure minores*] Hujusmodi Rabulæ vulgo Romæ appellantur *Mozzorecchia*, desumpto adagio, seu quia ipsi captiosis verbis & petulanti clamore judicis aures obtundunt; seu quia cum causas agere soleant fronte perfricta, auribus mutilati & quasi stigmate inusti communi opinione censeantur. Servi enim & plagiarii, qui hac infamiæ nota signabantur, præ cæteris audaces insolentesque.

16 *qui capitolinæ*] Forum capitolinum, licet majestate loci & nominis celebritate cetera Urbis subsellia antecedere deberet, nescio tamen quo fato a rabulis patronisque ultimæ notæ frequentatur.

17 *& fora*] Adsunt in Urbe judices quamplurimi causis cognoscendis præpositi, quos nostri *Mozzorecchia*, nunquam toga usque ad talos demissa adire solent, ut mos est, exigitque majorum tribunalium reverentia. *dimidiis*] nos: *mezzi mantelletti*.

18 *tuque, Bion*] Togatuli isti, ut diximus, *Mozzorecchia* singulari numero appellantur. Philodemus vero utraque aure diminutus in scenam producitur, idest perfrictissimus.

19 *sacrata fricas*] Philodemus Leguleiorum princeps commentarium in lucem edidit de *origine juris*, desumptis (ut nonnulli judicarunt) sibique adscitis integris doctorum virorum paginis; & cele-

Hiſtoriamque tuo formoſam polluis ore.
Sanctius hic puteal præſenti Principe legum
Archetypo. Nitet hic deterſo pulvere codex
Publicus, & feſſis chirographa pendula filis
Reſpirant meliorem animam. Scutulatus ubique
In-

lebriorum ICtorum ſeriem deſcripſit. Dicitur autem *fricare* monumenta, quod res ab aliis erudite tractatas & expoſitas ipſe caligine potius involvat, quam exponat.

20 *polluis ore*] Juris ſeriem nitidiſſimam *ore polluiſſe* credo *Philodemum*, quia verbis parum aptis illam edidiſſe aliquibus viſum eſt; ſeu verius quia, recitando coram amicis libellum, inſuavi ac ridicula pronunciatione, calabri gutturis vitio, hiſtoriam ipſam fœdavit; ſeu potius, quia ipſi fœteret anima.

21 *puteal*] Veteribus erat vel tribunal, vel locus, ubi prætoris tribunal, aut ſubſellium judicis juri dicundo poſitum. Vid. *enarrat.* Noſtra autem ſubſellia dicuntur ſanctiora, quod Pontifex Maximus, legum canonumque parens, hanc ſæpe Curiam inviſere dignatus ſit, ſuaque præſentia honeſtare. Quare Rabulis, præſertim vero *Philodemo*, ab hoc loco exſilium indicitur.

22 *archetypo*] De optimo juſtiſſimoque Principe, qualis erat *Innocentius*, quid præclarius, quam quod optimarum quarumcunque legum ſit archetypus (*originale*), in quo quicquid integri ſanctique moris, non modo præcipi, ſed eſſe unquam poſſit, quaſi vivere videas? Quotieſcumque unus ejuſmodi aliquis regnat, illud fit, quod trito eſt in proverbio = *Regis ad exemplum totus componitur orbis*. = [*codex publicus*] Codices, in quos acta litigantium publica referri ſolent, antequam forum *Innocentianum* conſtrueretur, ſitu ac pulvere deformes, nunc vero, deterſis ſordibus & ſqualore, nitent.

23 *chirographa*] Scripturæ autographæ acu trajectæ & in faſciculos compoſitæ filo ſuſpenduntur, ea diligentia & ordine, ut quælibet illarum data occaſione facillime reperiri poſſit.

24 *reſpirant*] Antea in caveis prope-

Intranti paries blanditur; & acta recenſet
Scriba lacernatus, gemino cui faſcia limbo
Serica deſcendit tergo, taloſque flagellat.
His tamen abſtineo, quamvis plena omnia grandi
Numine, & immenſo tendat ſe machina tigno,
Arcubus invidiæ latiiſque futura columnis.
Illud præcipue miramur, ſplendida facta
Vincere te factis majoribus. Addere cælo
Culmina, & auguſtæ ſuperare palatia Romæ

pemodum cryptiſque ſervabantur ſcripturæ muribus & ſcarabeis opportunæ, nunc vero benigna luce afflatæ quaſi reſpirare videntur. *ſcutulatus*] In hac Curia *Notariorum* manſiones pellibus auro oblitis, varioque emblemate depictis, & ſcutis auxilio formarum expreſſis, undique ornantur: unde *ſcutulatus* dicitur paries, oculiſque negociorum cauſa ſubeuntium blandiri.

26 *lacernatus*] Curiæ hujus decori conſulturus *Innocentius XII. Notarios* peculiari veſte indutos illic reſidere juſſit. *faſcia*] Deſcribitur ea veſtis, nempe talaris, a cujus ſummitate poſt tergum duæ faſciæ æquali ſpatio diſtantes ac pari longitudine ad talos uſque deſcendunt, eoſque limbo percutiunt, quoties ſic induti perambulant: bene autem hetruſca voce alicubi a verbo *battere* dicuntur *battole*.

29 *immenſo*] A magnitudine ædificii immenſum dicitur *tignum*, quaſi metiri non poſſis. Ab his vero laudibus, licet merito conveniant egregio operi, quod antiqua romanorum monumenta, quales arcus & columnæ *antonina* & *trajana* &c. æquavit, ſe abſtinere proponit *Sectanus*, quia Principis Sanctiſſimi virtus gloriæ illecebris non tangitur.

31 *ſplendida*] Splendidi hujus ædificii famam majoribus factis quaſi obſcurare videtur.

Mente tua minus eſt opus, & quo creſcere faſtos
Ipſe vetas. Videant feri ſtupeantque nepotes
Interdicta foro turpis contagia quæſtus,
Juraque laxatas moderari provida habenas.
Scilicet exigui quamvis ſpes macra lucelli
Porticibus volitare tuis non audet, & ipſa
Acta dolore fugit mellitum ſportula nomen.
Exſulet hinc aurum, nec circum pulpita vultus
Erigat argentum. Periit decus omne metalli
Flexanimi, & caſus jam ſerva pecunia plorat.
Proh pudor! ante ipſum quondam gallina tribunal

Stri-

34 *minus*] Minus enim eſt ingentem molem a fundamentis excitare, quam mente concipere tot ſalutaria inſtituta, quibus Curiam ſuam ab omni judiciorum corruptela immunem eſſe juſſit.

36 *interdicta*] Sportularum quæſtus in ferendis ſententiis judicibus interdictus, qua de re *ſat.* 10. 30.

37. *laxatas*] Leges, quæ temporis diuturnitate robur amiſerant, iterum reviviſcunt, & habenæ longo uſu, ſive abuſu, laxatæ moderari dicuntur.

38 *ſpes macra*] Ab hac Curia non modo eliminavit *Innocentius* ingentes clientum ſumptus; quibus judicum animi poterant deliniri, & corrumpi, ſed etiam munuſcula.

40 *ſportula*] de qua voce alibi. Dicitur ſportula *mellitum nomen*, quia omne lucrum quaſi mel ſapit guſtanti.

42 *periit*] Maxima Principis gloria, quod in ejus regno aurum vires ſuas amiſerit, & pecunia, quæ ubique vires & imperium, quaſi domina gentium exercet, ad ſervitutem fuerit redacta.

44 *gallina*] Pauperes clientes ad demulcendum judicis animum, cum aliud non haberent, altilia donare conſueverant: quare (quod *Sectano* turpiſſimum indigniſſimumque videtur, ut honeſto cui-
tun-

Stridebat devincta pedes, mulliqúe natabant
Barbati, caufamque tenerrimus hædus agebat.
At nunc muneribus nulla eft reverentia: pauper
Ac dives folo diftabunt nomine; nec jus
Accrefcet nummis. Popano corruptus iniquus
Non fignat tabulas judex; aut lactibus uncta
Fæcofoque garo prodit fententia labro;
Nec mixtas crudo mutat petafone rubricas

Tur-

cunque homini videri debet) ante ipfum tribunal gallinæ crocitare audiebantur. Vides hic quam poetice omnia.

45 *mullique*] Idem cogites de pifcibus, qui forfan vivi in aliqua concha aqua plena offerebantur, ideoque *natare* dicuntur. *Mullus* pifcis genus romanis in pretio, maxime fi gemina barba inferiori labro infigniretur. Quare Cic. *ad Attic.* = *noftri autem Principes digito fe putant cœlum attingere, fi mulli barbati in pifcinis funt.*

46 *hædus*] Si pinguis, & nondum attigiffet herbam, optimus caufæ patronus: qui tenero balatu juris nodos, & gloffæ afperitatem molliret.

47 *pauper*] Durum nimis fuit olim pauperibus ac difficile judicem adire: nunc vero cum divitibus ex æquo accedunt, foloque nomine diftinguuntur.

49 *popano*] Genus placentæ tenuis latæ ac rotundæ, qua ægyptii deam Ifidem colebant, hic placandis judicibus oblatum, quafi diis fortunarum noftrarum arbitris, a *Scctano* inducitur. Eft autem pro quocunque cibario munere.

50 *lactibus*] Pingui inemptoque butyro faturatus judex unctam ferebat fententiam, ideft illius commodo, qui lactantia obtulerat.

51 *garo*] Garum (de quo *fat.* 5. *enarr.* 221.) liquamen pifcium faxatillum & minutorum, olim in deliciis apud romanos, *nobile* dictum a Marciale, a Seneca vero *pretiofa fanies tabefque falfa.*

Turbidus ædilis. Quamvis mihi villica, fuso
Deposito, nullas decerpat ab arbore ficus,
Nullus & hungarico princeps ocreatus in auro
Pelliculam tendat; totos dictare libellos
Et mihi fas, nec jura vetor deducere in ipso
Limine judicii. Felicia sæcula, quando
Cum Licino magnoque potes concurrere Crasso;

Nec

53 *turbidus*] judex superbus, tumidus, fastidiosus, petasone oblato, non mutat leges. *mihi villica*] Sunt verba pauperis, qui licet fundum suburbanum non habeat, ubi villici uxor ficus aliaque poma colligere possit, eaque dono dare, causas tamen promovere non diffidit.

55 *hungarico*] aureus nummus, vulgo *ungaro*, in Pannoniis cudi solitus, a quibus nomen accepit. In eo imago Principis, cum ocreis (*stivalato*), ac reliqua armatura, stantis ut plurimum exprimitur.

56 *pelliculam*] h. e. loculum seu crumenam ex pelle, quam implere & tendere aureis ejusmodi nummis difficile præsertim pauperi miseroque clienti. Sensus igitur est: quamvis quod donem non habeam, pecuniaque caream; licet mihi tamen ad judicem accedere eique prorsus, quod petam, exponere. *libellos*] Libellus in limine, h. e. principio, judicii conficitur, in quo actor mentem suam explicat. Ante *Curiam Innocentianam* pauperibus non permittebatur integros libellos exarare, totamque petitionis seriem producere: favor enim & gratia judicis erga divites nimium invaluerat.

58 *limine*] Quandoque etiam hujusmodi pauperum libelli, tanquam futiles & calumniosi repellebantur, ut nec suas experiri miseris rationes daretur.

59 *Licino*] Cum vel ditissimis. Nam *Licinus* apud romanos opulentissimus; uti & *Crassus*, qui divitem esse quemquam negabat, nisi totum exercitum suis sumptibus per annum alere posset.

Nec minor in lacero fupereft fiducia panno;
Aut trepidare reos diffuta fubucula cogit.
Olim crimen erat mercedem pofcere longi
Servitii, & proceres interpellare fuperbos:
Nam lacrymas gemitufque pios juftafque querelas
Damnabat prætor veluti perjuria, fi non
Beryllus digito, vel lato fpira galero
Aurea fulfiffet, fi non umbella præiret,

Et

60 *lacero*] Si quis lacero pannofoque amictu judicem adibat, nullius omnino facundiæ, immo loquendi prorfus ignarus videbatur.

61 *aut trepidare*] In judicio criminali, ubi fatali quodam infortunio viles plurimum de plebe homines & agreftes fifti videmus, quoties aliquis in quæftionem rapitur, pallere incipit plerunque ac trepidare, non fceleris confcientia, fed fuarum fordium lacerique amictus afpectu.

62 *olim*] Temporum fævitiam demonftrat, quibus famuli, artifices, aliique mercenarii mercedem fuæ debitam operæ pofcere perinde erat ac crimen patrare: tanta ab judicibus procerum potentiæ ratio habebatur.

65 *perjuria*] Querelæ ac lacrymæ ftipendium repetentium atque jurejurando fibi debitam affirmantium, veluti perjuria rejiciebantur.

66 *beryllus*] Judex pronas aures non præbere nifi iis folebat, qui romanorum equitum nobilitatifque infigne aliquod haberent, qualis eft pretiofus annulus: nam annulus *berylli* nomine defignatus non modo antiquitus erat equeftris ordinis telfera, fed etiam hodie nobilitatem oftendit, dummodo tamen pretiofus: ufus enim annulorum & infimæ plebi communis. *fpira*] aurea zonula pileo circumacta.

67 *umbella*] Proceribus per Urbem incedentibus præcedit famulus cum ferica umbella theca inclufa; quam explicat, ut dominum ab imbre aut fole e rheda defcendentem defendat.

Et ſenior famulus dictaret nomina; ſive
Pallidus adſtaret de nobilitate comeſa,
Qui lentas queritur nimium diſtare calendas,
Et tribus exoptat menſem jugulare diebus.
Vincimus & miſeri; nec plebiſcita ſevera
Semper, & averſam patimur gloſſamque malignam
Pauperibus. Biſſenæ aliquid ſanxere tabellæ,

Nos

68 *& ſenior*] Optimatum lateri ſenior familiæ ſervilis (quem *decanum* appellant,) aſſidue ſolet adhærere, longo experimento callidus homo, & quarumcunque perſonarum gnarus. Hujus officium eſt nomina & cognomina, conditionem quoque occurrentium per Urbem Domino renuntiare, ut parare poſſit ſalutationes ad urbanitatis leges atque aulæ modulos concinnatas, hoc eſt magis minuſve pronas ac liberales.

69 *pallidus*] Præcipuum viri principis eſt argumentum ſuos inter familiares adſciſcere ex honeſta nobilique familia natos. Hoſce *Sectanus* vocat *pallidos*, quia conſumptis opibus, coguntur ſe procerum ſervitio addicere, mutaque forte nequeunt exigua mercede laute vivere: unde pallor & macies. *comeſa*] Juv. *ſat.* 1. 34.

70 *lentas*] Sub cujuslibet menſis exitum domus præfectus ſalarium perſolvit: quare macri iſti aulici *calendarii* lætam diem tarde nimium adventare conqueruntur.

71 *& tribus*] Menſes triginta, vel uno ſupra triginta, diebus continentur: iſti vero aulici, ut citius mercedem exigant, ſingulos menſes conſtare cupiunt viginti & octo diebus, quemadmodum ſolus februarius, & ſic demere, perdere & jugulare tres dies.

72 *vincimus*] Vox pauperum lætitia geſtientium, quod & ipſi æque ac divites in judiciis ſtare jam poſſint, ſuaque jura tueri. *plebiſcita*] hic ſententias, decreta dura, & adverſa.

73 *gloſſamque*] Si forte aliquis e plebe ſtatutum legemque aliquam afferebat ſibi faventem, ſemper obſtabat *gloſſa*, ſive cavillatrix legis interpretatio, quominus cauſſa non caderet.

74 *biſſenæ*] Idem de legibus XII. tabularum; quibus nunquam pro pau-

Nos quoque quod foveat, nec Clementina repugnat.
Quid memorem ferro lacerataque dentibus ævi
Marmora, & emeritas juſſas vigilare columnas,
Innitique ſolo, domus ut quæſtoria ſurgat,
Imperii tutela potens validique lacerti?
Advena jam ſtupidus vectigal pendit, & urbes
Finitimæ gaudent pulchro debere theatro
Annonæ decimas. Res olim inviſa tributum

Fit

pauperis cauſa convenire poterat *canonicus* textus. (nam *clementina* ponitur pro toto *canonico* jure, & leges XII. tabular. pro *civili*.) Nunc vero Optimi Principis beneficio factum eſt, ut æqua lance juſtitia adminiſtretur, & leges idem pro optimatibus ſtatuant ac pro pauperibus: quod in ſummum reipublicæ bonum cedere nemo eſt quin videat & gratuletur.

76 *quid memorem*] A Curia Innocentiana tranſit ad ædificium Portorii terreſtris (*Dogana di terra*) ſumptuoſis ſubſtructionibus excitatum. *laceratàque*] *Antonini Pii* baſilica partim hominum partim temporis injuriis deformata, ac penitus collapſa, novo opere ſuffulta, adjectiſque conſpicuis lateribus, ejuſmodi officio deſtinatur.

77 *emeritas*] Columnas marmoreas ſtriatas immenſæ magnitudinis, quæ Portorii &c. fronti adhærent, *emeritas* ingenioſe eleganterque dicit: æquum enim videbatur, moles illas, tot ſæculorum opera *antoninianæ baſilicæ* præſtita, jam ſenio confectas ab onere dimittere.

79 *lacerti*] Vectigalia ſunt Principis redditus, qui bene *lacerti*, ſeu *nervi*: quod ſine iis ægre imperium ſuſtentetur.

80 *advena*] Pulchritudine & magnificentia ædificii Romam venientes capti, ipſique pontificiæ ditionis populi vectigalia libentiſſime ſolvunt.

81 *theatro*] quod quaſi theatri ſpeciem referat.

82 *res olim*, Pulcherrima adulatio: ignoſcendum tamen ſatyrico, qui bene novit, veram laudem infimo

Fit desiderium populis, animique voluptas:
Nam dum decrescunt loculi, pascuntur avara
Lumina, & obtutus compensat fœnore damnum.
Sed neque prætercam silices splendere coactos,
Ædilesque novos, & qui civilia dixit
Bella luto, atque alacer quacunque in parte laborat
Aggeribus trabibusque; parum quæ tibia laudat,

Et

mo etiam de plebe homuncioni interdum posse contingere, adulationem vero solis Principibus. Ceterum qui non beneficentissimo *Innocentio* quamlibenter tributa solvisset, qui & æquissima imponeret, & tantam pecuniæ vim publica in opera publicumque in commodum quotidie erogaret? Vectigalia, si sint incruenta, iniquo animo non solvit nisi qui sit iniquus.

84 *avara*] cupida.

85 *sed neque*] Ab ædificio Portorii transit ad Urbis vias. Nam *Innocentius* novos creavit Ædiles, statutisque legibus jussit diligentius civitatis munditiem curare. Verum hac de re ut facile est Romæ edicta promulgare, ita & negligere. In Urbe enim totius orbis regina viarum identidem fœditas vere insignis.

87 *& qui*] Viarum præfectum seu curatorem intelligas, qui alacri quo erat ingenio quisquiliis & cœno quasi bellum indixit: quod quidem bellum per hosce dies, PIO VI. regnante P. M. Joan. Petrum *Bussium De-pretis*, post præturas extra Urbem optime gestas, diligentissimum viarum Urbis curatorem strenue instaurasse audio.

89 *trabibusque*] Quoties sternuntur viæ, ab utroque capite figuntur trabes, ne fabri lapidarii prætereuntium transitu ab opere impediantur; seu potius ne calcatis lapidibus, antequam obdurata calce conglutinentur, opera & impensa perdatur. *parum*] Trabes ejusmodi contique (*mariani* jam dicti a *Mariano Vecchiarellio* olim viarum magistro) diu nimis humi defixi aliquando relin-

quun-

Et longum in triviis hærent inviſa caballis.
Atque utinam lati, quibus appia longa redundat,
Effoſſi lapides terra cœnoque ſepulti
Romuleas ornent fabra virtute plateas,
Denſatoque ſolo fulva ſtipentur arena.
Quid vanos ſumptus, & tot cæmenta quotannis
Perdimus, ut fruſtis ſordeſcat ſtrata minutis
Flaminia, & fundi domino nec penſio tota

Suf-

quuntur; ita ut homines noctu illis tibias impingant, rhedarii vero equi retrocedere cogantur longioremque ambitum explere: ideoque parum laudati & inviſi dicuntur.

91 *atque utinam*] Appia via ab *Appio Claudio* Coſ. conſtrui cœpta, poſtque immenſo ſumptu ſervorumque opere Brunduſium uſque perducta, præ aliis longior, unde dictum: = *Appia longarum teritur regina viarum*. = Hæc latis altiſque ſtrata lapidibus, inter cætera romanæ magnificentiæ monumenta, reipublicæ potentiam intuentium oculis ingerit. Verum diuturnitate temporis paſſim disjecta ac vaſtata, terraque obruta, vix aliquibus locis apparent tanti operis veſtigia. His igitur lapidibus, vetuſtate ſepultis, ſolo erutis atque in Urbem translatis ut ſemitæ plateæque ornentur exoptat *Sectanus*. Quod non modo non factum eſt, ſed quadratis lapidibus, quibus Urbis viæ ſternebantur, rotundi ac fluviatiles ſuffecti ſunt; atque ita equorum ungulis potius, quam hominum pedibus, optime conſultum.

94 *denſatoque*] Demonſtrat artem rationemque vias ſternendi. Non enim calce lapides firmari ac ſtabiliri, ſed arena ſuper denſato ſolo ſtipari ſatius ducit, ut antiquis mos fuit.

95 *quid vanos*] Juſta Satyrici querela de viarum redemptoribus: qui lucri cupiditate minutis ſaxorum fruſtulis ſemitas ſternebant, ut frequenti rotarum attritu facilius diſſolutas bis in anno reficere neceſſe eſſet.

97 *penſio*] Domorum dominus tanti

Sufficiat, quoties graſſatur in Urbe redemptor.
Diſplicet hoc etiam curvo quod ſemita calle
Inſtruitur, tanquam foſſa deducere rivos,
Non homines rhedaſque velint. Si tramite in uno
Currus occurrant gemini, colliſa ſuperne
Raduntur, ſparſiſque cadunt tectoria bullis,
Et Quartilla dolet quaſſatis pondere criſtis,
Seu potius rûbra detergit vulnera palma,
Et permixta fluit tepido ceruſſa cruore.
Non iterum domitos Cæſar per compita gallos
Tar-

ti non locat inquilinis fundum, quanti ſtat viarum reparatio; ut domeſticis rationibus detrimento, non lucro, ſit Romæ poſſidere. Id autem de *Sectani* tempore intelligas, quo viarum redemptores graſſabantur potius, quam vias reficerent.

99 *diſplicet*] Magiſtratus viarum increpat, & architectos, qui, præter artem & concinnam ſymmetriam, in modum foſſæ conſterni ſinant, ſive jubeant, quo citius devaſtentur.

101 *ſi tramite*] In ejuſmodi ſemitis quotidie vides currus inter ſe collidi, non ſpatii anguſtia, ſed declivis ſoli vitio, quo nec equi poſſunt conſiſtere, nec rhedarum rotæ contineri, quin in medium ferantur.

103 *bullis*] parvis clavis capitatis.

104 *Quartilla*] Ea de cauſſa ſæpe queruntur matronæ capitis ornamenta compreſſa, rhedæ tegumento conſidente.

105 *ſeu potius*] Contingit aliquando, quod multo pejus eſt, vulnera & ceruſſam, qua tantum romana mulier delectatur, cruore inſici.

107 *non iterum*] Cæſari ſuadet, ne, gallis in ſervitutem pop. rom. redactis, iterum triumphum adornet, capitoliumque conſcendat: timet quippe, ne curru vectus per concavas hujuſmodi vias, excidat, totaque depereat triumphalis pompa. Vid. *enarrat.*

Tarpeiam rapiat curru fublimis in arcem:
Nam vitio clivi fella jactatus iniqui
Concidet, & magni labetur pompa triumphi,
Cælatæque urbes populique & Rhenus eburnus
Ante faces lychnofque & lumina clara peribunt.
Planitiem ædiles curent: decurfus aquarum
Fertur mole fua, nec libratore magiftro
Indiget. Interea, regum, tibi, Maxime, veftem

108 *tarpeiam arcem*] capitolium, cui arx imminebat. *curru*] triumphali, quatuor equis acto. Vid. *enarrat.* 107.

109 *iniqui*] non æqui.

111 *cælatæque*] Triumphantium currum anaglypho opere expreffæ præcedebant imagines, quibus urbes, populi, provinciæque ab imperatore captæ romanoque imperio adjectæ, intuentium oculis repræfentabantur. *Rhenus*] Fluminum quoque effigies & fimulacra in folemni illa pompa ferebantur ex argento aut ebore cælata: ideo flumen *Rhenus* ex ebore dicitur *eburnus*.

112 *ante faces*] Julii Cæfaris triumphus noctis tempore actus eft, plurimo elephante candelabra ingentefque faces immani dorfo fuftinente.

113 *planitiem*] Docet ædiles qua ratione fternendæ fint Urbis viæ, ne incommodo periculoque fint prætereuntibus. Curent potiffimum ut fint complanatæ. *decurfus*] Refpondet architectis, qui curvas ac declives conftruendas effe vias jactabant, ut aquæ pluviales citius decurrerent, facilique hauftu a cloacis abforberentur.

114 *libratore*] Aqua ut defluat, non eft opus architecto, fed fua ipfa mole ac pondere decurrit, fi planities modice fit inclinata, quaque patet cloacæ aditus, exoneratur.

115 *interea*] Ad Principem Sanctiffimum fe convertit, eique gratias agit, quod, ab alto cœno purgatis femitis, veftem & crura ejus beneficio munda habere contingat.

Sordibus immunem debemus, cruraque cœni
Neſcia. Nemo etenim flexus impune viarum
Calcare, aut ſiccus poterat delubra ſubire,
Rheda cui nulla eſt, nec mandunt hordea mulæ.
O quoties magnas mihi contigit ire per aulas
Servis ridendus procerum! Dum etenim pedibus me
Porto meis, veniunt altis delapſa feneſtris
Purgamenta olerum, capitique innaſcitur hortus
Penſilis, & ſummo frondet lactuca galero.
Sæpe etiam inverſa petulans ancilla matella
Perfudit crines ſervata in ſabbata ſeptem

Uri-

117 *nemo*] Illorum tangit incommoda, qui equos alere rhedaque vehi non poſſunt: malum quamplurimis in Urbe commune.

120 *o quoties*] *Sectan*, multo poſt *Sectanum* tempore (nam res in priſtinum rediit) expertus miſereor, qui officium fortaſſe proceribus exhibiturus, ſæpius, ut ipſe conqueritur, udus ac ſordidus aulas ingrediebatur.

121 *ridendus*] Riſu ne tantum ſervorum petebantur, an vero etiam procacitate ac dicteriis? Solent quippe optimatum famuli (perfrictum genus & cruce dignum) quoties palatii limen ſubit homo licet honeſtus, ſoleis luto deturpatis, quamplurimis illum jocis ridere, ultroque interrogare; ecquid de curru & auriga?

123 *purgamenta*] Quidlibet e feneſtris publicas in vias plateaſque cum temere dejiceretur, non ſemel lactucæ frondibus ſparſum geſtaſſe galerum queritur *Sectanus*.

125 *ſæpe etiam*] Creſcit querela. Non enim oleribus ſolum & aqua ſordida ſæpius ſe perfuſum dolet, ſed & immundiſſimo lotio ſeptemque ſabbatorum mora corrupto ac marcido, atque ejuſmodi opobalſamo perunctum domini cubiculum ſubiiſſe.

Urina, madidamque togam de rore latrinæ
Et fœdum domini retuli ad pulvinar odorem.
At nunc cuncta nitent: soleis non amplius hærent
Quisquiliæ, & luteæ communia stercora Romæ.
Ipsi nempe tuo discunt de pectore vici
Munditiem, veteresque rubent, te Principe, sordes
Romuleas fœdare vias. Restat tamen unum
Ingens pauperibus damnum, tortaque piandum
Cannabe, & hetruscæ fortasse colore tabellæ.
Centum quippe vices jubeor decedere in hora
Tramite, quo nulli feror importunus, adactus
Imperiis tantum vultuque truci aurigarum.

130 *communia*] Romæ stercora *communia* forte dicit, quod in Urbis semitis sordes pecorum equorum, atque adeo hominum, promiscuæ essent. Indignum hercle tantæ Urbis majestati.

133 *restat*] Sublatis tot viarum incommodis, liberius Pontificem Optimum alloquitur, eique ostendit gravius adhuc malum restare, præsente restis (*corda*) animadversione coercendum.

135 *hetruscæ*] forte & ultimi supplicii pœna. Florentinorum enim societas (ut iterum alibi iterumque dictum) cum reo mors denunciatur, illius ori tabellam sacrarum imaginum colore imbutam admovent eo consilio, ut proxime moriturum expiatis criminibus Deo reconcilient.

136 *centum*] Aurigarum insolentia ac ferocia est illud grande malum, cui *Sectanus* Principem deprecatur, ut opportuna remedia adhibere velit. Neque enim licet per Urbem ire pedibus, quin ab illis imperiose vel retrocedere, vel iter urgere passim jubearis. Vid. *enarrat.*

Cede loco: propera: dormis? velocius; ohe.
Quod si corripiat me vis nodosa podagræ,
Tibiaque infirmo nequeat consistere talo,
Intestatus eo figulis augere patellas,
Et nostra in tenues migrant corpuscula lances,
Transtiberina linit crasso quas penna colore:
Nam rota præcipiti fertur temone cadentis
Per caput atque humeros, sparsoque cruore rubescit
Orbita, & elisum calcat furiosa cerebrum.
Tantaque romanos signat truculentia currus,
Ut crus dimidium, longoque in calle repertas
Colligat auriculas, & truncum filia nasum,

Si

139 *cede loco*] Voces petulantis aurigæ libero homini minime ferendæ.

140 *quod si*] Infelix qui pedum vitio laborans jubenti aurigæ parere nequeat.

142 *figulis*] Sine testamento decedens minutasque in partes attritus figulis materiem præbeo, ut tandem in lances abeant miserrimum corpus & ossa; nos; *a far terra da boccali*.

144 *transtiberina*] Ars figulina trans Tiberim exercetur, ibique rudi crassoque colore vasa fictilia pinguntur.

145 *nam rota*] Caussam affert, quare humana corpora pæne in pulverem redigantur, cum rhedarum violentia per compita dejiciuntur.

148 *tantaque*] Casum describit infelicis filiæ reliquias dispersas trucidati patris colligentis, ut supremum illi sepulturæ officium persolveret; quo luculentius aurigarum crudele facinus ob oculos ponit, ut illis merita pœna jussu Principis irrogetur.

Si quidquam noſtri lacrymans imponere buſto
Ipſa velit, dulcis conculcatique parentis
Incaſſum quærens, cui deferat oſcula, vultus.
Cur, ſi mingit equus, carpenta morantur, & ipſa
Expectat Lalage veſicæ commoda equinæ;
Liber homo ſi forte roget; ſubſiſte parumper,
Auriga; ille volat, preſſoque cadavere currus
Urget, & obſtanti franguntur crura popello?
Nempe valentino ſignatus ſtigmate pullus,
Aut quem felici Campania gramine paſcit,
Plus venit Romæ, & pretio majore paratur,
Quam tunicatus homo: fortaſſe & caulibus ipſis
Vilior eſt annona animæ: nam ſævus equiſo

 Vi-

151 *noſtri*] ſi quicquam humani corporis. *buſto*] ſepulcro: vox a veterum cremandi cadavera more; de quo *enarrat.* 94. *ad ſat.* 10.

154 *cur ſi*] Pulcherrima eademque juſtiſſima *Sectani* Interrogatio.

155 *Lalage*] Romanam quamlibet matronam intellige, quæ licet famulorum corona ſtipata, auro induta, auratoque curru ſublimis vehatur, non erubeſcit media in ſemita iter abrumpere & morari, donec equi veſicam exonerent.

159 *nempe*] En tibi vere quid ſit, quod deambulantium preces negligat crudelis auriga, ſiſtat vero equorum commodo: nempe equus Valentiæ (*ginnetto di Spagna*) aut Campaniæ felicis (*caval di regno*) pluris conſtat, majorique in pretio habetur, quam vilis de plebe homo, ſed tamen homo.

163 *equiſo*] Ab equiſone ſeu auriga magna olerum omniſque herbarum generis habetur ratio: licet enim humi diſpoſita paſſim in plateis proſtent, nunquam equo-

Numquam calcat olus, sit nulla injuria cæpis,
Et timet invito gressus glomerare lupino.
Nos soli impetimur cursu attrituque rotarum,
Judicio viles non admittente querelas,
Non secus ac pulex sub pollice inulta periret.
Nec miror: nitido sumptu stabula alta parantur,
Ut sonipes habitet, vitreisque excepta fenestris
Ridet pura dies intra præsepia Romæ;
Dum tenebras noctemque colit sub paupere tecto
Maxima pars hominum, nec sese extendere cellæ
Angustus patitur murus, stratisque recumbit
In paleis non dispar equo. Sed plurima servit

Ju-

quorum ungulis proteruntur: secus cum hominibus agitur, quorum iccirco annona ipsis caulibus vilior.

167 *judicio*] Si apud Prætorem de hominis cæde aurigam postules, ab judicio repelleris: tantum abest ut eo de scelere quæratur.

169 *nec miror*] Definit mirari Sectanus barbarum ejusmodi scythisque ipsis horrendum morem, quoties regales sumptus in stabulis conficiendis animadvertit: cujusmodi ipse vidi in florentissima Italiæ urbe stabulum tanta magnificentia a potente viro extructum, tantoque ornatum auro, ut templi potius, quam stabuli, speciem præseferret.

172 *dum tenebras*] Utinam exaggeraret Satyricus. Procerum equi melius certe plerumque habitant, quam major hominum pars, qui angustas cellulas, & sæpe tenebras conducere coguntur.

175 *sed plurima*] Jumentorum servitio multi famuli addicti, qui aqua, spongiis, & strigilibus operentur, sordesque abstergant; cum homini, cui angusta res sit, ce-

Jumentis operosa manus: mihi nec puer unus,
Qui mundet soleas. Quando inteſtina reclamant,
Dura ceres cum vappà: illis cichorea, pepones,
Uvaque præbetur cum furfure; libaque palma
Ipſe offert dominus, ſtabuli contentus odore,
Pluſquam Malthinus medicato ſumine porci:
Quin ſtrigiles agitat, nudataque brachia jactat,
Et criſpare jubas non dedignatur equorum,
Quas praſini aut veneti decorent ſegmenta coloris,
Atque reluctanti divulſæ a conjuge gemmæ.

ceteroqui honeſto, nec unus ſit puer, qui ſoleas a cœno mundet.

177 *quando*] Creſcit miſeria: quoties enim fames urget, duro pane peſſimoque alitur vino.

178 *illis*] Contra equis large ſuppetunt cichorea, pepones, uvæ &c. atque adeo liba: ipſe quippe dominus ſtabulum ſubire non dedignatus extenſa palma porrigit equis panis cruſtulas, vel placentæ fruſtula melle ac ſaccharo delibuta.

181 *Malthinus*] de quo alibi. Delicatus adoleſcens forte odoribus, præcipue unguentis delectabatur, quæ ſuillo ex abdomine centies aqua diluto conficiuntur.

182 *quin ſtrigiles*] Vetus æternumque (ait *Sectanus*) romanorum vitium, qui nulla decori nobilitatiſque habita ratione, in præſepiis non verentur quotidie verſari, & viliſſima quæque officia explere.

184 *quas praſini*] h. e. viridis & cærulei: qui colores in amphitheatris, ludiſque plerunque circenſibus, ab aurigis uſurpabantur; ſtudiumque populi ſua quiſque teſſera notus captabat. Belle poeta romanum inducit, qui ejus coloris ſegmentis curſorem equum exornet, ut in emetienda flaminia (*il corſo*) romanæ plebis favorem, interdum & auxilium comparet.

185 *reluctanti*] Eo proceſſit inſania, ut non unus e conſulari ordi-

Hinc est quod tumidus fertur rhedarius, & se
Plebe super gaudet violenta effundere biga.
O utinam ductor ducatur, de trabe terna
Offenso præbens jucunda piacula vulgo.
Da, Pater, hæc miseræ plebi solatia, restes
Carius ut Romæ prostent, sanctumque capistrum
Otia nulla trahat. Sed mentio libera quando
Incidit hic morum, nostris sit tuta potestas
Quædam, pauca licet, coram effutire camœnis.
Namque mihi videor cerebrosus, & unus inanis

Con-

dine gemmis pretiosioribus conjugis, ipsa invita ac reluctante, fræna, habenas & ephippia ornarit.

186 *hinc est*] Nil mirum igitur, si aurigæ temerario spiritu elati miseram in plebem sævire audeant, cum videant equos suis a dominis tam perdite amari ac tam religiose coli.

188 *o utinam*] Pulchrum sane spectaculum exhiberet populo romano rhedarius, si loco gubernandi currum, ipse a carnifice rheda illa traheretur, qua capite damnati per Urbem deducuntur, ceteris exemplo futurus, ut imposterum a temeritate sævitiaque se abstineant. Nescio an aurigis nimium severus esset judex ille neapolitanus, qui cassiano ingenio, auriga vix in judicium rapto, fere indicta causa pronunciabat = *auriga est? protinus remiget*.

190 *da, Pater*] Enixe Principem rogat, ut non patiatur in Urbe sancta restes dormire, sed expergisci jubeat, agere, & in fontes animadvertere. Ex hac tanta stili vehementia conjectare licet *Sectanum* gravi aliqua injuria ab aurigis appetitum.

192 *sed mentio*] In rhedarios satis invectus, alios Urbis mores detestandi carpendique potestatem petit.

195 *cerebrosus*] Nos: *bizzarro*.

Ne-

Contemptor famæ captatorisque macelli,
Quo melius nemo luxum putumque ferire
Hac ætate queat vitium. Sed magna minantem
Et præclara tenent puerilia. Ludere chartis
Musa dedit potius, quam stricto insurgere flagro;
Nec nisi de calabro turgescit vena Bione;
Et Rullo offendor scurra, gibboque Poeta.
Infelix operæ pretium! nam masculus ardor
Diffluit in nugas; muscas culicesque trucido.
At qua bile feror, quoties penetrare reposta

Li-

Nemo negat te, *Sectane*, cerebrosum: ultroque ignosco, si talis tibi ipse videaris. *unus inanis*] Vere, præter *Sectanum*, neminem novi, qui famæ tinnitu nunquam pellectus in tanto litteratorum plausu, nomen suum ita latere voluerit, ut centum fere post annos non desint, qui de vero satyrarum auctore adhuc incerti sint.

196 *captatorisque*] Pro macello quodlibet cibariorum genus accipe, altilia præsertim, pisces, ostrea, coturnices aliaque dono mitti solita. Hisce muneribus, quæ demulcere & captare solent plebejos animos, non pellicitur *Sectanus*.

197 *quo melius*] Famæ divitiarumque contemptor si quis inter mortales reperiatur, heroem eum prorsus reputo: hic hic aliorum mores libere increpet.

198 *sed magna*] Hic se videtur excusare *Sectanus*, quod superioribus satyris stilum in nugas acuerit, nec argumentum ingenio viribusque suis satis dignum sibi proposuerit. *Rullum* enim. *Bionem*, ac *Gibbum* (alibi *Pumilionem*) carminibus pectere idem reputat ejusdemque laudis ac muscas culicesque mactare.

205 *at qua bile*] Brevi præmissa apologia, e vestigio excandescit, plenusque irarum in hebræos invehitur, qui nobilium domos plus æquo nimiumque familiariter frequentant.

Limina nobilium Solymæ de ſtercore curtum
Judæum, & croceos video regnare galeros!
Eſt qui, ſacrata quamvis luſtratus ab unda,
Nil inconſulto faciat maturus Apella;
Tactaque perjuro non horret pocula labro
Sumere, communique ſolet cœnare catino
Anſeris arguti pulmonem & ſanguine mundi.
Hunc amat, atque olidis ſpurcata lagena ſalivis
Plus ſapit. Ancillas famulos puerosque coercet
Ille ſupercilio: domino conducit agellum,

Atque

206 *de ſtercore*] Hebræi ſordidi ac pannoſi peſſime olere ſolent: ideo quaſi ortos e ſtercore Solymæ abominatur. *curtum*] judæum curtum appellat, h. e. recutitum.

207 *croceos*] Romæ hebræi coguntur pileis ſuperaddere velum crocei coloris, quo longe a chriſtianis dignoſcantur.

208 *eſt qui*] Patricium quemdam deſignat, qui, prona nimis indulgentia in hanc damnatam gentem, nihil ageret niſi ex judæi conſilio.

209 *Apella*] Nomen hebræi apud *Horatium*, quod valet recutitus, h. e. ſine pelle.

210 *tactaque*] Immundiſſimi hominis labro inquinatum calicem ori admovere non exhorret.

212 *anſeris*] Apud hebræos in deliciis ſunt anſerum exta, quos trajectis clavo pedibus tabulaque affixis, ne moveantur, paſtillis furfure ſevoque confectis ad ſatietatem explent; quo fit, ut illorum pulmo non modice creſcat. *ſanguine mundi*] Anſer, quem communi lance appoſitum comedunt Patricius & hebræus conviva, prius cultro mactatur, ne contra Moſaicæ legis præſcripta ſanguine veſci contingat.

214 *ancillas*] Nota abſolutum imperium, quod in patricia domo exercet judæus, remque familiarem ut ipſe ſolus curet & adminiſtret.

Atque ſuburbani lactucas irrigat horti.
Rem auget gnavus. Credo. Quin uxoris amicus
Eſt, ais, Elias, &, quamvis ſordidus, Aron.
Proſit amicitia o ſodes; juſtoque peracto
Lunarum curſu, caveas recutitulus infans
Ne tibi naſcatur flavi tetrique coloris,
Qui ſuibus parcat, cognataque ſabbata ſervet,
Et decimo cautos impendat fœnore nummos.
Hæc generoſa tua proles regnabit in aula;
Paullatimque toro ſolus gelidusque cubabis,
Officium fatui verpo ſubeunte mariti.
Sic dominæ placet uxori. Permitte ſodalem

Sci-

217 *rem auget*] Verba ſunt Nobilis, quibus ſe purgare nititur, quod tam impenſe Eliam diligat & Aaron. Utinam vero huiusmodi non attuliſſet excuſationem.

219 *proſit amicitia*] Ironice dictum ac nimis acriter, ſed forte non abs re.

220 *infans*] Deſcribit mores pueri naſcituri; qui ſuilla carne ſe abſtinebit, ſervabit ſabbata, pecuniamque duriore quolibet fœnore collocabit: quæ quidem omnia ad amici judæi ingenium ac leges.

221 *flavi*] quo colore plurimum vides hebræos.

222 *cognataque*] quaſi congenita.

223 *decimo*] nos: *al dieci per cento.*

225 *paullatimque*] Alia Patricio fortaſſe graviora portendit. Cum enim Elias amicus ſit uxoris bene nummatæ & acris naturæ, hanc quoque contumeliam marito inferre non erubeſcet.

226 *verpo*] h. e. hebræo.

227 *permitte*] Sectanus Patricium objurgat, cui merito hæc evenire affirmat, eo quod hebræum ſiverit domi familiariter verſari æque ac ſi chriſtianus eſſet.

Scilicet extorrem mundo cæloque rebellem,
Filiolum veluti noſtra ſub lege renatum:
Te merito expectant opprobria. Viſere cellas
Cur virides properant pharii monumenta triumphi,
Putidulaſque caſas regali ſyrmate verrunt
Patriciæ? lævis cur mordent cruſta farinæ?
Quid quod cum vetitus reſecat præputia culter,
Ipſæ adſtant cupidæ mores & diſcere ritus
Legales, ſyriosque ſonos garrire laborant?
Ac quoties virgo rubris hebræa capillis
Accedit thalamo, nuptam comitantur, & ipſæ

Flam-

228 *extorrem*] Hebræi quaſi mundo extorres, quod ubique tanquam exſules ſine pontifice & ſine rege perfidiæ pœnas luant.

229 *filiolum*] h. e. chriſtianum, qui ſacro baptiſmate renaſci dicitur, atque *eccleſiæ* filiolus fieri.

230 *viſere cellas*] Hebræi ab ægyptiorum ſervitute liberati fauſtæ dici memoriam quotannis renovant inſtructis cellis (vulgo *caſelle*) in lætitiæ apparatum frondibus ramiſque arborum, quas icceirco *virides* apte *Sectanus* dicit. Has cellas romanæ matronæ adire ſolent, nec veſtibus purpura auroque ſplendidis caudatiſque ſordidum caſularum pavimentum verrere dedignantur.

231 *pharii*] h. e. ægyptii a Pharo Ægypti inſula.

232 *ſyrmate*] veſtibus, uti diximus, caudatis: de qua voce alibi.

233 *lævis*] Panibus quoque azymis ab judæis donatæ, urbanitatis gratia, matronæ domum redeuntes lævis illius farinæ cruſtula per laſciviam deguſtant.

234 *quid quod*] Si familiari hebræo naſcatur infans, die circumciſionis invitatæ vetito ritui adſtant, cupiuntque cæremonias addiſcere; quin etiam nituntur hebraicas cantiunculas pſallere. *vetitus*] Nam, inſtitutis a Chriſto Domino novi teſtamenti Sacramentis, jam vetita circumciſio.

Flammeolum digitis aptant, mulcentque pudorem?
Quin etiam lychnos & candelabra recenti
Cera augent, facra forfan de fede petita,
Cui thus votivum cantataque myrrha pependit.
Roma, triumphali fruftra tibi fervit in arcu
Progenies galilæa, tuos fi fœda penates
Ingreditur, ridetque Titi perfricta fecures,
Ara velut Solymæ venerataque templa manerent.
Jam fubeat teneatque domos, fed fulphure fractos
Sar-

239 *flammeolum*] diminutiv. a *flammeo*, velo olim lutei coloris. Vid. *enarr.* [*digitis aptant*] ex hebræorum more, qui alicubi & chriftianorum; fed albi coloris eft linteolum.

240 *quin etiam*] Hoc equidem nullo modo ferendum, dignumque videtur quod feveriore lege coerceatur. Hebræorum candelabra ardent cera ab ipfis matronis donata, quæ forte immortali Deo fuerat devota.

242 *thus votivum*] Cereo, quem *pafchalem* dicimus, globuli e thure & myrrha appenduntur infixi, folemnique ritu benedicti in memoriam aromatum, quæ ad facratiffimum Redemptoris noftri corpus ungendum tulerant religiofiffimæ fœminæ.

243 *Roma*] In foro boario (*campo vaccino*), ubi & Pacis templum, vides adhuc triumphalem *Titi* arcum egregia manu infculptum: ubi, capta a Romanis longa obfidione Hierofolyma, fpolia judæorum, ac præcipue Arca & candelabrum deportantur. Exclamat igitur *Sectanus* fruftra hæc fubactæ perfidæ gentis monumenta exftare, fi adhuc in Urbe licet hebræis regnare.

245 *fecures*] imperium ac poteftatem: nam fecures apud romanos fummæ poteftatis infigne: ut alibi dictum.

247 *fed fulphure*] Sinit judæos chriftianorum domos adire, fed ea tantum de cauffa, ut artes fuas exerceant, fictilia videlicet fracta fulphureo glutine farciendo, pal-

Sarciat ut calices, & putri pallia filo
Umbricio & Tuccæ festis portanda diebus.
Seu potius veniat pictam mutare saonam
Cum caligis tritaque toga vetulisque lacernis,
Quæ macer aonia servat Philodemus in arca;
Cui frons inscripto vix una argentea gyro
Atque eadem multo detonsa a forfice restat.
Hæ tibi si cessent caussæ, diffinde profanum
Sordidulumque caput: fur est, aut leno: minora

Fla-

pallia sordidasque *Umbricio* & *Tuccæ* (h. e. infimæ plebis hominibus) vendendas vestes interpolando.

250 *seu potius*] Solent hebræi vascula fictilia circumferre, quæ Savone in ora ligustica conficiuntur picturisque ornantur: hanc vero mercem non vendunt pacto pretio; sed cum laceris pannis scrutisque, sive laneis sive sericis, commutant. Hinc mutare pictam saonam elegantissime dictum.

252 *quæ macer*] Egenus tunc temporis poeta *Philodemus* erat, ideoque in *arca aonia*, h. e. poetica, asservare dicitur tritam togam, frustaque caligarum; ut illa cum fictilibus permutaret.

253 *cui frons*] Adeo rei nummariæ difficultate premebatur *Philodemus*, ut vix in loculis monetam haberet vulgo dictam *testone*, eamque etiam iniqui ponderis, utpote peculatorum forfice sæpius detonsam. Quod in ejusmodi monetis grandis Pontificum frons, & plerunque calva, sit efficta, ideo *testoni* dicuntur, additis in gyro nominibus Principum & regni anno.

255 *hæ tibi*] Nullam aliam ob caussam liceat christianorum domos hebræis subire; illorum quippe quisque flagitia timere potest; quando furta & lenocinia velut artis genus exercere dicuntur.

256 *minora*] Cave a majoribus criminibus, uti philtris (*malie amatorie*) devotionibus, impiisque carminibus, quibus nefariam gentem thesauros detegere, amorem extorquere, parentis obitum ur-

Flagitia & gentis sunt hæc peccata nefastæ.
Est tamen hoc vitium paucorum & forte ferendum,
Si pensare velis fatuæ suffragia Romæ,
Quo studio quantoque fremat lasciva tumultu,
Audiat ut tremulos & fracta voce canentes
Dimidios homines, quibus olim Nursia barbam
Invidit, mollique diu peccare juventa
Et tonsore dedit semper caruisse magistro.
Vertimus in pretium naturæ damna; probrumque
Secti hominis centum tanta & plus millibus æquat
Pa-

urgere, aliaque scelera fama est patrare.

258 *est tamen*] Fatetur *Sectanus* damnatam hanc cum hebræis domesticam consuetudinem ad paucos pertinere; quare aliud vitium, & quidem Romæ late patens, confodere aggreditur.

261 *audiat*] Musicæ dulcedine pellecti romani usque ad insaniam cantoribus favent eviratis, qui voce moll usculа & muliebri lasciviæ proxima, seu potius cognata, aures titillant.

262 *Nursia*] Qui castrandi peritiam callent, fere omnes e *Nursia* montana in Umbris pontificiæ ditionis civitate.

263 *juventa*] Evirati ob menti lævitatem serius videntur senescere.

265 *vertimus*] Damno immo injuria naturæ homines evirantur, quare *Domitianus*, ceteroqui crudelissimus, hanc humani generis contumeliam legibus severissimis interdixit. At nostra ætate tanta musicæ libidine patriciæ aures tentantur, ut id probri pretio fere inæstimabili emere non dubitent, dum scenam populo exhibituri cantores undique perquirunt, grandique mercede invitant & conducunt.

266 *secti*] evirati. Musicæ libido patricios suadet naturæ probrum multis nummum millibus comparare. Vides sæculi insaniam.

Patriciæ tentigo auris. Caſtrate, parentes,
Si ſapitis prolem, primaque ab origine radat
Argumenta viri furtiva novacula: honores
Hoc præſtare valet titulumque & nomen honeſtæ
Virtutis, quæque ipſa meretur præmia Virtus.
Scilicet elumbis librataque vocula gyro
Multiplici ſapit ambroſiam guttumque beati
Pincernæ. Valeat tua mater, Nævia clamat;
Felicemque vocat Lalage; felicia, Galla,
Ubera, quæ ſuxit fœtenti ſemivir ore;
Crebraque ſollicito jaculatur baſia labro

Can-

267 *caſtrate*] Ironice hortatur parentes, ut liberos mutilent; multa enim inde commoda. Nam non modo divitiis affluunt evirati cantantes, ſed & honoribus in Principum aula decorantur: quodque nullo modo ferendum videtur *Sectano*, nomen titulumque virtutis uſurpant, quod doctiſſimis ſolum viris debetur, &, quod peſſimum eſt, debita virtuti præmia carpunt: vulgus enim eos male vocitat *Virtuoſi*.

269 *furtiva*] Furtim enim tanta naturæ injuria ſolet irrogari.

270 *& nomen honeſte*] Vid. *enarr.*

272 *guttumque*] Perditis hiſce muſicæ amatoribus deorum adeſſe convivio ſibi videntur; pluſque iis ſapit fractum & enerve cantantis ſuſpirium, atque undulata vocis vibriſſatio (*il gorgheggiare e trillare*), quam pocula & calices *Ganymedis* Jovis pincernæ nectare redundantes.

274 *valeat*] Nævia bene precatur matri, quæ tantam dulcedinem genuit. *Nævia* & *Lalage* præ ceteris romanis matronis muſicæ muſicorumque ſtudioſæ.

275 *felicia*] exclamatio præ nimia voluptate exaudiri ſolita in theatris, maxime venetis, ubi major auditorum licentia.

Cantanti. Videt hæc ſtupidus laudatque maritus.
Heu! tua res agitur: miſer! oh nimium, mihi crede,
Optantur dulces moduli gemituſque canori.
Non eſt hoc artis ſtudium, ſed prona libido.
Muſa ſatis. Tamen hic primas impune cathedras
Perluſtrat, cunctaſque domos; & garrulus hæret
Auſoniæ, pedibuſque pedem titillat Amillæ,
Invitis quamquam magnis rivalibus. Audi
Quæ tulerit preſſis oculis naſoque ſupino
Ulpidius. Mimum langueſcere ſenſerat uxor:

278 *laudatque*] Maritus vere bardus, qui quod maxime perhorreſcere deberet ac deteſtari, potius ferat, atque adeo laudet.

279 *tua res agitur*] Non de alieno, ſed de tuo periculo agitur.

282 *Muſa ſatis*] Ne plura: muſam jubet tacere, ut prudente reticentia pudori conſulat: intelligenti enim ſatis & plus quam ſatis. *tamen hic*] petulans muſicus. *primas cathedras*] primarum matronarum domos: nam *cathedram* alibi diximus fuiſſe muliebrem ſellam.

283 *cunctaſque*] Cunctæ igitur matronarum domus patent hiſce cantoribus, qui quamlibentiſſime excipiuntur.

284 *Auſoniæ*] *Auſonia* & *Amilla* fictitia matronarum romanarum nomina. *pedibuſque*] Mos procorum eſt amatæ pedes clam pede attingere ad animum explorandum.

285 *invitis*] Principes viri, quamvis honeſto amore capti, patiuntur, licet inviti, tantam cantoris temeritatem, ac diſſimulant. Vides quo ſæculi ſtultitia proceſſerit.

286 *preſſis oculis*] connivente ac indormiente *Ulpidio*.

287 *Ulpidius*] Hiſtoriam narrat, non fabulam, cujuſdam matronæ Ulpidii uxoris. *mimum*] h. e. evíratum muſicum ſenſerat febri æſtuare.

Quid non ſentit amans? currit neglecta decorem;
Ac veluti hoſtili ruerent Capitolia flamma,
Aut ferus attonita regnaret Vandalus Urbe,
Inſtaretque ſuper nati jugulumque mariti,
Currit anhelanti ſimilis, vicinaque lecto,
Spes mea, clamabat: ſed languida faucibus hæſit
Vox ſubito; & paſſis riguit procera capillis:
Atque ubi paullatim rediit vigor, anxia venam
Sciſcitat, & fœdam rimatur ſedula pelvim,
Et moto urinam ſcaphio ſpeculatur odoram:
Mox haurire jubet decoctum jure vitellum,
Libaque & ingenuas cruſtas. Hiat ille ſolutis
Rictibus, & madidas, ceu pullus hirundinis, offas

Ac-

288 *currit*] Quotieſcunque fœmina inconſulto ſpeculo, neglectaque coma, e domo ſe proripit, grande aliquid cauſſæ ſubeſſe opus eſt: nec certe major amanti eſſe poterat, deſperata amati cantantis valetudine.

290 *Vandalus*] gens ſeptentrionalis ferociſſima.

294 *procera*] quod procera eſſet ſtatura.

295 *anxia venam*] Studio explorandi curandique morbi, diligentiſſimi medici partes facit, nec abhorret fœdiora quæque ſcrutari.

298 *vitellum*] Ovum jure coctum, ut delicatius ſit, ſorbere jubet, albumine detracto.

299 *libaque*] dulciariola, qualia quæ dicimus: *biſcottini di Savoja*. [*ingenuas*] molles ac delicatas ingenuoque palato dignas. *hiat ille*] Pulcherrima evirati illius imago: qui lecto decumbens, nulla emiſſa voce, os aperit, ceu implumis in nido hirundo (elegantiſſimum ſimile) cibumque oblatum diductis fœde rictibus deglutit.

300 *madidas*] liquore aliquo: nos: *biſcottini inzuppati*.

Accipit oblatas. Valeat stomacho tua conjux
Dicere fas est, Ulpidi: nam nullus olentem
Ferre animam eunuchi poterit, lectissima quamvis
Balsama & in loculis portet duo funera regum,
Quæ pelusiaca custodit pyramis ora.
Attamen has vivas conducunt ære latrinas,
Et magnis pretiis multi licitantur in Urbe
Irritamentum vitii: dum Virtus vilior uno,

301 *valeat*] Ulpidii conjugem bene stomacho valere inde arguit *Sectanus*, quod evirati anima molesta plurimum cuique sit & naribus gravis.

304 *duo funera*] Ægyptiorum regum optimatumque cadavera lectissimis ejus regionis balsamis condita hodie reperiuntur, quæ vulgo *mummie*. Itaque etsi *Ulpidii* uxor habeat in loculis duo ejusmodi corpora pretiosissimis unguentis delibuta, nescit tamen *Sectanus*, qui fiat, ut evirati fœtore non afficiatur.

305 *custodit*] Ægypti pyramides, quarum insignes exstant reliquiæ, immensæ molis marmoreæ continebant in intima concameratione regum cadavera, erectæ plurimum ad Nili ripam, qua per Pelusii Ægypti urbis ad mediterraneum oram in mare devolvitur.

306 *attamen*] Quamvis evirati enormiter fœteant, morisque non admodum honesti aliquando habeantur; tamen non desunt in Urbe, qui magno pretio illorum consuetudinem, seu potius vitii illecebram, comparent.

308 *virtus*] Infelix Virtus, quæ præ vitio emptorem vel multo minori pretio non invenit, caputque divinum lacero vix velat amictu. Infelix, inquam, nisi amplissimum ipsa sibi præmium esset ac merces largissima. Ex eo vero, quod Virtus sibi sola sufficiat, profecto non consequitur, quod detestanda non sit sæculi iniquitas, a quo, neglecta Virtute, tanta ac tam splendida vitiis dona parantur.

In triviis obolo frustra se præbet ementi,
Divinumque caput lacero circumdat amictu.
Sit podium pictoque nitens orchestra theatro,
Pulpitaque & lato crescant subsellia circo,
Flava ruinosas qua proluit Albula muros.
Quin etiam gothis moles invisa resurgat,
Scenaque Marcelli, vitataque curribus ova:

Nil

311 *sit podium*] Podium locus erat in theatris viris principibus destinatus, instar pulpiti seu mæniani, cujus facies ligneis craticulis etiam tegebatur, ne populo paterent, qui spectaculis ibi ludisque interessent. Quare Sueton. *In Nerone* = *accumbens primo parvis foraminibus, deinde toto podio adaperto spectare consueverat.*

312 *pulpita*] quæ nos: *palchetti.*

313 *Albula*] Ad ripam Tiberis, qui olim *Albula*, superiori sæculo non mediocris molis theatrum Romæ excitatum est, quod vocant *Teatro di Torre di Nona*, seu *Tor di Nona*. Hoc igitur novis gradibus, subselliis, mænianisque (*poggiuoli*) augeri indulget Sectanus. *Albula* a colore aquæ *flava*.

314 *quin etiam*] Immo & amphitheatrum Flavium, vulgo *Colosseo* aut *Culiseo*, gothorum furore impie deformatum refici, si fieri posset, libenter permittit. Quod amphiteatrum a gothis male habitum dicit ex vulgi opinione. Vid. *sat. X. enarration.* 133.

315 *Marcelli*] Theatrum *Marcelli*, cujus adhuc grandia supersunt vestigia, scenam habuit marmoream ingentibus columnis suffultam. *vitataque*] Circos etiam restauratos exoptat, ut antiquorum munera edantur. Fastigio metarum, quæ ab utraque extremitate in arena Circi, ceu turbines inversi assurgebant, affixa erant fabulosa *Ledæ* ova, e quibus *Castor* & *Pollux* ejusmodi decursionum institutores procreati. Has metas marmoreas stringere simul & evitare studebant aurigæ, ne cum breviori insisterent circulo, rotis in illas impactis, curru dejicerentur. Ova pro metis eleganter. Vid. *sat. IX.* 73. & 79. *enarration.*

Nil renuo: antiquæ ſunt hæc patrimonia Romæ,
Et deſiderium populi ceſſantis: at illud
Non tulerim vili pulſari pegmata ſocco,
Et perſonatos ſcena prurire cinædos
Atellæ exodiis. Mutium ſævumque Neronem

316 *antiquæ*] Bene noverat *Sectanus* a pop. rom. indito fere a natura ſtudio duo maxime appeti, panem & circenſes: quam hæreditatem cum ad poſteros veniſſe videat, circo & theatris inſtauratis, ſpectacula adornari non renuit.

317 *ceſſantis*] otioſi, quieſcentis ab opere. *at illud*] Non tamen probat noſtræ ætatis comœdias muſicis modulis concinnatas, antiquarum exemplo neglecto, quæ æque delectarent ac docerent. Noſtræ etenim actiones, præter dulce atque inane aurium irritamentum ipſo cum ſonitu periturum, nihil habent quod ad animum faciat: ideoque vili ſocco pulſari pegma (*palco teatrale*) h. e. a vili mollique perſonato muſico, merito conqueritur *Sectanus*. Quid ille, ſi muſicæ theatralis inſaniam videret per hoſce annos in furorem evaſiſſe?

319 *cinædos*] effeminatos cantores fabulas agendo voluptatis ſenſum, maximo honeſti moris periculo ac damno, proritare.

320 *Atellæ*] ab *Atella* oſcorum urbe, ubi nunc in Campania *S. Arpino*, ſive potius *S. Elpidio*, atellanæ fabulæ, atque hic *Atellæ exodia*. Erat autem *exodium* extra fabulæ argumentum: ſed illi inſerebatur ad animos exhilarandos, ſi quam ex tragico eventu mœſtitiam contraxiſſent: conſtabat enim ex ridiculo ac plerumque obſcœno carmine. Ita noſtris temporibus inducitur ſæpius in ſcenam ſcurra, aut mimus ſervus, qui ab actione forte injucunda nimiſve ſeria ad riſum homines ludumque transferat: illiuſque facetias & jocoſa dicteria a comœdiæ argumento prorſus aliena, ac veluti aſſuta, *intermedia* dicimus, quod poſt primum & ſecundum actum interponantur. *Mutium*] Nero & Mutius comœdiarum tituli, quæ tunc temporis in theatro romano edebantur. Tecum reputa,

Quam male vultus agit, quem non exasperat ulla
Barba, pilique decem saltem. Non crista minacem,
Ensis, & aurata captivi casside crines
Actorem præstare valent; si clune soluto
Cevet, & impuro jugulantur gutture voces.
Quid faciunt lubricos scalpentia cymbala renes,
Dedecus ausonio plectro fidibusque latinis?
Tædia nimirum mulcet cantator, & aures
Nobilium recreare solet. Mihi crede, voluptas
Extra animum nulla est: hunc si virtute levabis

Op-

quam male conveniret *Scævola* aut *Neronis* persona imberbi adolescenti, licet ense armatus crines galea premeret, minasque supercilio intentaret.

324 *clune soluto*] Quid personarum, quas repræsentat, gravitas truxque majestas cum inconditis musici actoris motibus? est enim *cevere* lascivientis adulantisque in morem, quod solent vanæ fœminæ, nates agitare.

325 *quid faciunt*] Non musicam insectatur *Sectanus*, ex qua sua proveniunt bene morato homini commoda, sed musicæ vitium, & artis ad corrumpendos mores excogitatæ. *cymbala* posuit pro musica. *renes*] ubi turpis voluptatis fons. *renes* in malum proclives *scalpere* est turpem sensum irritare.

328 *Tædia*] Ejusmodi musicæ usum ita quispiam excusat.

329 *mihi crede*] Excusanti respondet *Sectanus* gravissima & vere aurea sententia, quæ omnium philosophorum est, vel ethnicorum: quorum plurima proferri possent testimonia.

330 *extra animum*] Vera vitæ suavitas ac beatitudo tota est in recte factorum conscientia, atque in virtutis exercitatione. quare optime Horat. 1. od. 19. = *Sola me virtus dabit usque tutum* = *Sola beatum.* = Semota virtute, ex eod. Hor. 2. od. 13. =... ni-

Oppreſſum vitiis, ferient tibi ſinciput olim
Dilecti ſonitus; rivique per aſpera murmur,
Et placidis ornus zephyris agitata juvabit;
Balantemque magis cupies audire capellam,
Quam tenerum merita confoſſum morte Syphacem.
Quo me ronchus agit? Veniam dabis, Optime Princeps
Terque Auguſte, meæ ſi commiſere camœnæ
Seria ridiculis. Non hæc tibi pagina crevit,

=.... *nihil eſt ab omni = Parte beatum.* = Germanam igitur virtutis voluptatem intra te ſi quæras, jam tibi molles cantantis muſici modi, quibus olim rapiebaris, faſtidium movebunt, multoque plus, vel rivi fluentis murmur, vel lenis auræ inter arbuſta ſuſurrus, atque adeo ipſa balantis agnæ vox, arridebit.

335 *quam tenerum*] quam muſicum, qualis ille fuit, qui *Syphacis* perſonam Romæ agens in theatro *Pacis* magnum ſibi nomen fecerat. Hic prope Forum Alieni (*Ferrara*) a ſubmiſſis ſicariis occiſus eſt, merito (ut *Sectanus* habet) an immerito, ignoramus.

336 *quo me*] Muſam poetice coercet. *ronchus*] Vitia deridendi inſectandique ſtudium: de qua voce alibi. *veniam*] apud Principem Optimum ſe excuſat, ſi in hac ſatyra, qua ſæpius ipſum alloquitur, ridicula quædam ac futilia miſcuerit: eique ſpondet, ſe integrum carmen ea, qua decet, dignitate ac majeſtate perſoluturum. Ex quo intelligis, *Sectanum* tum temporis carmen de *Innocentii XII.* regnantis laudibus animo agitaſſe. Feciſſet Deus ut tanti Pontificis laudes a tanto Poeta haberemus.

338 *non hæc*] Non ſatyram ſcripſi ex inſtituto te præcipue laudandi, quamvis aliqua de te attigerim.

Quamvis sæpe tuo ſignetur nomine. Majus
Surgit opus, pleƈtrumque aliquid tibi grande ſonabit,
Et toto aonidum diceris fonte beatus,
Magnanimus, juſtuſque; ut nulli forte ſecundum
Poſteritas laudet venturaque ſæcula carmen.
Sic Rullus, Labeoque, & Græculus ille moleſtus
Semper, & inviſus muſis, optata relinquat
Otia, nec verſus ſibi dividat unus & alter.

ENAR-

341 *& toto*] Totus ero in tuis laudibus, teque pleno ore totiſque poetici ingenii viribus canendum ſuſcipiam.

342 *magnanimus*] Qui tituli cui magis quam *Innocentio XII.* conveniant, memoriæ vere immortalis Pontifici, non video.

344 *Sic*] Optantis eſt. dummodo *Rulli*, *Labeones*, *Philodemi*, præcipui ſatyrarum heroes, occaſionem non præbeant muſas alio divertendi. *græculus*] Philodemus,

ENARRATIONES

IN SATYRAM XIV.

3 *nascitur*] In colle Citorio (*monte Citorio*) cujus quidem collis cum de origine, tum de nomine (in maximo veterum latinorum silentio) multa eaque diversa habent antiquitatis scrutatores. Argumentum sane torquendis ingeniis aptissimum: in quo divinationi potius quam certæ sententiæ locum esse video. Ad vocis originem quod spectat, ceteras inter conjecturas, quarum aliquas prorsus ridiculas dixerim, placent, si minus ex veritate, at certe ex ingenio, altera *Pitisci*, altera *Ficoronii*. Ille ab *Europa porticu* (ubi *Europa* depicta fabula), quam colli *Citorio* proximam *Nardinius* aliique statuunt, deducendam opinatur: quam porticum buxo celebrem laudat *Martial*. 3. 20. 12.

An delicata sole rursus Europa
Inter tepentes post meridiem buxos
Sedet (Canius Rufus) *ambulatve liber acribus curis?*

Nam, *inde*, ait, *non improbabile alicui videri possit, quod postquam eadem porticu jam collapsa, sordibus aliunde petitis atque illic depositis, locus ille, ante quartum scilicet sæculum, montis formam acceperat, adhuc ibi ejusdem porticus buxeta quodammodo virescerent* (*buxum enim tam longævæ durationis creditur a* Plin. 16. 40. ut & cariem vetustatemque non sentiens *appelletur*) *proindeque quod* Cytorum *notissimum. Galatiæ* (aliis Paphlagoniæ, aliis Macedoniæ) *montem, qui & buxo insignis, referens, ita fuerit aliquando cognominatus. De hoc*

mon-

monte Plin. 12. *p.* 375. Plurima & optima buxus apud Amastrim nascitur, maxime ad Cytorum. *Virg. Georg.* 2. 437.

Et juvat undantem buxo spectare Cytorum.

Catull. qui voci adspirationem addit; carm. 4. 11. edition. Zyllianæ Traject. ad Rhen. 1680. pag. 9.

. . . . . . *nam Cythoriaco in jugo*
Loquente sæpe sibilum edidit corona.
Amastri Pontica, & Cythore buxifer,
Tibi hac fuisse . . . .

Quod nos quidem (optime), *ut æquius eruditorum judicium subeat, in medium relinquimus.* Ita *Pitisc.* vol. 1. v. *Citorius.*

Alter vero (*Ficoronius*) (rejecta opinione illa de *columna citatoria*, vel a citandis ex ea tribubus centuriisve ad ferenda suffragia in Campo Martio, vel ab *citationibus*, edictisque in ea affigendis, dicta) verisimile putat, post vastitates Romæ allatas, cum vias, Tiberi maxime proximas, aggestis ruderibus impeditas romani expedire vellent, citata ac tumultuaria opera raptim adsportata congessisse in ea Campi Martii parte: atque inde, h. e. a voce *cito* (qua voce barbara illa ætas operas admodum festinatas denotabat) collem dictum esse *Citorium*. Id autem eo confirmat, quod ejusmodi sensu etiam nunc vox tenet in Latii oppidis; ubi, vernaculo adhuc informi sermone, *cito*, aut *cetto*, quod properantius factum faciendumve sit, dici solet. *Ficoron. le vestig. di Rom. ant. l.* 1. *cap.* 10. *pag.* 136. *edit. rom.* 1744.

Quidquid sit de collis nomine, *Innocentii XII.* certe providentia magnificentiaque moles ibi ab eo excitata dignissima est: quæ quidem a nobis peritissimi Architecti mentionem extorquet. Fuit is Eq. *Carolus Fontana* Caroli Francisci fil. x. cal. majas an. 1638. in pago *Rancate* diœcesis comensis natus. *Alexandro VII. Clemente IX. Clemente X.* & *Innocen-*

nocentio XI. regnantibus, inter pontificios Architectos secundas tenuit; deinde vero ab Eq. *Laurentii Berninii* obitu primas ad ann. usque 1714. qui egregii Viri postremus fuit. Decessit VIII. id. februar. Habes elogium in *vol. 2. notiz. istor. degli Arcadi morti*, a *Crescimbenio* scriptum, ubi & operum indicem.

6 *non rostra*] Triumphalium in ædibus spolia quoque navalia suspendebantur. Virg. de *Latini* regia *an.* 7. 183.

Multaque praeterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvaeque secures,
Et crista capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculaque clypeique, ereptaque rostra carinis.

Cic. *Phil.* 2. 28. *An tu illa in vestibulo rostra, & hostium spolia cum adspexisti, domum tuam te introire putas?* Domum enim possidebat *Antonius*, quæ fuerat *Pompeii M.* in qua ea erant liberati a prædonibus hostibusque maris insignia.

7 *Agrippa*] M. Agrippa a partus difficultate, pedibus prius emersus, quasi *agre partus*, dictus, e *Vipsaniorum* gente, *Caesari Augusto* amicitia, cognatione, virtute conjunctissimus, omni militiæ genere præstabat, sed navali gloria magis enituit; præsertim vero cum præfectus universæ classi *Sextum* Pompeii fil. piraticam apud Siciliam exercentem, contra quem antea cum *Augusto* dimicaverat, navali prælio delevit; quare corona rostrata ab *Augusto* donatus est: & cum sub *Actia* Acarnaniæ oppido maritimo sinistrum classis cornu regens, dextrum *Augusto* ipso regente, M. *Antonium* oppressit. Ad utrumque factum respexit *Virg.* ubi Æneæ clypeum describit, *an.* 8. 675. & seqq.

In medio (clypei) *classes aeratas, Actia bella,*
Cernere erat . . . .

. . . .

Hinc

Hinc Augustus agens italos in prælia Cæsar,

. . . .

Parte alia, ventis & diis, Agrippa, secundis,
Arduus, agmen agens: cui belli insigne superbum
Tempora navali fulgent rostrata corona.

Tota est ad *Agrippam* Horat. od. VI. lib. 1. cujus initium:

Scriberis Vario fortis, & hostium
Victor Mæonii carminis alite,
Quam rem cunque ferox navibus, aut equis
Miles te duce gesserit.

Res ab *Agrippa* gestas habes apud *Dionem*, *Appianum* &c.

21 *puteal*] Puteal proprie *putei* operculum, recte interpretatur *Pompon. l.* 13. §. *ult. l.* 14. 15. *Dig. de act. empt.* Fuit Romæ *Puteal* Scribonii Libonis ad arcum Fabianum: de quo *Porphyr.* in *Hor.* 1. 19. 8.

. . . . . . *Forum Putealque Libonis*
Mandabo siccis (sobriis) . . . . . .

Puteal *autem Libonis sedes prætoris fuit prope arcum Fabianum, dictumque, quod a Libone illic primum tribunal & subsellia locata sint.* Dubitationem vero injicit *Acro* in *Hor. sat.* 6. 35.

Roscius orabat sibi adesses (advocatus) *ad Puteal cras.* Ubi ille = Puteal *locus Romæ, ad quem veniebant fœneratores: alii dicunt: in quo tribunal solebat esse prætoris.* Festus autem diversus abit = *Scribonium appellatur ante atria tribunal, quod fecit Scribonius, cui negotium datum fuerat, ut conquireret sacella attacta, iisque illud procuravit; quia in eo loco attactum fulgure sacellum fuit. Quod ignoraretur autem, ubi esset, ut quidam, fulgur conditum, quod cum scitur, nefas est integi, semper foramine ibi aperto cœlum patet.* Denique *Dionysius* 3. p. 204. miraculo cotis *Navii* narrato, ha-

bet

bet = *Nec multum ab ea* (statua Navii) *dicitur esse eadem cautes & novacula sub altari subterraneo: diciturque a romanis locus iste puteal*. Quid igitur in tanta sententiarum varietate? Ex allatis Horatii locis atque ex Ovidio *de remed. amor.* 561 de fœnorum debitoribus

Qui puteal, Janumque timet, celeresque calendas

certe colligendum videtur, *puteal* ad tribunal & ad judicia pertinuisse. Neque vero *Acronem* contemnimus dicentem, ad *putealis* locum toculliones (*usuraj*) convenire solitos: præsertim quod verba Ovidii *qui puteal Janumque timet* ad ejus sensum intelligi possint, eique certe faveant *Pers. sat.* 4. 49.

Si puteal multa cautus vibice flagellas.

& *Cic. pro Sext.* = *Puteali & fœneratorum gregibus inflatus* (al. *infestatus*) *atque perculsus*. Aut enim duplex fuit *puteal*, aliud *Libonis*, ubi tribunal, aliud *Naviana cotis*, ubi fœnora tractarentur: vel si unum fuerit, ex utriusque rei proximitate potuit & *tribunal* & *fœnora* significare. *Puteal* illud, si unum fuit, constructum opinamur, sive quod locus fulmine tactus esset, uti *Festus* tradit, vel uti *Dionisius*, Navii cotis servandæ caussa. Sed *Libonis puteal* a *puteali*, in quo cos & novacula *Navii* defossa, longe alium fuisse copiose admodum docet *Salmasius exercit. in Plin. p.* 801. & *seqq.* Effigies autem *putealis Libonis* instar aræ exprimitur in duobus antiquis nummis *Libonis* & *Lepidi* apud *Augustin.* dial. 4. *Torrentius* vero in *Horat.* 2. *sat.* 6. 35. = *nummi veteres* (ait) *quos ego servo, aram coronatam repræsentant, adscripto* Scribonii Libonis *nomine: quod ille aram hanc, ut arbitror, aut instituisset, aut instaurasset forte in magistratu*. Totum videsis in *edition. hackiana* Horat. 1670. *pag.* 575. uti & *Pers.* Scholiast. *ejusd. edition.* 1664. *pag.* 568. 569.

aa ce-

22 *codex*] Habes hic vocem *codex* prorsus latine & ad *Jacobi Martorellii* mentem usurpatam. Ipsum afferimus. *Ajo igitur* codices *non audivisse apud beatioris ætatis scriptores quasvis librorum species, uti nunc universi rentur ab latinæ linguæ optimis parentibus degeneres; verum fuisse voluminum genus longe restrictius accipiendum, quam eruditorum fert opinio; imprimisque eos libros, qui publicæ auctoritatis essent, hinc jure definit, atque opportune satis Seneca de brevit. vit. cap.* 13. *pag.* 509. *ann.* 1672. publicæ tabulæ codices dicuntur: *cujus* synonima *dicas syngraphas, instrumenta causarum & litium, stipulationum, aliorumque contractuum, tabulas testamentarias, nuptiales, edicta pretorum atque interdicta; imo quæ barbare* publica documenta *causidici viri appellitant*. Rem autem pluribus strenue pro suo more confirmat. *Martorell. de reg. theca calam. edition. neapol.* 1756. *vol.* 1. *pag.* 259.

23 *chirographa*] Quod nostra manu scripsimus grece *chirographum* dicitur. *Juvenal.* sat. 13. 37.

Si decies lectis diversa parte tabellis
Vana supervacui dicunt chirographa ligni,

h. e. propria manu in ligneis tabellis ceratis perscripta. *Planc.* ad *Cic. famil.* 10. *ep.* 21. = *Laterensis suo chirographo* (di suo pugno) *mittit mihi litteras*. Specialiter est scriptum, in quo quis sua manu alicui aliquid promittit, aut creditoribus suis cavet, ut in allato *Juven.* loco, *Cic. famil.* 7. *ep.* 18. *ad Trebat. JCtum* = *quando vestra cautiones infirmæ sunt, graculam tibi misi cautionem chirographi mei*. Quare latini manum pro *chirographo*, & chirographum pro *manu* dixere. *Sen. de ben.* 3. 15. = *Ille non est interrogatione contentus, nisi reum sua manu tenuit, idest suo chirographo*. Sueton. *in Aug.* c. 87. 7. = *Notavi & in chirographo ejus* (idest

in

in manu ejus) *illa præcipue*. Inter *chirographa* & *syngraphas* quid intersit, habet *Ascon. in Verr.* 3. c. 36. In *chirographis*, quæ vere gesta sunt, scribi solent: in *syngraphis* etiam pactio venit contra fidem veritatis; & non numerata pecunia, aut non integre numerata, pro temporaria hominum voluntate, scribi, solet, more institutoque græcorum. Præterea *chirographa* ab una parte servari solent; *syngraphæ* signatæ utriusque manu utrique parti servandæ traduntur.

44 *proh pudor!*] In eandem sententiam teutonicis versibus exsecrandam causidicorum quorundam & judicum ingluviem paucis ab hinc annis descripsit *Fridericus Guilielmus Zacharias* poeta borussus in carmine a *Carolo Bellio* italice summa elegantia reddito, cui titulus = *il mattino, il mezzodì, la sera, e la notte* = *edit. bassan.* 1778.

Quanto è tristo colui, che sulla soglia
Del potente Signor da i servi audaci
Schernito siede a dimandar del pane;
O il misero villan, che all'irto crine
Tolto l'ispido feltro il passo incerto
Timido move all'odiata casa
D'un Giudice venal! Ciò che sol puote
Il suo povero tetto offrire in dono,
Di Temide agli altar sugli omer reca,
Belante agnello, o della chioccia i figli.
Pur jer sudò sull' arenose rive
Tra i folti giunchi, e tra l'algose canne
La più pingue a predar lucida trota,
Onde imbandire all' Avvocato ingordo
La lauta mensa: ed or fuor delle stanze
I pigri giorni invan doglioso attende
Non curato cliente: oh quante volte

Vol-

Volger dovrà di Temi al tempio il piede;
Finchè d'abitator privo, e coperto
Sia di ſquallore il ruſticale albergo,
E ſol di Temi al barbaro miniſtro
La meſſe, ahi duol! ne' campi ſuoi maturi!

49 *popano*] Erat *popanum*, latina appellatione *panificium* a Sueton. dictum in *Veſpaſ.* c. 7. placenta lata, tenuis, orbicularis, teſte *Suida*. Earum placentarum uſum fuiſſe in ſacrificiis indicant *Ariſtophan.* in *Pluto*, & *Lucian.* in *ſacrificiis*. Juvenal. *ſat.* 6. 540.

. . . . anſere magno
Scilicet, & tenui popano corruptus Oſiris.

Nam *ex Herodoto* lib. 2. anſere & popano *Iſidem*, *Oſiridem* & *Anubidem* ægyptii colebant.

69 *& ſenior famulus*] Famulus iſte ſenior, qui domino dictat nomina, eo fere munere fungitur, quo apud veteres is, qui *nomenclator*, ſeu *nomenculator* dicebatur: cujus erat extra domum *candidatum*, h. e. eum, qui magiſtratum peteret, monere, quo nomine quiſque civis, qui in ſuffragiis aliquid valeret, appellaretur, ut eum nominatim compellando prenſare poſſet, ejuſque ſibi gratiam conciliare; domi vero eos nominatim compellare, qui mane ſalutatum advenisſent. *Horat.* 1. *epiſt.* 6. 50.

Mercemur ſervum, qui dictet nomina; lævum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere. . . . .

Ubi vid. Scholiaſt. *Cruquium* in *edit. hackiana* 1670. *pag.* 644.

107 *non iterum domitos Cæſar*] Sueton. *in Jul. Cæſ.* 37. = *Primum & excellentiſſimum triumphum egit* (Cæſar) *gallicum ...... Gallici triumphi die Velabrum prætervehens pæne curru excuſſus eſt, axe diſtracto: aſcenditque Capitolium ad lumi-*

mina, quadraginta elephantis dextra atque sinistra lychnuchos (lumiere) *gestantibus.*

Pompa triumphalis (h. e. spoliorum, tropæorum, iisque suppositarum captivorum ducum victarumque regionum imaginum &c. ordinata gestatio) in *Campo Martio* instructa, imperatore, qui triumphabat, ad portam interim præstolante, cum inde moveri cœpisset, primum ante frequentissimas porticus & templa in *Campo Flaminio*, tum juxta *Octaviam porticum* procedebat; deinde *Circum Flaminium* trajiciebat, quo egressa *Portam triumphalem* subibat; unde juxta *Marcelli theatrum* ferebatur, ac per medium *Velabrum*, & *forum Boarium* veniebat ad *Circum Maximum*: inde autem ad lævam conversa ad *Curias veteres* tendebat; atque hinc alio flexu ad *Sacram viam*, a qua in *Forum* descendebat, quod circumire necesse erat, ut populus ibi cummaxime frequens commode spectare posset: tum juxta *Saturni Templum* ascendebat, iterum flexo curru, in *Capitolium*. De triumphali pompa Cic. *in Pison.* 25. ubi ita *Pisonem* differentem de triumpho inducit. *Quid tandem habet iste currus? quid vincti ante currum duces? quid simulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis & tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? inania sunt ista, mihi crede; delectamenta pene puerorum, captare plausus, vehi per urbem, conspici velle &c.* Tacitus autem *annal.* 2. 41. *edition. elsevir.* 1672. *pag.* 213. Germanici triumphum narrat. = *Germanicus Cæsar a. d.* VII. *kal. junias triumphavit de Cheruscis Cattisque & Angrivariis, quæque aliæ nationes usque ad Albim colunt: vecta spolia, captivi, simulacra montium, fluminum, præliorum .... &c.* Ovid. denique *Trist.* 4. 2. 37.

Hic lacus, hi montes, hæc tot castella, tot amnes,
Plena feræ cædis, plena cruoris erant.
. . . .
Cornibus hic fractis viridi male tectus ab ulva
Decolor ipse suo sanguine Rhenus erit.
Crinibus en etiam fertur Germania passis,
Et ducis invicti sub pede mæsta sedet.

Et *lib.* 2. *epist.* 1. *ex Pont.* 37.

Protinus argento versos imitantia muros
Barbara cum victis oppida lata viris.
Fluminaque & montes, & in altis pascua silvis;
Armaque cum telis in strue mista suis.

Machina, seu gestamen, quo spolia, signa oppidorum, fluminum regionumque, in triumpho transvehebantur, ab *inferendo* dicebant *ferculum*; qui (ut *Plutarch.* in *Romulo*) stipes fuisse videtur, cujus in vertice tranversus erat brevius lignum ad crucis modum. Inter fercula Cæsar prætulit & titulum. *Sueton.* in *Jul. Cæs.* 37. = *Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum* Veni. Vidi. Vici. *non acta belli significantem, sicut ceteri, sed celeriter confecti notam.* Ea omnia, quæ præferebantur, *apparatum triumphi* appellat *Patercul.* 2. 56. *edition. backian.* 1668. *pag.* 183. *Cæsar quinque egit triumphos. Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho* (arbore ægyptia), *Alexandrini testudine, Africani ebore, Hispaniensis argento rasili* (liscio) *constitit.* Dabis vero nostro Satyrico veniam, si contra *Paterculi* auctoritatem posuit *Rhenus eburnus*, pro *Rhenus citrinus*. Ad *Africanum* respexit *Quintilian.* l. 6. c. 3...., *Chrysippus, cum in triumpho Cæsaris* (africano) *eborea oppida essent translata, & post dies paucos Fabii Maximi lignea,* thecas esse oppidorum

Cæ-

Cæſaris *dixit*. In *gallico* Cæſaris triumpho *Maſſiliam fuiſſe per Urbem portatam*, habet Cic. *l.* 2. *de offic.*

Currus autem *triumphalis* erat quadrijugus. *Albinov.* ad Liviam. 168.

. . . . *quadrijugis aureus ibis* (Druſus) *equis*.

Quatuor vero equi albinc ſemper fuerint (quod nonnullis *Servium* ſequutis placuit) non eſt ita certum. De *Romulo* Propert. 4. 1. 32.

Quatuor hinc albos Romulus egit equos.

Camillum equis albis uſum tradunt *Liv.* 5. 23 & *Plutarch.* in *Camillo*; ubi = *Quatuor equos albos adjunxit ad currum* (non sine invidia, ait *Livius*) quod *Jovis Soliſque equis æquiparari* viſus fuerit) *eoque Romam eſt ingreſſus, quod nemo imperatorum neque ante, neque poſt ipſum fecit*. Servius ad *æneid.* 4. 543. uti rem ſolemnem tradit = *qui triumphat, albis equis utitur quatuor*. Sed *Servius* forte, uti & ceteri, qui *equos albos* memorant, ad ſua tempora reſpexit. *Plutarch.* autem, cum dicit, neminem imperatorum poſt *Camillum* equis albis Romam ingreſſum, intelligendus (credo) eſt de florente republica, non de Cæſarum ætate. Nam Tibul. 1. *el.* 7.

At te victrices lauros, Meſſala, gerentem
Portabat niveis currus eburnus equis.

Erat *triumphalis currus* vehiculum non quadratum, uti male depictum aliquando eſt, ſed rotundum. *Zonar.* vol. 2. p. 31. *Currus non erat ſimilis ei, cujus eſt uſus in certaminibus ludicris, nec cujus uſus in bello, ſed rotunda figura inſtar turricula conſtructus*: Intelligas tamen, non de toto vehiculo, ſed de capſa, quam conſcendebat occupabatque triumphans, quæ rotunda erat, & in ambitum clauſa. Rotas habebat duas; ſtans in illo erat triumphans: quod nummi docent, & *Ovid. lib.* 3. *epiſt.* 4. *ex Pont.* 35.

Illa Ducis facies in curru stantis eburno?

& Juven. sat. 8. 3.

, . . . & stantes in curribus (triumphalibus) *Æmilianos.* Ex *Valer. Max. lib.* 4. *c.* 4. *n.* 5. ubi de *Attilii* paupertatate, colligitur alium ab ipso triumphante non fuisse aurigam. *Quaque* (manus Attilii) *modo arantium boum jugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt.* Ad materiem quod spectat, ante Cæsarum ætatem, ex *Liv.* 10. 7. & *Prop.* 1. 16. 3. erat inauratus: sub Imperatoribus aureus fuisse videtur, ex *Horat.* epod. 9. 21. quod probare nititur *Turneb. advers.* 2 *c.* 16. Sunt tamen, qui putent *aureum* dictum pro fulgentem eximieque ornatum. Sæpe fuit eburneus: ut ex allatis *Ovidii*, & *Tibulli* locis. *Albinovan.* quoque ad *Liviam* 169,

Regalique habitu, curruque superbus eburno,
Fronde triumphali tempora vinctus erit.

Denique dum triumphans conscendebat, ita precabatur: *Dii . nutu . & . imperio . quorum . nata . & . aucta . est . res . romana . eandem . placati . propitiatique . servate.* Rosin. *antiq. rom,* 10. 29. Nicol. *de triumph.* Panvin. *de triumph.* apud *Grav.* Scheffer. *de re vehicul.* 2. 13. Demster. *in Rosin. antiq,*

136 *centum quippe vices*] Aurigarum insolentiam atque inhumanitatem, crudeli dominorum arrogantia & fastu quandoque nutritam, optime notat in aureo libro, quem, de nostræ ætatis luxu, christianæ, idest veræ, philosophiæ stilo sane robusto atque eleganti scripsit *Joannes Baptista Robertius edition. neapol.* 1777. *pag.* 27. quem librum o utinam nobiles nostri nostræque nuptæ, abjectis Voltærianis aliisque sæculi nugis, assidue perlegerent. Clarissimi auctoris si verba ipsa hic afferre prætermitteremus, quasi pro piaculo nobis esse arbitraremur. *Pare una qualche irrazionalità, che*

chi

chi è lieto di poter camminare sedendo entro a un soffice carro assetti il lusso eziandio nella velocità e nel rumore, con insulto e con pericolo di chi cammina sulle sue gambe, e non ritrova asilo. Dunque il cocchiere nel corso potrà essere inumano, quanto il granatiere nel campo? Dunque i canoni della sua arte saranno tanto severi e sanguinosi, che dopo un urlo o al più una bestemmia, possa impunemente frangere un braccio, o una coscia? Che importa a me, diceva una povera madre piangendo, che le rote di dietro, e non quelle dinanzi, abbiano schiacciato il mio figlio, se egli muore?

212 *anseris*] Anseres & romani compositis cibis bene saginabant, quorum præcipue jecur mulso, lacte, carica (*fichi secchi*) fartum summis in deliciis habebant. *Juven.* sat. 5. 114.

Anseris ante ipsum magni jecur......

Perf. sat. 6. 71.

Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis.

Martial autem luculentius *libr.* 13. *epigr.* 58. cujus lemma *jecur anseris*:

Adspice quam tumeat magno jecur ansere majus!
Miratus dices: hoc, rogo, crevit ubi?

239 *flammeolum*] Fuit *flammeum*, vel *flameum*, non longus amictus, qui ad pedes usque demissus in humerum rejiceretur; sed genus veli crocei seu lutei, quo sponsæ utebantur, ne proderetur virginis rubor, aut si quid ruboris appareret, e velo id esse, non e genis putaretur. A flammeo colore ita dictum. Putant nonnulli a *Flamine* dici, seu *Flaminica* uxore *Flaminis*, quæ, ut *Festus* ait, *flammeo* semper utebatur: atque inde institutum fuisse, ut etiam novæ nuptæ id amiculi genus gestarent boni ominis caussa, & in signum indissolubilis conjugii: quandoquidem *Flamini* non erat permissum cum uxore divortium facere. Sed prima opinio

magis placet. Nam & *flammearii*, teste *Festo*, *dicuntur infectores flammei coloris*, *ut violarii violacei coloris*; & apud Plaut. *Aul.* 3. 5. 36.

Flammearii, *violarii*, *carinarii*, h. e. cerei coloris infectores. Immo *Flamini* potius a *flameo* nomen esse videtur. Vid. Voss. *vol.* 1. *edition. reg. neapolit.* 1762. v. *Flamen pag.* 224. Quintilian. *declam.* 306. ad vetulam nubentem = *Operis flammeo canos*. Tacit. *annal.* 15. 37. de Neronis propudio = *inditum Imperatori flammeum*. Contra vero D. Hieron. in *epitaph. Paullæ*, ut virginem denotet consecrandam = *Neptis Christi flammeo reservatur*.

Lutei coloris fuisse *flammeum* docent *Plin.* 21. 8. *Lutei coloris video honorem antiquissimum*, *in nuptialibus flammeis totum feminis concessum*: & *Lucan.* l. 2. v. 361.

Lutea demissos velarunt flammea vultus.

Quod autem ad caput vultumque velandum maxime pertineret, aperte habes cum ex allato *Lucani* loco, tum ex *Martial. lib.* 12. 42. 3.

Præluxere faces; *velarunt flammea vultus*.

atque ex *Ovid. Fastor.* 3. 690.

. . . . *deducitur illuc*

Anna tegens vultus,(utique flammeo) *ut nova nupta suos.*

Animadvertas tamen veteri quidem voce usum esse *Sectanum*, sed ad veterem *flammei* ritum minime respexisse.

262 *dimidios homines*] Pessimum hunc, naturæ hominumque generi maxime injuriosum (quo nostra præsertim Italia fœdatur) evirationis morem, indigna quæstus & musicæ voluptatis caussa receptum, contra divinarum humanarumque utriusque potestatis legum ac Patrum auctoritatem, jure ac merito vituperat *Sectanus*. De probrosa ejusmodi exsectione, quæ acutas quotidie voces Musicæ suppeditet, copiosissime

Theo-

Theophilus Raynaudus in opusc cui titulus = *Eunuchi nati, facti, mystici &c. in volum. XV. edition. lugdun.* 1665. qui §. V. hæc habet = *Invenit tamen Satan, in hominis deformationem, sin minus cladem, semper intentus, prætextum alium, quo videatur honestari posse excisio; nempe necessitatem vocis acutæ ad concentus musicos &c.* Miror autem, idemque indignor, nonnullos fuisse Theologos, imprimis *Pasqualigum*, qui futilibus argumentis castratorum causam defenderint: quos *Raynaudus* strenue refutat.

270 *&* *nomen honesta*] Muratorius *Annal. italic.* ad an. 1690. quartum circiter ante scriptam satyram = *Erano già passati molti anni, che in queste Provincie* (d'Italia) *si godeva la tranquillità della pace; e però ad altro non si pensava, che a divertimenti e piaceri. La Musica, e quella particolarmente de' Teatri, era salita in alto pregio, attendendosi dapertutto a sontuose Opere in Musica, con essersi trasferito a decorare i Musici e le Musichesse l'adulterato titolo di* Virtuosi *e* Virtuose.... *Invalse in questi tempi l'uso di pagare le ducento, trecento, ed anche più doble a cadauno de' più melodiosi Attori ne' Teatri, oltre al dispendio dell' Orchestra, del vestiario, delle scene, delle illuminazioni.... Roma stessa, essendo cessato il rigido contegno di Papa Innocenzo XI. cominciò ad assaperare i pubblici sollazzi, ne' quali nondimeno mai non mancò la modestia.... Ma eccoti la guerra, gran flagello dei poveri mortali, che viene a sconvolgere la quiete dell' Italia, e i suoi passatempi.* Proximis vero temporibus arma simul strepere & theatra personare vidimus, Mediolani præsertim an. 1746. quare *Castruccius* ille *Bonamicius* cæsariano stilo celebris *commentar. de bello ital. lib.* 3. *prim. edition. pag.* 5. = *Omnia omnibus viis ad oppugnandam arcem necessaria Mediolanum conferebantur: jamque, aggere jacto, collocabantur*

tormenta: neque minus interea duces praefectique copiarum intra tecta urbis recepti scenis ludisque oblectabantur; prorsus ut videre esset, & belli apparatu, & otii deliciis eandem fremere urbem ac lascivire.

306 *Attamen has vivas*] Iterum hic afferendus *Guillelmus Zacharias*, quem superius *enarrat.* 44. attulimus, in carmine inscripto = *il Mezzodì*.

E intanto un uom, che d'uom non merta il nome,
Obbrobrio di natura, in sulle scene
Sol perchè sa sonar feminea voce,
Nota fra le ricchezze; e gemme ed oro
Piovono in seno dell'ingorda attrice;
E carca di tesori, al patrio lido
Torna oltre l'alpi la saltante mima.
Portan seco costor lo scorno eterno
Di chi l'arte divina, onde s'impara
La lingua degli Dei, disprezza e abborre,
Come inutile all'uom. Non util dunque
Sarà l'arte di Febo; e quei lo dice,
Che un trillo acuto, una lasciva danza
Premia con l'oro, ond'è a poeti avaro?
Son pure i carmi, che un sensibil core
Guidano alla virtù con dolce incanto;
Essi son pur, che da i tardi nepoti
Cantar s'udranno nell'età venture.
O Prenci, o Eroi, che tanto della fama
Cupidi siete, e di un eterno nome,
Chi può torvi all'oblio? La danza, il canto,
O il favor delle muse? Ignobili ombre
Varcato avriano la Letea palude
Senza il canto d'Omero Achille e Ulisse,

La

La cui memoria avrian consunta gli anni.
Di Mecenate saria forse il nome
D'un Prence o d'un Ministro eterna lode,
Se vincitor de' secoli più tardi
La cetra nol rendea di Flacco e Maro?
Nò dalla polve, ove i Monarchi ancora
Giacciono a cento a cento, un chiaro Eroe
Sorger non può, se chiara tromba o cetra
Di lui non parli; e se un felice cigno
Al freddo sasso non ne tolga il nome.

Acriori autem stilo multo ante *Salvator Rosa* in Sat. 1. *de Musica edit. pseudoamstelod.* 1770. pag. 18.

Musica mia, non so se sì molesti,
Come sen ora i professori tuoi,
Eran già que' martelli, onde nascesti.
Tu senza colpe ne venisti a noi;
E se adesso ne vai piena d'errori
E' perchè capitasti in man de' buoi.
Eppure a questi sol si san gli onori,
Questi cercati son da sesto esperto,
E pronti a cenni lor stanno i tesori.
Questi trovan per tutto l'ampie offerte,
Gli stipendj, i salarj, a man baciata
Erarj, scrigni, e guardarobe aperte.

Cæterum de sæculi vitiis in re musica, præsertim theatrali, & de ratione suæ dignitati eam restituendi, perbelle sapienterque Cl. *Xaverius Matthaius* noster in Dissertatione, cui titulus = *la Filosofia della Musica* = *vol.* 5. illius *oper. secund. edit. neapolit.* 1773. *pag.* 287. Nisi tamen sæculi mores prorsus immutentur, & maxima fiat rerum atque animorum conversio, pulcherrima, quæ tradit, documenta boni sani-

que

que homines (qui pauci admodum sunt) neglecta dolebunt. Quis enim in tanto voluptatis furore bene vivendi rationem, idest sapientiam, in theatris musicisque modis quærat? Alia nunc sunt ab iis tempora, cum ad theatrales actiones

. . . . . populus numerabilis, utpote parvus,
Et frugi castusque verecundusque coibat.

SA-

SATYRA XV.

ARGUMENTUM.

Morti proximus quidam Romæ non illiteratus Grammaticus amicos rogavit, ut quamplurima sua scripta ex abaco extracta & coram allata ante lectulum cremarentur. Eo vixdum vita functo, rumor in vulgus manavit, fato Sectanum cessisse: quæ quidem opinio adeo tunc temporis omnium animos occupavit & affecit, ut assueta carminum voluptati, qua maxime tenebatur, illorum desiderio Urbs tota mœrore conficeretur. Qua capta occasione, ex paucorum dierum intervallo hanc satyram præ ceteris pulcherrimam. edidit Sectanus. Ab occursu Ligurini eam exorditur; qui visum forte Sectanum ab inferis, ut putabat, reducem curiose interrogat, quæ viderit apud tartara, quid egerit, quo tramite felix ad superos remearit. Sciscitanti apte eruditeque respondet, totamque rei seriem exponit elegantissime; salibusque consuetis tam graves miscet, in exitu præsertim carminis, de brevitate vitæ sententias, de rerum humanarum fuco, ævique immortalis proximo commercio, ut, damnatis sæculi illecebris, saniora consilia legentibus insinuet. Satyram inscribere licet: Sectanus redivivus.

TEn' video? an vana me ludis imagine? dextram

Por-

1 *ten'*] pro *te ne*, ut *tun'* pro *tu ne*. Ex abrupto *Ligurinus* amicus,

Porrige: luminibus non credam. Parce timori
Et lacrymis, Ligurine, tuis. Defunctus acerbo
Funere, tarpeias iterum redivivus ad arces
Accedo. Sacris ignoscit vatibus orcus;
Et nova lanificæ subtexunt fila sorores.
Tu ne igitur nigros latices, tortoque colubro
Eumenides cultas, tu plenos sulphure rivos,
Et leges duri potuisti evadere regni?
Fare age: qui mores erebi? qua gente coluntur
Tænariæ secreta domus? Caligine postquam

Lon-

cus, qui, viso præter omnem spem *Sectano*, admiratione plenus, fuisque oculis plane diffidens, larvam sibi potius occurrisse putat: quare dextram vult jungere dextræ, ut tactus experimento certior fiat. *Ligurinus* idem est qui in *sat.* 4. 6.

2 *parce*] amico Ligurino *Sectanus*.

3 *defunctus*] Grammaticus in Urbe non obscuri nominis defunctus erat. *Sectanus* tamen, ut famæ per Urbem serpenti obsequatur, id sibi accidisse narrat: atque inde argumentum materiemque desumit scribendi.

4 *tarpeias*] Capitolium pro tota Urbe.

6 *sorores*] Parcæ, quibus permissum est in fabulis humanæ vitæ lanificium.

7 *nigros latices*]. Notissima apud *Virgil. æn.* 6. inferorum descriptio. Omnia hic ex illa fabula.

8 *Eumenides*] Furiæ infernæ. *colubro*] Sicuti matronæ ad augendum decorem solebant jam crines inflectere, ut serperent; ita *Eumenides* serpentibus ornantur, & anguium cincinnis horridam formæ gratiam exasperant.

9 *& leges*] Nam ex *Virg. æn.* 6. 126. = . . . *facilis descensus averni*: = *Noctes atque dies patet atri janua Ditis*: = *Sed revocare gradus superasque evadere ad auras* = *Hoc opus, hic labor est*...

11 *tænariæ*] loca inferna a *Tænario* promontorio in Lycaonia; ubi,

ex

Longa reluctantes mihi nox occluſit ocellos,
Cæcum iter ingreſſus, nuduſque & corporis expers
Perveni ad ripam, ſtabant ubi pulvere belli
Mille animæ informes, laceræ ſcapuliſque minores,
Poſcebantque vadum pigræ tranare paludis.
Mirabar truncos artus, & vulnera crudæ
Pluſquam ſufficerent morti; cædiſque petenti
Auctorem magnus ſonuit Veteranus in aures;
Quo duce biſtoniæ ceciderunt cornua lunæ,
Et fera cæſareo ſervata eſt Dacia regno.
Has tamen immiti gibboſus navita conto
Reppulit; & ſtygias tranſmittere noluit undas

Ex-

ex poetarum fabulis, horrenda & altiſſima caverna, per quam ad inferos ſit deſcenſus; atque inde Cerberum canem Hercules extraxit. *caligine*] *Sectanus* narrat.

12 *longa nox*] Mors natura invitum hinc coegit emigrare. Bene *longa*, quæ finem non habet.

14 *ſtabant*] Circa ea tempora ſtrenuus in Cæſareo exercitu dux *Veteranius* inſigni clade Turcas affecerat. Sumpta ingenioſe occaſione, tanti Viri virtutem laudat.

15 *animæ*] Turcarum ſcapulis aliiſque membris fœde obtruncatorum.

18 *pluſquam*] vulnera, quibus vel multo minora crudeli morti ſufeciſſent.

19 *Veteranus*] Vid. *enarrat.*

20 *quo duce*] Dacica regio, (hodie Tranſilvania, & Hungariæ finitimarumque provinciarum pars) ea barbarorum clade ſervata, in fide ac poteſtate *Leopoldi* Cæſaris permanſit. *biſtoniæ*] Luna bicornis *biſtonum*, ſeu *thracum*, ſeu *turcarum*, inſigne.

22 *navita*] Erebi Noctiſque filius *Charon*, ex *Virg.* animarum *portitor*.

Expertes tumuli: nam fœda cruore jacebant
Corpora pannonicis convivia lurida corvis.
Hærebam tacitus, nec compellare phaſelum
Auſus ab obſcœno ſtagni rumpebar odore:
Namque illic fœtor, qualis graſſatur in ædes,
Cum veteres paleas & tritos cimice lectos
In triviis urit turpis muliercula. Tuſſis
Prodidit invitum. Clamat tunc portitor: heus tu?
Unde es? quo properas? quæ tanta licentia? nomen
Ede prius. Veſtras ſubeo novus hoſpes arenas,
Sectanuſque vocor. Sectanus? nil moror: ultro
Ingredere, & noſtram generoſo pondere cymbam
Fas onerare tibi: noverunt tartara, & ipſæ
Elyſiæ valles reſonant tua carmina: nunquam

Tranſ-

24 *expertes tumuli*] Defunctorum animas, inhumatis corporibus, a tranſitu ſtygiæ paludis arceri putabant *ethnici*: qua ex opinione tot umbrarum millia ſibi in littore occurriſſe narrat *Sectanus*, eaſque a *Charonte* remo repulſas.

25 *pannonicis*] hodie hungaricis.

26 *phaſelum*] pro phaſeli portitore. Flumen tranſire volentes iterare ſolent: *eh barcajuolo*.

30 *in triviis*] Æſtivo tempore ſolent Romæ pauperes mulierculæ noctu ſtramenta (*i pagliacci*) flammis dare in plateis, unde fumo ac fœtore tota vicinia afflata conqueritur.

33 *veſtras*] Charonti reſpondet *Sectanus*.

34 *Sectanus?*] Sectano ſtatim officioſus Charon.

35 *generoſo*] nobili & illuſtri.

37 *elyſiæ*] ubi beatorum animæ.

Tranſvexi majorem animam, pinumque ſubegi,
Infernas poſtquam venit Lucilius oras.
Hæc inter ſulcabat aquas male ſarta carina,
Tædaque vix pigros ſuperabat remige fluctus,
Cum læva attollens oculos, ſine ſanguine vidi
Exiles vultus, triſtes, motuque carentes,
Intentoque cavam ſpectabant lumine pinum.
Quin ipſas labris haurirent fontibus undas;
Sed prohibet vultur, roſtro qui ſicca rapaci

Vi-

38 *pinumque*] pro ipſa cymbula.

39 *Lucilius*] Poſt tranſvectum *Lucilium* ſatyricorum principem teſtatur *Charon* nullam *Sectano* majorem animam ad elyſios trajeciſſe. Ergo Horatius, Juvenalis, Perſius, *Sectano* minores? Penes litteratos judicio acerrimos judicium eſto. Mihi quidem videtur, minime illis ceſſurum fuiſſe, ſi eadem vixiſſet ætate, qua latina lingua florebat, & cum impunis erat ſcribendi libertas, tum majora in maximo imperio vitiorum monſtra debacchabantur.

40 *male ſarta*] Virg. *ſutilis*: nos; *rappezzata*.

41 *tæduque*] Tæda, arbor picea pro pino, pinus pro cymba, ex *Juven.* ſat. 12. 59. = *I nunc; & ventis animam committe, dolato* = *Confiſus ligno, digitis a morte remotus* = *Quatuor ac ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda.* = [*pigros*] pice & ſulphure lutulentos. Duodecim & centum, qui ſequuntur, verſus in editis exemplaribus non habes.

42 *ſine ſanguine*] Damnatorum ſupplicia apud inferos deſcribere aggreditur: quos inter primo loco moroſum deſignat hominum genus, vulgo *ſeccatori*, eoſque exiles, macilentos, ac prope exſangues repræſentat.

46 *ſed prohibet*] Gens iſta labris exſiccandi cupidiſſimis ſtygias ipſas undas exſiccaret, ni vultur, ut *Tityi*, (quod eſt in fabulis) ſic eorum jecori paſcendo addictus, dilaniando prohiberet.

Viſcera dilaniat, jecorique ſuperbus inhæret.
Non unus mihi notus erat, facieſque videbam
Inviſas olim. Quæ monſtra hæc? navita, clamo;
Talia quod meruit poſcitque piacula crimen?
Ille autem. Dirus quos nunc depaſcitur ales,
Immunemque ſinit Tityum dormire, ſupernæ
Munere dum lucis gaudent, vitaque fruuntur,
Obſtipi tacitique hærent luſoribus; & ſe
Divelli haudquaquam patiuntur ſæpe rogati;
Atque ultro oblato renuunt diſcedere nummo.

Omi.

48 *non unus*] Plures ejus generis jam ſibi in mortali vita pluſquam notos & inviſos recognoſcit *Sectanus*.

48 *quæ monſtra*] Charontem interrogat, quid hominum ſint ſiccæ illæ animæ, & quale ob crimen ejuſmodi pœnam patiantur. Quam bene *Sectano* eorum turba (quos dicimus *ſeccatori*) prima apud inferos occurrit: cum & in ſuperis hominum congreſſibus primi ſemper te arripiant, teneant, & occidant, qualis *Non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo*.

51 *ille autem*] Interroganti reſpondet *Charon*.

51 *Tityum*] Bene eſt *Tityo*: quod duo vultures, qui ejus jecur aſſidue depaſcuntur, illum quieſcere ſinant, dum in exiles *ſiccatorum* animas feruntur.

53 *obſtipi*] In congreſſibus, ubi alea ludi ſolet, neſcio quo fato (ait *Sectanus*) ejuſmodi homines, qui parum plerumque noti, vultu illiberales, nullius leporis nulliuſque urbanitatis, ludentium ſellæ ſtantes taciti obſtipo capite (*a collo torto*) perpetuo adhærent: genus hominum maxime *Sectano* inviſum, *Enarration*. 143. *in Sat*. 13. relegas.

56 *atque ultro*] Mos invaluerat iſtiuſmodi hominibus argenteum nummum offerendi; quaſi convento pretio, ut recederent: ſed pertinacius adſtando reſpuebant:

ex

Omine ſic triſti celeri movet arma fritillo
Dextera, damnoſique canes marſupia vertunt;
Hinc pereunt fratres, & acerbo funere taurus,
Pallida nec longum ridet cum ſidere luna.
Nempe infelici *ſiccator* ductus ab alvo
Funeſtat quodcunque videt, lucisque malignæ
Effluvio ſimilis ſpargit mala femina fati.

ex quo intelligis, non unum ab opinione illa, ceteroqui ridicula, de ominoſo homine *Secta num* fuiſſe occupatum.

57 *omine*] Malis avibus, ideſt ominoſe, putat, ex ridicula aliquorum opinione, ſub ejuſmodi hominum oculos *fritillum*, ſeu *pyrgum* (*de quo ſat.* 1. 113.) agitari, illiſque imputat damnoſum jactus eventum, ut ſunt *canes*, mutu ita ab antiquo teſſerarum ludo locutione. *arma*] Ex Juven. *ſat.* 14. 5. aleatorum arma ſunt teſſeræ, tali &c. Vid. *ſat. proxime ſequent.* 63. [*canes*] Canis, ſeu canicula, erat in teſſerarum ludo jactus infeliciſſimus apud latinos; ideoque damnoſus & crumenæ everſor.

59 *hinc pereunt*] Notum indicat alearum ſeu chartarum ludum, quo præ ceteris romani nobiles matronæque oblectabantur, vulgo, *delle minchiate*: ut in *ſat.* 13. 143. ſenſus igitur eſt: infauſto adſtantis omine affectus aleator integram chartarum ſeriem (vulgo *verſicola*) nempe ſigna tauri, geminorum, ſideris & lunæ videt miſere perire. *fratres*] gemini.

61 *nempe infelicis*] Ex ingenio potius poetico, quam ex rei veritate, rationem affert ejuſmodi aleatorum infortunii. *Siccator* enim, ſidere infelici natus, ſeu aduſtioris planetæ ſub aſpectu ab alvo materna eductus, ſecum fert averſæ fortunæ quaſi ſemina, ſpargitque in proximos effluvio volatilium noxiæque indolis particularum, quibus *ſiccatorum* maxime corpora ſcatent. Hinc quo magis alicui hæret, malum fatum altius imprimit inſinuatque majori ex proximitate *molecularum vi*. Ingenium mirare: opinionem ride.

Stagna vides late diffusa? hæc ipsa bibaci
Sugeret obtutu, nec possem agitare phaselum,
Quo veheris, vultus nisi nox obnuberet atros,
Extaque ferales ederent rediviva volucres.
  Supplicium laudo perpessus damna crumenæ
Non semel. At propera, divi, mi rector: amicos
Illa refert mihi turba, manus quæ plurima tendit
Ad cyathos, crustasque rapit violentius ungue.
Quid miseræ certant Umbræ? cur pocula labro
Sæpius advertunt, optatusque effluit humor?
Hi sunt, romana quos appellatis in aula
Spongiolas. Viles homines de plebe togata
Limina nobilium procerumque palatia lustrant;
Cumque frequens turbæ calices pincerna ministrat,

Ir-

65 *sugeret*] Cum secum ad inferos oculorum malignitatem detulerint, stygiam ipsam paludem obtutibus exsiccarent; nisi & densa nocte & vulturinis rostris prohiberentur. Ad poeticam hance imaginem nihil certe addi posse videtur.

67 *rediviva*] Respicit ad *Tityi* jecur, a vulturibus depastum, quod, ut perpetua sit pœna, perpetuo reviviscit.

68 *supplicium*] Merito, inquit *Sectanus*, hæc patiuntur, qui & mihi ludenti adstantes malo omine damni caussa fuerunt.

74 *hi sunt*] Graphice describit homines, qui vulgo *spugnini*, seu *galoppini*, in Urbe frequentissimos, nimiumque cuique notos.

75 *de plebe*] Non tunicata, sed *togata*, quales sunt infimæ notæ caussidici, qui vulgo *mezzorecchia*, & famelici *Abbatuli*.

77 *cumque*] cum, data occasione publicæ vel domesticæ celebritatis, in procerum ædibus calidæ frigidæve potiones ministrantur: *si danno i rinfreschi*.

Irrepunt, digitiſque micant, gelidæque propinant
Et calidæ, quantum non ſorbet dira charybdis.
Quin etiam lateri conflatos ære capaces
Urceolos aptant, quos ſpuma implere *cacai*
Feſtinant. Rapiuntur myrrhina; nigraque tingit
Unda pavimentum; pinguique aſpergine ſellæ
Villoſæ, ſpurcoque madent aulæa colore.
Hos igitur totum plecti Rhadamanthus in ævum
Hac ratione ſolet. Sitiunt, ſemperque parati
Sunt illis calices & denſæ frigora lymphæ:

78 *gelidæque*] quæ ad ſorbilla pertinet: *ſorbetti gelati*.

79 *& calidæ*] quæ ad potionem ſpectat, quæ vulgo *cioccolata*. [*charybdis*] immanis gurges in freto ſiculo, immenſæ voracitatis imago.

81 *urceolos*] Expleta ad ſatietatem gula, *ſpongiolarum* ſagaciſſimi tubos ex alba lamina ferrea (*di latta*) conflatos laterique ſubtus pallium annexos *cocholate* implere conſueverunt.

82 *rapiuntur*] Si quis procerum Romæ ſumptuoſo apparatu domi ſalutantium officia excipiat, *ſpongiolæ* iſti ex tonſtrinis calidæque (*del caffè*) tabernis turmatim irrumpunt, indica carcheſia (*chicchere di porcellana della China*) diripiunt, everſiſque e manibus pincernæ cyathis, ſellas & ſerica pretioſiora commaculant. de *myrrhinis* alibi.

84 *villoſæ*] ex ſerico raſo: *di velluto*.

85 *Rhadamanthus*] Jovis & Europæ fil. Minonis frater, Lyciæ rex, a Plutone, quod juſtiſſimus haberetur, judex apud inferos conſtitutus.

86 *ſitiunt*] Congrua crimini pœna. Qui enim ſola adacti intemperantia dulciſſimis tum frigidis tum calidis ſe ingurgitarunt, par erat, ut ante pocula perpetuo ſitirent.

Nec desunt imitata gelu poma, & genus omne
Præcocis autumni: sed cum protendere dextram
Conantur, nil dextra tenet: sine corpore fumus
Est quidquid tangunt: pariter, cum pocula sumunt,
Pocula rimoso non servant humida fundo
Optatos latices, sed spissis pallia guttis
Perfundunt, fallitque liquor sitientia labra.
Aspice ut abstineant pertusis Belides undis,

Et

88 *nec desunt*] Potionum magistri ignotum anteactis seculis gulæ irritamentum invenere. Etenim pomorum cujusque generis succum per autumnum recollectum, saccharo ad ignem diluto condiunt servantque in vasculis; cumque res & occasio postulat, illum formis plumbeis inclusum aggesta desuper nive & sale condensant ea arte, ut in procerum conviviis quolibet anni tempore pira, pruna, mala persica, cydonia & aurantia coloris ejusdem ac saporis ingeniosa lascivia imitentur. His nostra ætate malum additum transmarinum, quod vocant *ananas*.

94 *fallitque*] *Spongiolæ* admotis rimoso cyatho labris, optato liquore fraudantur, labiisque adustis & hiantibus perpetuo anhelant.

95 *aspice*] Absolutæ a pœna *Belides*, Danai quinquaginta filiæ, Beli autem nepotes, & infelix *Tantalus* respirare videntur, nostrosque *spongiolas* ridere, quod suum in locum suffecti suam patiantur supplicium. *pertusis*] pro pertuso cribro posuit eleganter *pertusas undas*. Nam *Belides* seu *Danaides*, quod viros suos patrui Ægypti filios, patre auctore, una nocte interfecerint, ea pœna damnatas fabulantur, ut dolium pertusum seu cribrum aqua impleant, a quo tantumdem effluat, quantum infundatur. Hygin. *fab.* 168. & 180. Serv. *in* 10. *Æneid.* 497. Ovid. *heroid.* 14. & *metam.* 4.

Et ſedeat ridens fugitivo Tantalus amne.
Progredimur: curtis cum gens ſuccincta lacernis
Saxum immane ingens ſcabri per devia montis
Viſa movere. Charon docuit. Qui pondera dorſo
Exagitant tantoque rotant molimine, ut inde
In præceps redeant manſura cacumine nunquam,
Veſtri ſunt Rabulæ, romani infamia juris,
Qui capitolinas rumpunt clamore cathedras,
Et gloſſas torquent, & inania jurgia vendunt.
Cerne, ſilex, licet atra, notis ſignatur, habetque
Cauſarum titulos inſcriptos fronte: *Sutrina*

 Seu

96 *Tantalus*] Jovis fil. ex Pletone nympha, Phrygiæ primum, argivorum deinde rex; cui pater ſua conſilia concredere ſolitus erat, & ad deorum epulum admittere: quæ cum ille hominibus renuntiaſſet, ob id dicitur apud inferos in aqua mento tenus ſtare, ſemperque ſitire, cumque hauſtum vult ſumere, aqua recedente fruſtrari; item poma ſupra caput habere pendentia, quæ cum vult decerpere, ramis ſe tollentibus, aufugere. Hygin. *fab.* 82. Ovid. 2. amor. 2. 43. = *Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat = Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit.*

102 *Rabulæ*] Cauſidicos deſignat infimi nominis, qui cauſas voce potius, quam ratione defendunt, ſeu defendere ſimulant.

103 *qui capitolinas*] Iſti cauſidici plerunque in foro capitolino verſantur, captioſiſque verbis pauperes clientes emungunt.

106 *ſutrina*] a Sutrio urbe. Libelli in romana curia ita inſcribuntur, ut Judices uno ictu oculi deprehendant, cujus loci ſit cauſa, de qua re agatur, ſcriptumque an ſit in *facto*, an in *jure*.

Seu Nepetina domus. Facti. Veliterna macellis
Restrictus juris. Lapidem sursum atque deorsum
Volvite, qui miseros torsistis sæpe clientes
Verborum usura, scriptisque ad pulpita nugis;
Et stabili innixus respires, Sisyphe, saxo.
Non procul, informis qua se protendit arena,
Vidimus Umbrarum examen, per gramina quales

Ce-

107 *Nepetina*] a Nepete urbe: subauditur *causa* in *facto domus*. [*Veliterna*] a Velitris: causa *in jure macelli*.

108 *restrictus*] Hac enim barbara utuntur voce pro *compendium*.

110 *usura*] Nam verba ponunt in fœnore. *scriptisque ad pulpita*] Causarum *Notarii* resident in quodam pulpito ligneo, ubi volumen publicum *Broliardo* dictum. Hic denunciationes, contestationes, aliæque juridicæ actiones scribuntur ad causam, de qua agitur, spectantes. Rabulæ vero loco defendendi clientes, eorumque jura solidis argumentis propugnandi, nugas in eo volumine scribunt nugacissimas; ideoque dicuntur ad pulpita decipere clientes.

111 *& stabili*] Sicuti *Tantalus* & *Belides* ab irrito labore quiescebant; ita consonum erat, ut *Sisyphus*, translato in Rabulas supplicio, rotandi inutiliter lapides, sedens in eodem saxo quiesceret. bene *stabili*, h. e. tandem a perpetua agitatione ac motu cessante. *Sisyphe*] Sisyphus Æoli fil. qui cum isthmum Corinthi occupasset, Atticamque latrociniis infestaret, quoscunque capere poterat, ingentis saxi pondere oppressos interficiebat. Occisus a Theseo apud inferos ea pœna damnatus, ut ingens saxum in montis verticem humeris deferat, quo cum pervenerit, deorsum volvat, rursusque repetat. Ovid. 4. *metam.* 459. = *Aut petis, aut urges ruiturum, Sisyphe, saxum.*

112 *informis*] deformis, visu horrida & aspera: uti Horatius 2. od. 10. 15. *informes hyemes.*

113 *examen*] frequentissima turba instar apum examinis.

Cecropiæ volucres, ſparſos cum rore recenti
Delibant flores. Pueri innuptæque puellæ,
Et matres canique viri: pars cælibe vitta
Cincta breves crines: ſed major turba cucullis
Aſpera, læta tamen. Furvus tunc portitor inquit:
Quos, Sectane, vides, ſcabies male ſana lucelli
In terris agitat, cum bis ducuntur in anno
Mendaces ligurum ſortes. Noviſſe putarem

114 *cecropiæ*] athenienſes a *Cecrope* rege: h. e. apes, quæ plurimæ in ea regione.

115 *pueri*] Nil mirum ſi ea turba denſiſſima ſit, quæ cujuſque ætatis ac conditionis hominibus fœminiſque conſtat.

116 *pars cælibe*] Virgines Deo ſacras intellige, quas *moniales* dicimus; quæ caſtitati devotæ, abſciſſis crinibus, vitta candida ſolent frontem cingere.

117 *major turba*] Cœnobitarum, qui ſeverioribus inſtitutis addicti & cucullati aſperam vitam profitentur. Miraris mundano pulvere corda religioſa ſordeſcere? homines ſunt: nec tamen ad unum omnes ſordeſcunt. Homo & ipſe cum ſis, tuæ conſcium alienæ te infirmitatis miſereſcat.

118 *furvus*] Ater ac luridus *Charon* rem totam *Sectano* aperit.

120 *cum bis*] Hæc turba (inquit *Charon*) ex omni hominum colluvie, apum examini ſimillima tibi viſa, ii ſunt, qui Genuæ ludo (vulgo tunc *giuoco di Genova*, nunc autem, per Italiam tranſque alpes diffuſo, notiſſima voce, *lotto*) ad inſaniam indulgentes fortunas plane omnes hilari furore dilapidant. Ludi inde initia, quod cum bis in anno ſolemni ritu Genuæ pueri manu e pyxide quinque Senatorum nomina extrahantur, qui ad certa reip. munera ſorte deſtinantur, ſuper iis nominibus ſponſiones in Urbe, atque alibi, paſſim fiebant; immenſaque propterea auri vis quotannis, invitis fruſtraque reclamantibus legibus, in exteros effundebatur.

Te quoque ſtultitiam gentis, prætore latino
Nequicquam ultrices ſævire jubente ſecures.
Vir demens caligas, fanatica pignerat uxor
Dotale argentum. Marii dominique Nigrones
In ſomnis mentem ſubeant, mora nulla, quaterna
Componunt nectuntque, (furor) vel nomina quinque,
De

122 *prætore*] Adeo lucri ſpes affecit animos, ut fruſtra Prætor faſces expedierit, morbum per edicta conatus depellere: nam vel propoſito ſupplicio paſſim totaque Urbe mala in dies contagio ſerpebat.

124 *demens*] Quod patres matreſque familias dotem ipſam ac neceſſaria indumenta pignori ponant, ut in captioſo ludo cupiditatem expleant, quænam erit, niſi hæc dementia ſit? quæ tamen tam late humanum genus invaſit, ut, ne id publico damno fieret, minus e duobus malum permittentes, Principum fere quiſque ſua in ditione ejuſmodi ludum conſtitui juſſerint.

125 *Marii*] *Marii*, & *Nigrones*, inter principes genuenſis Reip. familias, ponuntur, ut ceteras intelligas.

126 *in ſomnis*] Ut nomina forte obveniant, illa potiſſimum eligere ſolent, quæ quis ſomniando ſibi quaſi oblata meminerit: quodque minus ferendum eſt, varias ſomniorum ſpecies interpretando, vel quadam quaſi magica diſpoſitione (quam vocant *cabala*) numeros diſtribuendo, ea ſe divinare poſſe putant. Hinc ridiculi ac ſuperſtitioſi hujuſce divinatoriæ artis circumferuntur libelli, quantumvis proſcripti. Tu, ſi ſanus es, vides quam ſit hac in re cum effectu cauſſa conjuncta, quamque propterea ſtulti ſint, qui conjunctam velint. *quaterna*] In ludo genuenſi ex quinque Senatorum nominibus extrahendis quilibet pro libitu unum vel plura eligit; tantaque eſt aliquorum temeritas, ut quatuor atque etiam quinque nomina complicare audeant, ſperantes ex urna, in qua centum & viginti ut plurimum ſchedulæ, illa ſolum in lucem proditura.

De quibus ex urna nullum prodibit iniqua.
Hinc eſt quod denſo velati lumina panno
Albos quinque pilos digitis evellere tentant
Ex humeris nigrantis equi, longumque per ævum
Inſtaurant niſus, & ſpe jactantur inani.
Hæc illis data pœna. Volant fallacia circum
Somnia, venales numeri, turpiſque reorum

Sup-

128 *de quibus*] De quinque illis nominibus ne ullum quidem ut extrahatur frequentiſſime accidit. Ac ſi unum ſine reliquis colligatis forte fortuna prodeat, vel nihil, vel minimum lucri venit. Ita quippe ſunt duriſſimæ ludi leges.

129 *hinc eſt*] Fatuis iſtis luſoribus a *Sectano* nova, eaque meritiſſima, tribuitur pœna, quæ ad vivum ludi indolem exprimit, & crimini prorſus reſpondet. Ea quippe virorum ac feminarum cujuſque conditionis turba, velatis oculis, quinque albos pilos in tota cute equi nigri coloris diſperſos carpere nituntur, ſed irrito ſemper conatu: id ſiquidem eſt æque impoſſibile ac genuenſis urnæ nomina divinare.

133 *volant*] Ideo volant circum ſomnia, quod ſtulte a ſomniis eam fortunam pendere crediderint. Quod ſi quis noctes ſine inſomniis ducat, non deſunt mulierculæ, quæ pro aliis ſomniantes larvas viſuſque, conventa mercede, interpretentur. *venales*] numeros vel Senatorum genuenſium Genuæ, vel puellarum alibi, nominibus appoſitos *venales* dicit; ſive quod illis obligandis pacta pecunia ſolvitur; ſive quod alicubi ternarii & quaternarii aliqui venales exponuntur aut circumferuntur; ſive demum quod callidi numerorum venditores non deſunt, qui numeros ab ipſis certa quadam *algebræ* regula ſelectos ex urna omnino prodituros jurejurando affirment. *turpiſque*] Eo proceſſit ludentium inſania, ut capite damnatos religioſe ad ſupplicium comitentur, fatua ducti credulitate, animas laqueo ſuſpenſorum aſſequendis nominibus plurimum conducere.

Supplicio facies, & mobilis umbra galeri.
Vix ea fatus erat, fœdum ſqualore ſituque
Vulgus adeſt hominum, vacuas qui littore conchas,
Et ſiccas uda ſtipulas ſectantur in alga,
Purpureæque citi famulantur ſyrmatis umbræ.
Nullus fronte nitor, veſtis redolebat Idume,
Diſſutoque togæ fluitabant viſcera limbo.
Tunc deus ille ſenex, mirari deſine, dixit:
Cui non nota cohors, nomen quæ ducit ab aula
Et mores? dulces cui ſemper pigra calendas

Lu-

135 *mobilis umbra*] Morti damnatos (quod pluries monuimus) florentinorum in Urbe ſodalitium ad ſubeundum patienter ſupplicium inſtitutis verbis hortatur, ſummaque pietate conſolatur. Procedunt autem ſacco induti atque enormi galero, qui capitis motu ob latam circumferentiam identidem quaſſatus grandem & irrequietam facit umbram.

137 *vacuas*] Hi ſunt aulici, qui procerum ſervitio addicti inania captant.

139 *purpureamque*] pro domino purpurea veſte ſyrmate nobili ornato, h. e. in ampliſſima romana dignitate conſtituto.

140 *nullus*] Aulici ſpe magis, quam cibis paſti, ſæpe macri & decolores. *Idume*] Veſtes eorum plerumque *Idume* ſapiunt, nempe hebræos, a quibus habent conductas. *Idume* poſuit Judææ conterminam pro Judæa.

141 *diſſutoque*] Aulici plurimum in Urbe togati: cum vero togæ iſtæ vili pretio conductæ laceræ ſint & attritæ, aptiſſime illarum viſcera, h. e. filamenta, pendere dicuntur ex conſumptis ſuturis diffluentia; a cadaveribus ſumpta metaphora, quæ vulnere in omento accepto inteſtina effundunt.

143 *nomen quæ ducit*] Ab aula procerum, quibus ſerviunt, aulici dicti, *cortigiani*.

144 *& mores*] Aulicorum mores notiſſimi: adulatio præſertim, ac vul-

Luna refert, tardumque accusat garrula mensem.
Consumptis opibus luxu plerumque paterno
Urbs petitur, dominique placent, nitidumque capistrum.
O servile pecus! quæ merces ultima tandem?
In fœno pereunt, rapiturque ad busta cadaver
Publica, & exilis lucet candela feretro.
Quam satius fuerat doctæ vel Palladis artes,
Vel

vultuosa elegantia, *affettazione*, *cortigianeria*. [*dulces cui semper*] Quolibet mense mercedem percipere solent. Sed dulces illas calendas, quibus a præfecto domus (*mastro di casa*) menstrua pecunia exsolvitur, sero nimis adventare conqueruntur, pigrumque lunarum cursum accusant.

147 *Urbs petitur*] Roma petitur quasi commune decoctorum perfugium. *dominique placent*] Cum liberi natura nascantur homines, eos non pudet, ultro abjecta libertate, servire, seque vili pretio ingratis plerumque dominis mancipare.

149 *in fœno*] Aulicorum exitus. Consumpta in aulæ otio deside vita deceduut, nullaque pompa ac funebri comitatu, publico in sepulcro, tamquam viles de plebe homines, conduntur. *ad busta*] ad sepulcra; a vetere cadavera comburendi more. Publica *busta* plebejorum manciporumque erant romanis *puticuli* seu *puticulæ*; nobis hodie: *campo santo*.

151 *quam satius*] Otiosis hisce hominibus trinam viam designat *Charon*, aula posthabita, rem domi angustam ipsumque nomen amplificandi. Monstrat primo satius esse Palladis artibus h. e. litteris operam dare, quibus non minus gloria quam fortunæ parantur: deinde militiam proponit: tertio demum suadet, ut italicæ navis institores mercaturæ incumbant, minus indecorum reputantes piper & aromata Centumcellas a gaditano littore importare, quam ignaviter alteri homini, non sine libertatis, quæ dei donum est, injuria, famulari.

Vel fera castra sequi, tumidis seu credere ventis
Carbasa, & ausonia piper importare carina.
Dum loquitur, crebri gemitus & flebile murmur
Incipit audiri. Pendebant rupibus altis
Innumeræ Umbrarum turmæ gelidæque catervæ,
Tendebantque manus. Sic carcere clusus Iuli
Debitor infelix suspendit arundine nigros
Pileolos, obolumque rogat. Nos remige surdo
Transimus miseros, medioque illudimus ungue.
Namque Charon docuit, macros & veste carentes,
Quos fera mordet hyems, auri vesana libido
Occupat in terris: sed postquam stamina Clotho
Dissecuit, loculi non vincunt Judicis urnam,

Aut

153 *carbasa*] Credere ventis *carbasa* est *dare ventis vela*, h. e. *navigare*.

157 *sic carcere*] Obærati carceribus detenti solent e ferratis cratibus quosdam pileolos ope arundinis in subjectam viam producere, rogantque prætereuntes, ut miseris fame pereuntibus uno saltem obolo succurrant. Dicitur autem *Julii carcer*, quod via julia reis coercendis excitatum fuerit non ignobilis structuræ ædificium, vulgo *carceri nuove*, quod ad habitantium potius voluptatem, quam ad criminum expiationem constructum intuentibus facile videatur.

160 *medioque*] Medium digitum alicui *porrigere* ex Martial. *ostendere* ex Juven. *intendere* ex Plaut. erat apud veteres sannæ genus, ideoque valet: *illudere*, *insultare*.

162 *quos fera*] qui gelu ac frigore rigent.

163 *postquam*] Post mortem pecuniæ tartari leges non immutant. *Clotho*] una Parcarum, quæ humanæ vitæ filium recidit.

164 *Judicis*] qui, ut superius, *Rhadamanthus*.

Aut ſurdos rumpit congeſta pecunia vectes.
Illic æterno ſtringuntur frigore, & arctam
Pauperiem morſa nequeunt pacare farina.
Nec juvat argentum, cum non licet amplius uti,
Extrema in tabula ſuperis donare, Deuſque
Eſto hæres dicas: renuit patrimonia cælum,
Fœnora quæ ſapiunt: quamquam Fraterculus ille
Piſcator fœdæ quæcunque piacula vitæ
Expiet, & populo adſcribat Geniiſque beatis,
Crimine qui partum moriens legaverit aſſem

Cæ.

168 *nec juvat*] Sapienter quidem *Charon*. nam quid tota ætate tantoque labore congeſtæ malis artibus divitiæ morientibus proſunt? Forte ne, Deo inſtituto hærede, juvabunt? Falleris quicumque hac te opinione palpas. Deus bonorum non egens noſtrorum, omnia in ſe continens, reſpuit oditque patrimonia, quæ fuerint uſuris comparata.

169 *extrema in tabula*] in ultima teſtamentaria diſpoſitione.

171 *Fraterculus*] Jure ac merito eos damnat *Sectanus*, ſi qui tum temporis erant, *ejuſmodi piſcatores*, h. e. hæreditatum captatores, qui animam agentes ſuaſionibus adigerent, ut ultimis tabulis, nepotibus præteritis, ipſiſque filiis fraudatis, totum aſſem piis locis relinquerent. Hodie vero, iterum *Sectanus* ſi reviviſceret, tantam videret rerum commutationem, ut iniquæ ejuſmodi piſcationi nullus omnino locus eſſe videatur.

173 *expiet*] h. e. affirmet quæcunque peccata ea ratione expiari, ac cæleſtium ſedium aditum certe patere. Impia prorſus affirmatio, ſi vera deſit ſcelerum pœnitentia, quæ illum Deo reconciliet. Nam ex pſ. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, corque contritum & humiliatum*. [*Geniiſque*] Angelorum conſortio.

174 *aſſem*] totam hæreditatem crimine, h. e. uſuris, rapinis, concuſſionibus &c. partam. de voce *aſſe* alibi.

Cælicolis. Miseri! quantus vos decipit error!
Nec dispuncta prius vitæ ratio ultima fallit.
Marmore quæ pario fabricatis, templa cruore
Et lacrymis manant, venis quem pauper apertis,
Expressitque olim mœsto provincia vultu.
Et quamvis nitidam circumdet porticus ædem,
Signaque phidiaco vivant animata labore,
Omne nefas redolent, & turpia quæque vaporant.
Hinc est quod sacræ feriuntur fulmine turres,

Ira-

176 *dispuncta*] bene prius examinata; nam rationes dispungere, est diligenter rationes computare: *far bene i conti*.

178 *marmore*] Cum nonnulli Verrino ingenio & jure (ut *Marius* ille apud *Juven. sat.* 1. 49. quo licet damnato, *victrix provincia plorat*) provincias expilassent, reque publica pessime habita multum pecuniæ conflavissent, senectute jam ultimave die adventante, conscientiæ stimulis adacti, ad excitanda peregrinis marmoribus templa atque aras animum & curas omnes converterunt. Deo ne summo justitiæ archetypo placere possent ædes illæ cæmento iniquitatis compactæ, viderit *Fraterculus* ille *piscator*. Sed nostris hisce temporibus an publici privatique vivant depeculatores, an morientes conscientia torqueantur, an damna rependant, nescio. Nova certe non templa excitantur. Ergo error ille, de quo *Sectanus*, jam desiit. *pario*] peregrino, a Paro in ægæo insula.

181 *phidiaco*] a *Phidia* celeberrimo statuario: h. e. statuas manu peritissima elaboratas.

183 *hinc est*] Templorum pinnas sacrarumque turrium sæpe de cælo tactas videmus: id iccirco fieri poetice putat *Sectanus*, quod delubra luto criminum oblita, & sanguine lacrymisque pauperum imbuta, sint Deo Cælitibusque invisa. Cujus rei veram si nosse caussam velis, docent, quas vides, auratæ cuspides summis ædificiis emi-

Iratoque tremunt delubra inviſa Tonante.
Mentibus humanis veſtroque altaria corde
Ædificare juvet fulvo potiore metallo.
Hæ ſunt, quas habitat præſentia numinis, aræ;
Nec trepidant diras cælo miſcente procellas.
Interea limoſa palus decreſcit, & aura
Efflare incepit vicino a littore, qualis
Spirat in exquiliis Romæ fervente leone.
Nec mora, gramineis exponit navita ripis
Jam feſſum. Spatiare, ait, hæc circum loca plena

In-

eminentes, quoſque inde vides excurrere, ferrei æreive fili, & in humum uſque deſcendere: illas *aſte*, hos *fili di ſalute* placuit appellare.

186 *mentibus humanis*] Digna profecto non fabuloſo *Charonte*, ſed christiano ſententia. Deus enim, qui eſt in *ſpiritu* ac *veritate* adorandus, non præcipue lapides, ſtatuas, aurum reſpicit; ſed hominum cordibus animiſque gaudet inhabitare, ſuaſque ibi delicias conſtituere. Hanc igitur domum ab omni criminum ſorde purgatam paremus atque ornemus Deo viventi: eritque vivum templum, quod irato ac fulminante cælo procellis intactum nunquam trepidabit; & ut *Horat.* 3. *od.* 3. = *Si fractus illabatur orbis* = *Impavidum ferient ruinæ* =

186 *fulvo metallo*] auro pretioſiora ſunt viva Dei vivi templa.

189 *decreſcit*] Nam emenſa fere palude littori appropinquat.

191 *in exquiliis*] Exquiliæ notiſſima in Urbe regio, edito loco poſita, quæ æſtivo tempore cum in leonis caniſque ſideribus ſol eſt, ſpirantibus aſſidue zephyris & eteſiis (ventis antecanicularibus) maxime recreantur; qua in regione habitaſſe *Sectanum* ex *ſat.* 7. 192 luculenter habes.

193 *hæc circum loca*] Elyſium, & incolarum ingenium, breviter ac perbelle deſcribit: ibi enim feli-

ces

Innocuo risu, choreis, placidoque sopore.
Dum lustro colles & prata virentia, ridens
Ecce tibi a læva Democritus, atque Epicurus,
Et qui non timuit gelidas sorbere cicutas,
Et Plato, & indigno vultu rictuque canino
Diogenes; properant Xenophon, doctusque Cleanthes.
Una omnes clamant: vestris arcete profanum
Sedibus, o cives, ne fœta cucurbita *blittri*

Hæc

ces animas inter risus & jocos atque innoxia oblectamenta ævum ducere fabulantur poetæ.

195 *dum lustro*] Vix in elysios pedem intulerat *Sectanus*, en *Democritus* ceterique antiqui philosophi obviam progressi illum ab amœnissima voluptatis sede deturbare atque expellere festinant. Quid ita? mox intelliges. *ridens*] Notissimum est *Democritum* perpetuo risu, contra *Heraclitum* perpetuis lacrymis, res humanas prosequutos esse,

196 *Democritus*] Philosophus abderitanus quarto ante Christum sæculo, Hippocrati coævus: de quo *Laertius*.

197 *qui non timuit*] Socrates atheniensis, maximus ille, præsertim in morum doctrina, philosophus, qui xxx. tyrannorum sententia cicutæ veneno extinctus est.

198 *rictuque canino*] Nam Diogenes cynicus dictus a morsu canino, utpote qui ceteros philosophos eo quasi morsu laceraret.

199 *Diogenes*] Philosophus sinopeus, maximus humanarum rerum contemptor, *Antisthenis* discipulus, quarto & ipse ante Chr. seculo. *Xenophon*] celeberrimus imperator, philosophus, historicus, patria atheniensis, *Socratis* auditor. Ob. an. ante Chr. circiter 360. *Cleanthes*] Philosophus stoicus epiroticus Zenonis discipulus idemque successor, tertio ante Chr. seculo, qui regem Antigonum & Chrysippum habuit auditores. Fame se ipsum necasse fertur septuagesimo ætatis anno.

201 *ne fœta cucurbita*] En tibi *Sectanum* expellendi causa; quod

time-

Hæc ſtudia, has artes, hæc grata ſilentia rumpat.
Scilicet aſſuetus jurare in verba magiſtri
Nil, præter larvas & ſomnia vana Stagiræ,
Mente tenet. Rerum quæ ſint elementa recenſe.
Materies, (fari haud timeas) privatio, forma;
Primaque materies non eſt neque quid, neque quantum.
Sibila tunc addunt, & preſſa voce ſalutant,

timerent, ne, quaſi ventoſa cucurbita, inanium ariſtotelicæ ſcholæ verborum nugis plenus, ſolida illorum ſtudia turbaret, & barbara vocabula (ut ſunt *blittri* aliæque hujuſmodi veneres) illuc importunus afferret.

203 *aſſuetus jurare*] Peripatetici ſoliti jurare in verba magiſtri, Ariſtoteli ſectæ principi nimium tribuebant. Ariſtotelica philoſophia ab aliis philoſophis irridetur, putantibus Democritum, Zenonem, atque Epicurum ad veritatem propius acceſſiſſe.

204 *Stagyræ*] ariſtotelicæ philoſophiæ: nam *Ariſtoteles* Stagiris in Macedonia natus, unde *Stagirita* dictus.

205 *rerum quæ ſint*] Ita Democritus aliique philoſophi, qui de rerum naturalium principiis *Sectanum* interrogant, ut quid philoſophiæ profiteatur cognoſcant.

206 *materies*] Infelix *Sectane*, quid? Sciſcitantibus, quæ ſint rerum elementa reſpondes, ex peripateticis placitis, *materiem* eſſe, *formam*, & *privationem*? Quid eſt hoc, niſi te ariſtotelicum prodere, eorumque indignationem ſubire? *fari haud timeas*] Timide reſpondentem, utpote incertum, an ad ſciſcitantium dogmata & voluntatem reſpondeat, mentem ſine timore ſuam aperire jubent.

207 *primaque*] Addis præterea non rogatus *materiæ primæ* definitionem, ridiculum plane apud illos commentum: cum per ea definiatur, ex quibus non conſtare aſſeritur?

208 *ſibila*] Audita inſulſa definitione ſibilis conſcindunt. Vides

Ceu detonſa cohors longæ damnata triremi.
Nec tantum verbis, ſed pallida turba minatur
Erectis baculis. Poterat quis jurgia ſalvo
Occipite elabi, denteſque referre ſuperne?
Sed cynico, Harveus, ſeſe miſcere tumultu
Auſus, ab inſonti repulit cervice timorem.
Protinus accurrunt Boiles ſollerſque Borellus,

Lon-

quam lepide ac ſalſe noſtrorum ariſtotelicorum opiniones ludificetur. *Sectanum* puto prima ætate nugis ariſtotelicis, præceptorum ac ſæculi vitio, imbutum, poſt ſuo partim judicio, partim novis propoſitis eorum doctrinis, qui ariſtotelicam auctoritatem libere philoſophando abjecerunt, jugum excuſſiſſe. *preſſa voce*] ſubmiſſo confuſo vocis murmure irridentes ſalutant.

209 *ceu detonſa*] Eo modo ſalutant, quo ſolent remo damnati. Nam ſi triremes inviſurus illuc quis accedat, remiges e tranſtris aſſurgunt, & in ſpeciem honoris concordi raucoque ululatu advenientem ſalutant, ſeu potius irrident: *cohortem detonſam* appellat, quia ſtatim ac pœnæ initiantur, capillis penitus nudantur.

213 *Harveus*] Harveyus, (de quo *ſat.* 9. 50.) ceterique recentiores Philoſophi, iique cumprimis, qui non ſine maxima noſtrorum Peripateticorum, religionem ignorantiæ obtendentium, invidia ac tumultu, ariſtotelicam tyrannidem a ſe depulerant, injuriam, quam veteres *Sectano* inferebant, propulſantes, inermem timidumque manibus protegunt ac tutantur.

215 *Boiles*] Robertus *Boyle*, Liſmoræ in Hibernia an. 1627. VIII. cal. februar. natus, novis in phyſica inventis celebratiſſimus, obiit Londini III. cal. januar. 1691. *Borellus*] Joannes Alphonſus *Borellius* neapolitanus nat. an. 1608. clariſſimus Florentiæ & Piſis philoſophiæ ac mathematicæ profeſſor, multa eximie ſcripſit, præſertim *de motu animalium*, & de *vi percuſſionis &c.* quem bene *ſollertem* dicit *Sectanus*,

Longævusque senex capuanæ gloria gentis,
Et nova qui lævi detexit sidera vitro,
Qui terræ propiora facit commercia cæli,
Mediceoque jovem cinxisse satellite gaudet.
Huic præerat, fractas armillas qui Ptolemæi
Extulit, & motum nostro, Copernicus, orbi,
Æternaque dedit tutum vertigine volvi,

nus, quod nihil, nisi summa sollertia diligentissimeque elaboratum, produxerit. Obiit II. cal. januar. an. 1679.

216 *longævusque senex*] Leonardus *de Capua*, non quod Capuæ natus (nam Balneoli natus in Hirpinis) sed quod id ei gentilitium nomen esset, floruit proximo sæculo illustre medicæ lumen; illustrius futurum, si scripta ceteroqui doctissima planiori stilo exarasset, nec mucidis florentinæ Academiæ vocabulis serviliter adhæsisset. Ideo autem *longævus*, quod septuagesimo septimo ætatis anno vita cesserit.

217 *& nova*] Galilæus *Galilæius*, de quo *sat.* 9. 200. insignis mathematicus, optico tubo adinvento, primus stellas jovi famulantes detexit, mediceasque, a *Mediceis* Etruriæ MM. Ducibus, honoris caussa appellavit.

218 *qui terra*] Septemdecim, qui sequuntur, versus non habes in editis.

219 *Mediceoque*] Donabis (credo) licentiam eximio Poetæ primam in *Mediceo* producendi.

220 *huic præerat*] Galilæii liber, *systema* seu *dialogus* inscriptus, præcipue demonstrare nititur solem in mundi centro a naturæ auctore constitutum esse. Quam opinionem *Copernicus*, dejecto *Ptolemæi* systemate, ante vulgaverat, minus vero solidis fundamentis innixus. Hinc *Sectanus* in illo tumultu *Copernico Galilæium* præcedentem inducit. *fractas armillas*] circulos, seu *sphæram armillarem*, h. e. ptolemaicum systema.

221 *Copernicus*] Nicolaus *Copernicus* Tournii (*Thorn*) natus XI. cal. mart. 1473. insignis philosophus, astronomus, medicus, ob. IX. cal. jun. 1543.

Cumque aliis lucis fontem circumire planetis,
Atque haurire diem. Thufco comitante Lyæo
Venit & infignis Redius, mixtamque corymbis
Laurum, pampineaque gerebat fronde coronas.
Pone leves mufcæ, culices, ac papiliones,
Ranaque, & immundi lambunt veftigia mures;
Seque putri e cuna fœdaque ab origine gaudent
Affertos, ovoque placet vel femine nafci.
Adfuit &, prifcas clara qui lampade Senas

Ad-

223 *lucis fontem*] Solem. In copernicana feu galilæiana hypothefi terrarum orbis, ut ceteri planetæ, folem circumagitur.

224 *thufco comitante*] Sæculo proxime fuperiore floruit *Francifcus Redius* aretinus, qui non minus medicam quam poeticam fcriptis illuftravit. Dithyrambum inter cetera nobiliffimum edidit, cui titulus: *Bacco in Tofcana*. Hinc *Sectanus* Redium corona ex lauro hedera & pampinis ornat, eique Hetruriæ Bacchum comitem fingit.

225 *Redius*] Philofophus æque ac poeta infignis, magnique nominis, Ferdinandi II. & Cofmi III. MM. Hetr. Duc. Archiater.

227 *pone leves*] Mufcas, culices, papiliones, ceteraque hujufmodi *infecta* ex putri ortum ducere peripatetici pertinaciter affirmabant. *Redius* vero, fœda illa genitura prorfus rejecta, quidquid viveret, aut ovo aut femine nafci, certis adhibitis experimentis, demonftravit. Par igitur erat, ut, natalibus illuftratis, beneficii memores ranæ, mures &c. vindicatoris optimi veftigia fequerentur ac lamberent.

231 *adfuit*] Pyrrhus Maria *Gabrielius* fenenfis, medicus ac mathematicus nemini fecundus, in Senarum archigymnafio lineam meridianam e marmore, additis æneis zodiaci fignis, conftruxit; & antliæ pneumaticæ experimenta aucta boileana machina, ac faciliorem in ufum redacta, publicæ utilitati propofuit. *prifcas*] ideo

Illuſtrat, Pyrrhus; ſculpto qui marmore & ære
Solis equos, annique vices, momentaque lucis,
Et curſum æquali diviſit lance diurnum.
Hi rixæ eripiunt, dextraque tuentur inermem,
Teſtes me cupidum rerum dignoſcere cauſſas,
Verborum tricas odiſſe & inania regna.
Centum aderant alii, quos inter, funera nuper
Paſſus & Umbra recens, Malpighius inquit: ab Urbe
Quid, Sectane, refers? Læta omnia: namque ſu-
premus
Claviger ætatis non ſentit damna, ſuiſque

F 3 Viri-

Ideo *priſcas*, quod *Senarum* urbem gallos ſenones ædificaſſe graves tradunt Scriptores. Vid. *enarrat.* [*lampade*] doctrinæ luce.

237 *verborum tricas*] Ut e Cynicorum manibus eripiant, omnes pro eo fidejubent, affirmantes, non voces illum inanes ſequi, ſed veras rerum cauſſas inveſtigare, h. e. verum eſſe philoſophum; & ridicula nihilque profutura jurgia, verborumque tricas peripateticis jucundas, perpetuo odiſſe; uno verbo, peripateticum non eſſe.

239 *paſſus*] funera nuper paſſus: vita nuper functus. *Malpighius*] Innocentii XII. Archiater, non multo ante quam ſatyra prodiret, e vivis exceſſerat, ideoque *recens umbra* dicitur. *Malpighius* viſo *Sectano* facere non potuit, quin illico de Urbe aliquid novi percontaretur.

240 *læta omnia*] Omnia bene eſſe reſpondet *Sectanus*, præſertim ad Pontificem Maximum quod ſpectaret.

241 *Claviger*] Archiatro interroganti congrue reſpondet, ſummum ſupremumque Clavigerum *Innocentium* optime, ſine pharmacorum præſidio, vegeta in ſenectute valere; atque ab una tanti Principis ſalute læta omnia dimanare. *ætatis*] Erat enim pluſquam octogenarius.

Viribus innixus veſtris non indiget herbis,
Pæoniaſque artes & lubrica pharmaca ridet,
Atque recens oleum, quod dulcis amygdala fundat.
Exarſit; ſectoque genas mihi perlinit ovo,
Quod tunc de natibus gallinæ traxerat, inde
Fœturam ingeniti cupidus dignoſcere pulli.
Ægre dilapſo, bulla ſpectandus & auro
Romanaque toga gravior ſe Tullius offert,

Non

243 *pæoniaſque artes*] medicas, a *Pæone* medico celeberrimo, qui *Plutonem* (ut in fabulis) ab *Hercule* gravi affectum vulnere ſanavit. *lubrica*] ſolvendæ purgandæque alvo apta. Vides, ut & in elyſiis *Sectanus* ſit lepide ſatyricus.

244 *atque recens*] Oleum amygdalinum taxare videtur recenter expreſſum: quod eo tempore ejuſmodi oleo quibuslibet morbis medici mederi ſe poſſe crederent, non bene morbi inſpecta natura, nullaque patientis ſtomachi habita ratione. Cave tibi, ſi ſapis, ab iis remediis, quæ univerſalia prædicantur.

245 *exarſit*] Satyrica punctus reſponſione aliquantulum iræ concepit *Malpighius*, ſibi putans illudi; & in os *Sectani* gallinæ ovum diſſectum projecit. Etenim rerum naturalium ſtudio atque experimentis, quibus vivus tenebatur, in elyſiis quoque delectari *Malpighium*, præſertim vero fœtura pulli gallinacei, de qua librum vulgaverat, ingenioſe commonſtrat.

248 *ægre dilapſo*] Malpighio: *partito di mal umore*. [*bulla ſpectandus*] Tunica *laticlavia*, ideſt ſenatoria, indutus *Sectano* occurrit *M. Tullius Cicero*, ut gravius ſermoni pondus & majeſtatem afferat. *bulla*] purpurea, h. e. *lato clavo*, qui ſenatorum erat inſigne, ut *anguſtus* equitum: quare illi *laticlavii* dicti, hi vero *anguſticlavii*. Vid. *enarrat.*

249 *romanaque toga*] Bene *romana*: quod toga romanorum propria eſſet, ut pallium græcorum: ideoque illi gens *togata*, iſti *palliata*.

Non fine contractis rugis, fimilifque frementi;
Et procul attollens librum, quem forte tenebat,
Quifne Bion, inquit, nunc verfo nomine Janus,
Stultitiæ fpecimen nuper qui condidit; & fe
Effe parem nobis jactat, vultuque fuperbo
Defpicit Iliadem, & divinum Æneida culpat?
Tres chartas, feptem titulos, & inania mille
Exigui argumenta animi conclufit in uno
Codice. Grande opus! Arpini quo fama laboret,

250 *non fine contractis*] contracta fronte, *facto ceffo:* quod folent, qui aliquid ftomachantur.

251 *& procul*] Nuperrime *Bion*, feu *Philodemus*, opufculum ediderat infcriptum, *Specimen Juris*. Hunc igitur librum manibus *Tullius* extuliffe fingitur, ut voluminis auctorem proderet *Sectanus*.

252 *quisne Bion*] Cicero quafi indignatus *Sectanum* interrogat, quisnam fit ifte *Bion*, nunc *Janus*, nuncupatus. Scias, *Philodemum*, prout res & occafio poftularet, folitum fuiffe varia fibi nomina impouere. Edito autem hoc libro, in fronte *Janum* repofuerat loco *Joannis*; repudiatoque nomine, quod a facro fonte inditum gerebat, *ethnico* Infigniri elegantius duxerat.

253 *ftultitiæ*] h. e. opufculum, cui titulus: *Juris Specimen*. Vid. *enarrat.*

254 *effe parem*] Eo *Philodemus* amentiæ veniffe fertur, ut ejufmodi edito libello, fe ne latum quidem unguem *Tullio* cedere impudentiffime jactaret.

255 *defpicit*] Vid. *fatyr.* 9.

256 *tres chartas*] Exiguo volumine paucarum chartarum libros tres (uti titulus præferebat) continere plane ridiculum, nifi fuppleretur mille pufilli animi & jejuni ingenii argumentis. Quod non ex noftra dicimus, fed ex Satyrici mente, qui fatyrico hic genio nimium rapi videtur.

258 *grande opus*] Amara ironia. *Arpini*] quo arpinas orator *Tullius* fama & exiftimatione periclitetur.

Atque oratorem condemnent roſtra puſillum.
Quam ſapit Auguſti liber hic dulciſſimus ævum!
Crediderim noſtra vixiſſe ætate Bionem,
Collegamque meum. Currentes deleat annos,
Romanoque novæ ſignentur conſule chartæ,
Jurabunt cuncti Philodemum priſca tuliſſe
Tempora, & eloquio forſan meliore Milonem
Tunc potuiſſe reum defendere. At o mea longo
Imprudens quiſquis ſequitur veſtigia greſſu!
Et fatui Bembus, Jovius, Sadoletus, uterque

Sca-

260 *quam ſapit*] Perſtat in ironia. 262 *currentes*] Audaciæ monſtrum nullo modo ferendum! Libelli illius ſcriptor apud inductos gloriabatur, ſi typographi nomen, & annus, quo editus erat, delerentur, omnes profecto credituros, aureo ſe Auguſti ſæculo ſcripſiſſe, *Roſciumque* ac *Milonem* robuſtiori eloquentia pro roſtris defendere potuiſſe.

263 *romanoque*] Romanorum more; quos alibi diximus conſulum nominibus annos ſignare conſueviſſe.

268 *fatui Bembus*] Oleum operamque perdidiſſe *Bembum*, *Jovium*, *Sadoletum &c.* nemo eſt quin videat, ſi ab audaci calabro *Tullius* ipſe, nedum celeberrimi *Tullii* imitatores, ſuperatur. *Bembus*] Petrus Cardin. *Bembus* venetus an. 1470. natus inter elegantiores XVI. ſæc. latinos ſcriptores Tulliique diligentiores imitatores recenſetur. Ob. an. 1547. *Jovius*] Paullus *Jovius* ſenior novocomenſis, Epiſcopus nucerinus, inſignis latino ſtilo hiſtoriographus XVI. ſæc. floruit. Ob. ann. æt. 70. v. id. octobr. 1552. *Sadoletus*] Jacobus Cardin. *Sadoletus* mutinenſis eadem ætate ea latini ſermonis elegantia ac nitore ſcripſit, ut vere *tullianum* dicere poſſis. an. 1478. natus. an. 1547. Romæ deceſſit.

Scaliger, & docto fruſtra vigilata Budæo
Pagina! Nos etiam, nedum vos, deſpicit impos
Græculus, & calabram romanæ opponere linguam
Sacrilegus jactat. Quid quod, cum gutture rauco
Strangulat obſcœnas voces & languida verba,
Auſonio putat ore loqui, noſtroſque referre
Accentus, pondus, numeros, putumque leporem?
Demens, atque iterum demens, quem ſyllaba torquet
Ambiguo librata ſono, farique laborat,

Je-

269 *Scaliger*] Julius Cæſar *Scaliger* pater, inſignis ſæc. XVI. criticus, poeta, medicus, philoſophus, an. 1484. in oppido *Ripa* agri veronenſis natus, Agenni (*Agen*) XII. cal. novembr. an. 1558. obiit. Joſeph. Juſtus, vel Julius, *Scaliger* filius nomen hinc ſuum multiplici eruditione, arte critica, latina, græca, atque hebraica lingua illuſtravit, illinc calviniana peſte fœdavit. Agenni natus prid. non. aug. 1540. Lugduni batavorum XII. cal. febr. 1609. denatus. *Budæo*] Guillelmus Budæus (*Budè*) Lutetiæ pariſiorum nat. an. 1467. multus fuit in latino ſermone excolendo, multaque ornate docteque ſcripſit.

272 *quid quod*] Digna profecto res, quæ ſæculis tradatur. Parum fuerat *Philodemo* Ciceronis eloquentiam ſcriptis ſuis æquaſſe; niſi etiam loquelam ac pronunciationem ipſam imitaretur. Quare inter proferendum latina verba, modo vocem tenuando, modo extollendo, peculiares accentus, moduloſque noſtris auribus inſolentes commentus eſt.

273 *ſtrangulat*] ut Plin. *ſtrangulare ſonitum*: nos *ſoffocare*.

274 *auſonio*] latina veterum pronunciatione.

Jejuna ut nemo dicentem intelligat aure.
Ipse ego, ab elysiis iterum si rostra liceret
Scandere, diverso loquerer sermone, recensque
Corrigeret Cicero Ciceronem. Cuncta fugaces
Immutant anni; solidoque ex ære columnas
Longa dies minuit. Tenuem nos vivere vocem,
Fluxaque verborum credemus regna manere?
Non ita. Temporibus, genio, placitisque juventæ
Serviat orator. Dicendi insignior arte

Ille

278 *jejuna*] Ita factum est, ut quæ loqueretur nemo intelligeret; & rei novitate perculsa in quodam celebri Arcadiæ conventu audientium corona tacere jussum sibilis exploserint.

279 *ipse ego*] Magno eloquentiæ principi habenda gratia, qui nostræ ætati minime invidus, si romano in foro iterum agere daretur, auribus sese nostris accommodaturum profitetur. Exemplum, credo, præ ceteris imitaretur *Dantes Aligherius*. Quidni? præsertim quod multo elegantiore sermone uteretur. Credo, inquam; nisi si patrium ingenium sua in sententia suisque in verbis illum obfirmaret.

281 *cuncta fugaces*] ad Horatii mentem *art. poet.* 60. Vid. *sat.* 7. 10. & *seqq.* & *enarrat.* 15.

285 *genio*] qui certe varius est pro gentium varietate. Quare *Tullius* Athenis non fuisset, qui Romæ fuit, nec *Demosthenes* Romæ, qui Athenis.

286 *dicendi insignior*] Ars dicendi atque eloquentiæ laus in eo potissimum sita est, ut mentes hominum invadat, alliciat, rapiat, quoque velit, ignotis quasi vinculis constrictas, secum trahat. Quod si quis assequatur, quo utitur, sermoni facile ignoscimus, nec aliquibus verborum maculis offendimur. Oratori siquidem non scrupulosis grammaticorum legibus, sed sæculi genio inserviendum: non quod stili nitor in verbis sit negligendus; sed quod quædam sit in oratione negligentia

Ille erit, & gallo felicior Hercule, qui ſe
Humanæ dominum mentis, cordiſque tyrannum
Præſtiterit, quocumque datum ſermone. Latinas
Lambere quiſquilias & ſtercora futilis Ennj
Grammatici labor eſt, qui ſemper inania captat,
Veraque, quas habeat, neſcit, facundia, vires.
At tu ſi ſuperas iterum remeabis ad auras,
Sectane, hunc Janum ſale multo ſparge & aceto.
Nulla magis Tullj placabit victima manes,

Vin-

tia in laude ponenda, quæ cum dicendi majeſtatem conciliat, tum te rerum potius quam verborum rationem habere ſignificat.

287 *gallo felicior*] Apud gallos *Hercules*, qui *Gallicus* dictus, eloquentiæ prudentiæque numen habitus eſt. Vid. *enarrat.*

288 *dominum*] Qui animi affectus vehementer permoveat, is fit humani cordis dominus, qualicunque tandem ſermone utatur. *tyrannum*] valet hic dominum: nam antiquitus bonam in partem vox *tyrannus* eſt uſurpata.

289 *quocumque datum*] Subaudias *id quod*: ut ſenſus ſit: quod quidem datum eſt, (fieri poteſt) quocunque tandem ſermone utaris. Vid. *enarrat.*

290 *quiſquilias*] minuta quæque & rancida verba, qualia apud Ennium, qui patria *Rudius* h. e. Calaber, poeta eximius, ſed temporum vitio admodum hirſutus, floruit an. V. C. 513. fuitque apud latinos, qualis apud nos *Dantes.*

293 *ſale multo*] Vides profecto quam bene morem *Tullio* geſſerit *Sectanus*, quamque acriter *Bionem* ſale multo acetoque perfricuerit.

295 *nullo magis*] Mactato *Philodemo* pacari poſſe apud inferos *Tullii* manes non credam. Neque enim comparandus græculus cum *M. Antonio* principe viro, qui de orbis imperio cum Auguſto concertavit. Hinc vero conjicere licet, quanta exarſerit indignatione in Calabri ampullas atque audaciam ſummus Orator.

Vindice te quamvis caderet, facinusque piares
Antonj. Spero hæc: tibi nam patareus Apollo
Ingenium jaculumque dedit, viresque paratas
Quidlibet audendi feliciter. At quoque vellem,
Et jubeo, ut calamo dictisque ferire pelasgos,
Quod bene cœpisti, properes operosius. Omnes
Nugarum artifices danai, & cantare periti
Fabellas pueris. Non est quod Græcia Romæ
Insultet: nostræ tanta est præstantia linguæ,

Ut

296 *facinusque*] Quamvis *M. Antonii* cæde ejus facinus, idest eo auctore, me interfectum, ulciscereris: tam mihi tamen non esset jucundum, quam si *Janum* hunc multo perfrices sale & aceto.

297 *patareus*] Ita dictus Apollo a *Patara* Lyciæ urbe, ubi maxime colebatur. Ibi enim ejus erat delubrum opibus, & oraculi fide, delphico olim simile. *Hor.* 3. *od.* 4. 64. = *delius & patareus Apollo*.

299 *at quoque vellem*] Bono sis animo, *Tulli*: nam tuis mandatis ad obtemperandum nemo *Sectano* propensior, qui græcos, seu potius illorum laudatores, passim suggillat ac ridet.

302 *nugarum artifices*] Ita *Sectanus*, ut satyræ indulgeat. Ceterum noverat ipse, noverat *Tullius* in scientiis litterisque nostros quasi progenitores esse græcos. Neque adeo latine doctus *Cicero* forte evasisset, nisi prius græce fuisset.

303 *non est quod*] In *Tusculanis*, librisque de *Finibus* passim Græciæ *Tullius* insultat; tantumque tribuit romanæ eloquentiæ, ut malit tragœdiam legere in latinum sermonem male translatam, quam græco eleganter scriptam. Id autem ad linguam pertinet: linguæ autem alicujus præ alia dignitatem non a se ipsa, sed ab hominum opinione proficisci strenue confirmat Lagomarsinius *orat.* 3. *pro lingua latina* edition. rom. 1753. pag. 51. Vid. *enarr.*

Ut peregrina queat donare vocabula achivis.
Hæc ubi dicta dedit, grandi dum plurima larvæ
Oscula & amplexus, nonnullaque verba parabam
Reddere, dilapsa est, cupidumque fefellit imago;
Auditusque sonus ferri tractæque catenæ.
Namque illi manes Catilinæ, atque umbra Cethegi,
Compede devincti, passim famulantur eunti.
Vidi etiam (vidisse puto; caligine tanta

Ora

305 *ut peregrina*] Latinam linguam græca vocibus ditiorem esse, non ita facile dabunt græci; nimiumque patrio sermoni *Tullium* hic velificari dicent.

306 *grandi*] Quoties epici aut tragici poetæ visus deorum repræsentant, imagines humana specie majores fingunt, ut illis obsequium admirationemque apud mortales concilient. *Grandis* iccirco umbra Tulliana a *Sectano* appellatur.

309 *auditusque*] Undecim hosce versus non habent edita.

310 *manes Catilinæ*] *Catilina* & *Cethegus*, homines perditissimi & patriæ hostes, *Cicerone* consule ab urbe pulsi, ac reipublicæ armis percussi. notissima historia apud Sallustium *de bello Catilinario*. Merito igitur perduelles illos cives pedissequos *Tullii* apud inferos catenis onerat *Sectanus*; ut Consulis vigilantissimi fortissimique & de romana rep. optime meriti gloria emicet, reorumque pœna prolatetur.

312 *vidi etiam*] Vidisse dicit, sed vix dictum revocat: nam vidisse putavit potius quam vidit. Quid ita? Barbarorum incursionibus pleraque insignium oratorum, qui in romano foro floruerunt, infelici dolendoque interitu, scripta perierunt, ut vix nomen ad nos usque venerit. Quare *Sectanus* tam densa fœdaque caligine involutos conspexit, ut eorum ora vix, ac ne vix quidem, agnoverit.

Ora premebantur) melioris munera fortis
Promeritos, dignosque extendere nomen in ævum,
Quorum scripta vorax gladius delevit, & ignis;
Jacturamque dolet Latii facundia. Cæsar,
Sulpitius, Messala, Cato, Quintusque Metellus,
Et qui sacrilegum pœnæ subducere Verrem
Audaci potuit sermone, uno ore fremebant.

Pro-

313 *munera fortis*] Sors illorum scriptis, qua digna certe erant, immortalitatem invidit.

315 *vorax gladius*] Barbaræ nationes ferro atque igne omnia per Italiam aliasque regiones vastando, multa veterum scripta ut omnino perirent, non sine sæculorum omnium luctu, effecerunt.

316 *Cæsar*] C. Julio Cæsari primas merito tribuit; maximus enim orator idemque imperator dubium posteris reliquit, stilo ne atque eloquentia, an militari fortitudine, majus sibi nomen compararit. ob. an. U. C. 710. ante Chr. 44.

317 *Sulpitius*] Serv. *Sulpitius*, *M. Cato*, *Q. Metellus Celer*, & *Q. Metellus Nepos* ætate Ciceronis floruerunt; quorum monumenta aliqua inter illius epistolas ad nos usque pervenerunt. *Messala*] M. *Valerius Messala Corvinus* insignis JCtus & Orator ætate *Horatii*, a quo 1. *sat.* 6. 42. & *art. poet.* 371. & 3. od. 21. 7. laudatur, uti & a *Tibullo* lib. 4. 1.

318 *& qui sacrilegum*] Is est *Q. Hortensius*. Nam cum *Verres* Siciliæ prætor statuis, pecunia, omnique pretiosa supellectile spoliasset provinciam, ac fœde diripuisset, prædamque ad litus advectam messanensi myoparone (*fusta*) Romam importasset; in judicio repetundarum *Cicero* provincialium strenue patrocinium suscepit; sed tullianæ facundiæ æmulus *Q. Hortensius* a sacrilego prædone pecunia corruptus, delinito siculorum spoliis judicum animo, meritæ pœnæ illum subduxit.

Progredior timidus: cum margine læta propinquo
Visa cohors, multum cui circum tempora lauri;
In manibus citharæ, pecten, membrana, tabellæ.
Accedo propius: namque hæc insignia gentem
Esse deo caram docuere, & noscere amicos
Ardebam veteres. O quæ, Ligurine, voluptas
Pectora demulsit! Naso laudare furores
Orlandi, thuscumque sibi componere vatem
Gestit; & Eridani nova gloria nascitur undis.
Ille tamen Pyrrhæ lapides, incestaque Myrrhæ
Gau-

320 *cum margine*] Ab oratoribus ad poetas transgressus, gentem deo caram gestiens agnovit *Sectanus*, statim ac immortalis lauri corona ornatos vidit.

325 *o quæ*] Poetam poetarum adspectus mirifica voluptate perfundit. Omne enim simile natura in sui simile fertur.

326 *Naso*] Ovidium *Nasonem* cum Ludovico *Ariostia* ingeniose componit Satyricus. Nitorem siquidem & miram in pangendis latinis versibus *Nasonis* facilitatem italica lingua æmulatus est *Ariostius*, ut hic italicus *Ovidius*, ille vero latinus *Ariostius* nulla verbi invidia dici possint. *Ludovici* autem ibi maxime excellit ingenium, ubi ducem *Orlandum Angelicæ* amore captum in insaniam furoremque incidisse miro artificio describit: quare *Ovidium* ea præcipue carmina laudantem inducit. *Ariostii* poema vulgo: *Orlando furioso*.

328 *& Eridani*] Eridanus, alias Padus, fluviorum in Italia rex non longe a Foro Alieni, seu *Ferraria*, præterfluit, ubi natus *Ariostius*, qui *Ovidio* non modo probatus, sed ab eo etiam laudatus novam gloriam regio patrioque flumini addere videtur.

329 *illa tamen*] Contra *Ovidius* pulcherrimas suas e *metamorphoseon* libris fabulas *Ariostio* recitare gaudet, scilicet post diluvium hu-

Gaudia, & auratis lapſum Phætonta quadrigis,
Aut Cadmi repetit ſegetem. Legiſſe recuſat
Quiſquis in hoc artem populo non novit amandi.
At Maro Torquatum complexus ſæpe trahebat
Ad fontes erebi, placidaque ſub ilice fletus
Herminiæ, & varios gaudebat diſcere caſus,
Atque inſana Ducis ſuſpiria, virgine poſtquam
Occiſa facinus ſcelerati devovet enſis.

Ibat

humani generis reparationem, jactis poſt tergum a *Pyrrha* & *Deucalione* lapidibus *lib.* 1. caſum *Phætontis* in Eridanum *lib.* 2. *Cadmum* interfecti ſerpentis dentes ſerentem, atque armatos inde milites ortos *lib.* 3. cæteraque veteris mythologiæ commenta.

331 *legiſſe recuſat*] Poteras, mi Naſo, libros quoque *de arte amandi* impune recitare: non enim te ira Auguſti ab elyſiis, ut jam ab Urbe & Italia, deturbaret. Infelix tamen vates, tot olim ob libros illos (ut ferunt) labores perpeſſus, ipſos apud inferos pontici exilii ærumnas pertimeſcit; ſeque iccirco abſtinet a teneris illis nimiumque noxiis carminibus repetendis.

333 *At Maro*] Alterum poetarum par nobiliſſimum *Virgilius* & *Torquatus Taſſius*; uterque in epico carmine æque verſatus, neque diſpari inter ſe gloria conjuncti: niſi quod præ thuſco ſermone latinus neſcio quid grandius ſonat. *Maro* tamen *Torquati* ingenio captus ejus amat conſuetudinem, manuque complexum rogat, ut ſub ilice amœniſſima infelicis *Herminiæ*, *Tancredi* ſui cauſſa, lacrymas atque errores narret. *Taſſius*: *Goffredo canto* 6. 7. & 19.

336 *inſana Ducis*] Cupit præterea *Virgilius Tancredi* (*canto* 12.) inclyti Ducis ſuſpiria furioſumque luctum audire, *Clorinda*, quam deperibat, barbara Virgine a ſe per noctis tenebras ſingulari certamine contra voluntatem interfecta. Pulcherrima epiſodia, quibus *Torquati* poema maxime illuſtratur.

Ibat & unanimis cum græco hetruſcus Homerus;
Et loca, quæ vivens expreſſit carmine, luſtrat
Nunc oculis; durumque ſonum carioſaque verba
Damnat, & incomptos expungit arundine verſus.
Civili hic aderat Lucanus ſanguine tinctus;
Nec non ingenti Thebas qui terruit umbra;
Et qui tænariis afflavit ſidera habenis

338 *ibat & unanimis*] Comœdia *Dantis Aligherii* a litteratis Homeri *Iliadi* æquatur: ideoque una apud inferos vivere finguntur.

339 *& loca.*] Inferorum enim deſcriptio pars eſt divinæ *Dantis* comœdiæ.

340 *durumque ſonum*] Dantes ea ſcripſit ætate, qua nondum hetruſca lingua ad hunc nitorem ubertatemque pervenerat: quare, uſus exoticis plerunque vocabulis ferreiſque dictionibus, tanti operis famæ non nihil obfuit. Itaque luſtrando ea loca, quæ ſuis in *bulgis* deſcripſerat, ſeu potius comparatione motus *Arioſtii*, & *Taſſi*, qui elegantiore ſtilo poſt floruere, cupit linguæ mendas corrigere & incomptos verſus expungere.

341 *civili*] M. Annæus *Lucanus* ſub Nerone *Pharſalia*, ſive de bello civili Cæſaris atque Pompeji, heroico carmine ſcripſit, ideoque civili ſanguine aſperſus.

343 *nec non ingenti*] *Statium* Papinium, poetam *Domitiani* tempore, innuit, qui in ſua *Thebaide Capaneum* græcum ducem, ſcalis admotis invadendarum urbium inventorem, *Thebarum* mœnia conſcenſum ingenti umbra attonitam civitatem terruiſſe dicit.

344 *& qui tænariis*] Claudianus alexandrinus, ſæc. IV. poeta Theodoſio, Honorio & Arcadio imperantibus: cujus poema *de raptu Proſerpinæ* ab inſana tumidaque hyperbole initium ſumit = *Inferni raptoris equos, afflataque curru* = *Sidera tænario.* . . . Apte igitur illum, hyperbolen augendo, mordet Satyricus: quodque ampulloſus poeta *Plutonis* quadrigis tribuerat, ipſi affingitur, ſoliſque equorum habenis afflare ſidera, cælumque dicitur.

Dum rapitur nigro mœrens Proſerpina curru;
Quique dolens gracili percurrit pollice fila,
Cum periit volucris nimium dilecta puellæ.
Hos inter latiæ ſublimis honore corollæ
Petrarcha exſtinctæ buſtum ſpargebat Amatæ
Floribus, & tenero pacabat carmine Ditem.
Adſunt & Charites, centumque Cupidine nati
Pellaces pueri, tædaſque & ſpicula quaſſant.

Mul-

345 *nigro*] Plutonis inferorum regis curru, a quo *Proſerpina* Jovis Cereriſque filia, dum in ennæis Siciliæ campis flores carperet, rapta eſt.

346 *quique dolens*] Catullus veronenſis poeta lepidus, & priſca ſuavitate venuſtus ann. U. C. 668. qui in obitu paſſerculi ab amica ſua maxime dilecti flebili carmine infortunium proſecutus eſt: = *Paſſer eſt mortuus meæ puellæ &c.* [*gracili*] tenui ſtilo.

348 *hos inter latiæ*] Franciſcus *Petrarchius* latino edito *Africæ* poemate, tantum ſibi nominis adeptus eſt; ut Senatus Populuſque romanus, perraro exemplo, lauri corona in Capitolio donandum decreverit. Vid *enarrat.*

349 *Petrarcha buſtum ſpargebat*] Lauræ amore flagrans italico carmine immaturum illius obitum ſuaviter adeo eleganterque deflevit, ut apud inferos myrto floribuſque lectiſſimæ fœminæ ſepulcrum ſpargere, dulciſſimiſque verſibus umbrarum rectorem pacare pergat.

351 *adſunt & Charites*] Cui melius adſtarent Charites, & coram quaſſarent faces centum Cupidines, (*le Grazie e gli Amorini*) quam *Petrarchio*? Nemo enim poſt homines natos eo ſuavius ſcripſit, qui tam eminente loco poeſim hetruſcam collocavit; ut metam ab ipſo poſitam tranſgredi deſperandum videatur.

352 *tædaſque*] faces, quibus hominum corda incendunt; *ſpiculæ*, quibus feriunt verſuti Cupidinis pueri,

Multi illuc rauci thuſco de gutture olores
Concurſant, ſparſumque caput jactare recenti
Furfure feſtinant: potius ſed rudere credas,
Quam canere, atque ignita ſequi veſtigia currus,
Quo crudus niveis Erycinæ ducitur Infans

 Qua-

353 *multi illuc*] Florentina Academia, vulgo *della Cruſca*, ſummi Vatis natalibus illuſtrata, multos habet, qui *Petrarchium* imitentur ac ſequantur, vel potius imitari ac ſequi ſibi videantur. Eos autem Satyricus *raucos olores*, ſeu cycnos, appellat, quod vitio nativæ pronunciationis e gutture potius quam ex ore promant verba, ut *Sat.* 9. 315. = *Et voces, patrium quas guttur fecit opacas*. = qua de re multa lepidiſſimus Hieronymus *Gilius* Senenſis in *Dizionar. Cateriniano* v. *pronunzia*. Ejuſmodi ob vitium non modo apud finitimas, ſed etiam apud diſſitas nationes, irriſiones & ſannæ: & in meritoriis theatris retro actis temporibus florentini cauponis perſona frequenter producebatur, populi voluptas ſimul & ludibrium.

354 *ſparſumque*] Academiæ illi florentinæ inſigne eſt incerniculum (*buratto*, vel *frullone*) quo farina a furfure ſecernitur, ex eaque pollen (*il fiore*) colligitur, ſuo cum infundibulo (*tramoggia*) appoſita inſcriptione: *il più bel fior ne coglie*. Arni igitur olores h. e. poetæ, caput oſtentant eo furfure conſperſum, ut æſtimationem apud imperitum vulgus aucupentur.

355 *potius ſed rudere*] quod aſini eſt, non oloris. Quid ad virtutem confert criſpata cæſaries, ac farinæ pulvere conſpicua? Puellane amantium illecebris opportuna erit virtus, quæ hujuſmodi blanditiis capiatur? Audias cultos ejuſmodi calamiſtratoſque poetas. Credas potius rudere, quam canere, aut ſequi ignei illius currus veſtigia, quo *Petrarchius* triumphantem Amorem invexit.

356 *ignita*] Ab ignifero puero ignita & currus veſtigia.

357 *crudus*] Nam a *Cupidine* inflicta vulnera, neſcis an potius acerba ſint quam jucunda: mille enim inde curarum æſtus. *Erycinæ*] Veneris filius infans *Cupido*, quæ

Quadrijugis, ſpoliiſque ferox exſultat opimis.
Singula dum repeto, nota me voce ſalutat,
Et nondum viſus clamat Juvenalis: amice,
Si te fata vocant, & noſtris incola terris
Advenis, hic fidi commercia mutua cordis
Experiere mei: quin tecum Perſius una,
Celtiber, & nitidus gaudebit Horatius ævum
Ducere. Sin autem ſtricto ſævire flagello

In

quæ ita dicta ab *Eryce* monte in Sicilia, ubi ſplendidiſſimum illius templum.

358 *ſpoliiſque*] Reſpicit ad *Petrarchii* carmen, *Trionfo d' Amore*. *opimis*] ex romanorum more, qui triumphum agentes ſpolia hoſtium ferebant; quorum *opima* erant, quæ a devictæ gentis ſive rege ſive imperatore capta eſſent.

360 *Juvenalis*] Inter latinos Satyricos *Horatium*, *Perſium*, & *Martialem*, qui *Sectano* occurrunt, ſolus *Juvenalis* (qui aquinas Trajani & Hadriani temporibus vixit) loquitur, amicum appellat, notaque voce ſalutat. Noſter enim Satyricus ad *Juvenalis* ſtilum propius acceſſit, licet *Horatium*, & *Perſium* ſæpe redoleat, ipſumque *Martialem*.

361 *ſi te fata vocant*] ſi ſic eſt in fatis, ut hic apud nos maneas &c.

362 *Perſius*] A. *Perſius* Flaccus volaterranus, *Lucani* æqualis, doctus, argutus, acerbiſque ſalibus plenus, ſed obſcurus, nono obiit Neronis anno.

364 *Celtiber*] h. e. hiſpanus, Bilbili natus in Celtiberia, nunc *Aragona*. M. Valerius *Martialis* ſub Domitiano, Nerva, & Trajano, non omnino inſulſus epigrammatis artifex, ſed interdum ſcurrilis; non tamen igni damnandus, (quod ſenſit *Muretus*) cum aliquas ab eo romanarum rerum ſuique temporis morum notiones habeamus, quæ aliunde non haberentur. *Horatius*] Q. *Horatius* Flaccus venuſinus, an. U. C. nat. 689. ante Chr. 65. qui bene *nitidus*: in eo enim latinus ſermo tam nitet, quam in quo maxime.

365 *ſin autem*] ſi vero ſic eſt in fatis, ut ad ſuperos remees, ac ſatyræ flagellis corruptos mores diverberes &c.

In mores properas, non longius aura beatæ
Sedis & innocui teneat te cespitis umbra.
I pede magnanimo, totamque impune per Urbem
Fas tibi criminibus vitiisque indicere bellum.
Nec timeas populo vultus aperire: tuetur
Te causa, & sancto metuens nil Principe virtus.
Immerito male sana doles; quin plurima debes,
Roma, tuis satyræ scriptoribus. Improba Claudj
Peccavit conjux; nostro sed fuste dolata
Terruit ausonias matres; nuptasque latinas
Sacra maritalis docuit servare cadurci,
Præterea vani mores ridere popelli

397 *& innocui*] Innocentii XII. P. M. regnum puto hic designari; ut *umbra* sit virtutis sub optimo Principe patrocinium: idque persuasum habeo ex eo, quod mox subdit: = ... *& sancto metuens nil Principe virtus*. = Invidet *Juvenalis* Sectani temporibus, utpote qui sæculo vixerit corruptissimo, quo nullum erat virtuti apud regnatores perfugium.

370 *vultus aperire*) & vultum & verum nomen ne timeas prodere.

373 *improba Claudj*] Postquam *Juvenalis* Sectano satyræ præstantiam, & scribendi sub sancto Principe securitatem commemoravit, quantumque debeat Roma poetarum aculeis, qui vitia impune grassari minime patiantur, ad *Messalinam* descendit *Claudii* imperatoris conjugem, cujus scelera impudentiamque inauditam sexta ipse in satyra exerto stilo confoderat: quo exemplo sibi ipsis consulentes romanæ matronæ pudicitiam & lecti maritalis fidem servasse ait.

376 *sacra*] sacra jura. *cadurci*] h. e. lecti, seu thalami conjugalis: de qua voce alibi.

Et res turpiculas moneo. Venatio Burrhi,
Quinta cui (loqueris dum thuſce) littera deſit,
Laſcivæque canum nares, hæderæque mariti
Zelotypi, conjux peregrinæ mercis amator,
Naſicæ volucres imitataque carmina ranas

Præ-

378 *venatio Burrhi*] Præcepta ſatyræ tradit noſtro *Sectano;* jubetque res putidulas aliquando attingere, unde riſus pariter & ſtomachus moveatur. Inter hæc primo numerat *Burrhi* venationem. Obſcuriſſimum hunc ut locum aſſequaris, ſcias oportet, *Burrhum*, ineptiſſimo de avium venatione libello italice ſcripto, cui propterea titulus *la caccia ec.* ut facilius emptorem inveniret, cum titulum conſuetis in Urbis locis publicæ luci expoſuiſſe. Noctu vero ab ignota manu deleta e voce *caccia* quinta littera, mane viderunt homines *Burrhum* venalia feciſſe per publicum edictum ſui ventris excrementa: nam *cacca* pro *caccia* a prætereuntibus legebatur. Quæ res mille in populo riſus, ac mille dicteria excivit. *Abbas* quidam cognomine *Solazzius* in *Burrhi* nomine latet.

380 *laſcivæque*] Alia ſatyræ argumenta, ideſt quorundam, maxime juvenum, laſcivia, qui quaſi canes circumeunt ubique olfacientes, ſuam ut libidinem expleant; & quæ ſequuntur. *hederæque*] Pulcherrimam in Urbe matronam ſibi conjugio copularat ſenex quidam, ſed fluens marciduſque non uno cauterio, præcipue vero, ut moris eſt, zelotypia tabeſcens. Hunc ridet, hederæque folia, quibus curantur, ipſis pro cauteriis ponit.

381 *conjux*] Non unum, ſed plures (forte & quamplurimos) conjuges intelligas, qui alienas ad mulieres, non urbanitatis (quod plerumque venditant) & officii, ſed perverſæ cupidinis gratia, quotidie accedunt, earumque aſſidue lateri adhærent. Sæculi probrum, ex quo permulta rei, cum privatæ, tum publicæ, incommoda dimanant.

382 *Naſicæ*] Auctor libri, quo volucrum cantus ranarumque coaxationes explicantur, tot aliis egregiis operibus claruit, ut hic, pace *Juvenalis*, irrideri non mereatur.

Præbebunt calamo ſegetem. Satyrus duo nectat,
Acre & ridiculum, dulcique aconita cachinno
Miſceat. Ipſe tibi monſtrabit Horatius unde
Colligere hæc valeas. Simul & diſcedere cogit,
Deſignatque viam digito: ſed callis euntem
Fallit, & ignoto deducit tramite greſſus.
Eſt locus æternæ noctis, quem nuda coronat
Fatorum ſeries. Intus penetralia ducunt
Fila deæ, turpes vetulæ, ſpurcaque ſaliva
Prægnantem tereti compellunt turbine fuſum

tur. Ita ſua manu *Sectanus* ipſe ad hunc locum. *Naſica* in ſatyris eſt *Creſcimbenius*.

383 *Satyrus*] h. e. Satyricus. Poſtremo verum ſatyræ ingenium explicat, quod eſt ex temperamento acris & ridiculi: quod quidem temperamentum in antiquis reperire non eſt. Nam *Perſius* & *Juvenalis*, abjecta ſcutica, gravi flagello uſi ſunt. *Horatius* vero ac *Martialis* jocis potius ac ſalibus, quam acri ſtilo, rem gerunt. An *Sectanus* noſter utrumque ſit aſſequutus, legentibus judicandum relinquimus. Nobis quidem vere de illo ſcriptum videtur: = ... *ſubdit nam Perſius iras*, = *Cum Flacco ridet, cum Juvenale tonat*. =

384 *aconita*] translate; pro vituperationum in ſatyris amaritudine.

389 *eſt locus*] Dimiſſus ab Juvenale *Sectanus* a deſignato tramite locorum ignarus aberravit, Parcarumque ad domicilium acceſſit: quod graphice deſcribit, & infernarum ſororum opificium & crudelitatem ob oculos ponit. De *Parcis* alibi.

392 *turbine*] al. rhombo: *mulinello da filare*. Albinov. *ad Liv. v.* 85. = *Hanc lucem celeri turbine Parca neat*. = [*fuſum prægnantem*] ſtamine gravidum. Notiſſima *Parcarum* fabula.

Sollicitantque manu muliebria penſa ſenili.
De tribus una ſoror cunctis immitior, ore
Pallida, & impexos digito turbata capillos,
Forfice luſtra metit, primoque obtruncat in ortu,
Non ſecus ac violas populatur turbidus auſter.
Mille aderant cœpti ſecreta in parte labores
Plerumque obſcuri, nec habebant vellera nomen;
Quin oleo & vili de ſumine lana fluebat.
Aſt ego furtivo percurrens lumine telas,
Plebejoſque colos, quæſivi ſtamina regum
Purpurea, & ſparſo creſcentia licia flore.
Tunc mihi phryxeo vellus ſpecioſius auro
Af-

394 *una ſoror*] Ea eſt *Atropos*, ita dicta, quod immitis ſit & inexorabilis.

396 *luſtra*] h. e. humanæ vitæ annos.

399 *plerumque obſcuri*] Pauci ſunt homines, qui ſupra vulgus aut virtute aut generis ſplendore emineant: atque ideo telæ *Sectani* oculis objectæ viles plerumque & obſcuræ.

400 *quin oleo*] Lana, ut mollior ſit ac ſequacior, oleo perungi ſolet.

401 *furtivo*] negligentibus oculis minuſque curioſis: italice: *ſottecchi*, & *ſottecco*, ſive *alla sfuggita*: hanc enim hic vim in voce *furtivo* ineſſe puto.

403 *purpurea*] Vitæ regum pretioſiſſimas telas, non levidenſes & inornatas, ſed purpureas, floribuſque aureis intertextis graves & aſperas. *licia*] pro ſubtegmine totave tela.

404 *tunc mihi*] Dedignatus vulgi telas inſpicere, contemptiſque ſtaminibus, quæ olei fœditatem olebant, Principum Regumque vitas, a quibus pendent reipublicæ populorumque fata, curioſus perquirere feſtinavit. Statim autem
illius

Affulſit, mixtiſque roſis candore nivali
Tænarias pura vincebat luce tenebras.
Urget opus Tiberis Genius, ſimiliſque precanti
Demulcet divas: illo nam ſtamine pendent
Res italæ, mundique ſalus, & publica vota.
Ilicet exclamo: ſecuro pollice lanam
Ducite concordi fatorum lege, ſorores;
Et nivei ſemper calathi nova fila miniſtrent;
Donec tranquillo vacuetis plurima fuſo
Sæcula, & alma ſuo ſub Principe Roma ſeneſcat.
Hæc fatus, dubiam qua monſtrat rimula lucem,
Reptare incepi, feſſoque errore locorum
Infernaque via tandem ſopor occupat artus;

Et

illius oculis affulſit vellus phryxeo fabuloſo ariete longe pretioſius, cui lucis candor & roſarum purpura tale decus addiderant, ut nativas loci illius tenebras diſſipare potuerint: atque illud erat *Innocentii XII. P. M.* vita univerſo terrarum orbi pretioſiſſima. *phryxeo*] a *Phryxo* Athamantis thebani regis & Nepheles filio. Vid. *enarrat.*

497 *urget opus*] Romæ Genium ſollicitum adſtare cernit, crudaſque textrices verbis mulcere atque enixe precari, ut telam quamdiligentiſſime multos annos texere pergant, a qua publica ſalus, Italiæ ſpes, totiuſque Orbis vota pendebant.

410 *ilicet*] Statim ac vidit *Sectanus* de Optimi Principis *Innocentii XII.* vita agi, nil veritus *Parcarum* iracundum moroſum atque intractabile ingenium, in eos erupit ſenſus, quos nulla unquam delebit oblivio.

416 *reptare*] Quinque hi verſus alibi deſiderantur,

Et biduo in calida jacui resupinus arena.
Illinc, dum longos nutriret palpebra somnos,
Cujus ope ignoro, sed certe munere divum,
Evasi ad superos, ubi te, Ligurine, parantem
Sectano inferias lacrymas abstergere jussi;
Et vivus vegetusque adsum. Multum mihi restat
Audire. Ecquid agit tenebroso in carcere noster
Trossulus? Emuncto credam te singula naso
Olfecisse tuo, atque omnes cognoscere larvas.
Ecquid agunt? Ride. Torvo illos lumine figit
Luridus Umbrarum rector, nigrosque jugales

Pe-

423 *multum mihi restat*] Ligurinus, narratis minime contentus, quamplurima a *Sectano* curiosus exquirit.

425 *Trossulus*] Pro plurali numero utitur singulari. Quid agant *Trossuli* apud inferos, primo interrogat *Ligurinus*. Hoc nomine vel in antiqua republica appellati sunt romani equites, quod *Trossulum* ignobile hetruriæ oppidum quadam in expeditione occupassent, & militari gloria tumidi, velut expugnata Carthagine, Romam rediissent. Inde per jocum irrisionemque *Trossuli* dicti. Quibus ejusmodi nomen conveniret, *Sectani* ætate plures fuisse credo romanos equites: an aliqui sint per hosce dies, videant, qui Romæ vivunt. In iis certe, quæ sequuntur, versibus acerrime vapulat romana juventus. Spectet tranquillus, qui nihil habet reprehendendum castigandumque. Igitur *ecquid agit Trossulus noster?* italice est: *che fanno colaggiù i nostri cavalierotti romani?*

emuncto] acuto olfactu singula perlustrasse, singulasque animas bene novisse.

428 *Luridus*] Pluto, quod aurigandi studio arserint in hac vita,

ta,

Pectere, & æternum mandat quassare flagellum.
Illorum quisquis melius crepituque sonorus
Lora quatit, furvæ jam designatur habenæ
Auriga, in siculos si forte erumpere campos,
Atque nova cupiat thalamos reparare rapina.
Hoc tantum sperare licet: nam Brutus, & asper
Ore Cato, Fabius, Curius, fortisque Camillus
Degeneres spuriosque vocant, illosque recensent
Albanos inter cives equitesque sutrinos.
Et merito: nec enim trojano sanguine cretum,
Et genus Assaraci credam, Martisque nepotem,
Qui nunquam timidum vagina liberat ensem,
Alligat & tunicæ capulum, ne lædere quemquam
Spon-

ta, poenæ eos damnat nigros equos pectendi, quassandique flagellum.

430 *illorum quisquis*] Toties in satyris castigatus patriciorum genius equos tractandi moderandique *Plutoni* quoque notus: quare, qui eorum sit aptior, ab eo aurigæ officiis destinatur, regendoque currui suo, si forte, desperata ex *Proserpina* sobole, in fœcundiorem rapinam animum intendat.

432 *in siculo*] Superius 345. diximus *Proserpinam* a *Plutone* in ennæis Siciliæ campis raptam fuisse.

434 *sperare licet*] Ab ejusmodi patriciis præter aurigationem nihil aliud speres.

437 *albanos*] non Urbis dominæ, qualis Roma, sed oppidorum, qualia fere sunt Sutrium & Albanum, cives & equites.

439 *genus Assaraci*] trojanos nepotes: nam *Assaracus* Æneæ, a quo romani, abavus.

441 *tunicæ*] h. e. vaginæ. Vides quam

Sponte sua properet cuspis male sana duello.
Vecordes animæ! lateri discingite ferrum,
Atque aptate colos. Virtus romana quadrigæ,
Aleaque, & fœdo traductæ in fornice noctes.
His utinam contenta foret! Sed pectore virus
Condere, & in labro risus disponere, amicum
Fallere, adulari, servos & vilia quæque
Mancipia obsequiis & turpi lambere palpo,
Nemo magis callet quam vos. Quid? nonne puellas
Ingenuas fraudare licet, capitique decorum
.Flam-

quam lepida hyperbole ejusmodi juvenum vecordiam ridet. Timent quippe, ne sua sponte erumpat ensis.

442 *duello*] Non quod singularia certamina divinis humanisque legibus vetita probare videatur, sed ut istorum timidum exprimat ingenium.

443 *aptate colos*] non enim estis viri, sed fœminæ.

444 *virtus romana*] Nimium ne Satyricus romanis moribus irascatur, videant qui diu in Urbe versati sunt, ac prudentes rerum æstimatores. Ita in hunc locum *Sectanus* ipse. An vero eadem adhuc sit romanorum morum facies; videant, qui nunc Romæ versantur.

448 *fallere*] Pudet dicere. Cum de homine agitur bilingui & vafro, qui te ridendo blandiendoque fallat, italice quasi proverbii loco dici solet: *è romanescato*.

450 *nonne puellas*] Non ex ingenio, sed ex recente facto Romæ notissimo, ita *Sectanus*. Nam desponsata nobili virgine, traditoque annulo fidei tessera, quidam romanus eques ab ea resiliit: quare, ut stabilia sint in urbe conjugia, postulat Satyricus, ut in posterum non auri circulus, sed gravis ferrarii fabri catena despondentium voluntatem devinciat.

Flammeolum, & digito lustratæ pignora gemmæ
Non servata fides adimit? Si circulus auri
Sponsorem vincire nequit, firmate catena
Compedibusque, nigri, posthac connubia, fabri.
Quid memorem quanto frangunt patrimonia luxu,
Et veteres statuas & olentia signa Corinthum,
Patriciæ monumenta domus? Non jugera tantum,
Et nemus, & cultas jam diripit auctio villas,
Sed thecam umbellæ, ac ipsum pulvinar equestre
Sæpius adspicimus domina venale sub hasta;
Deque tuis auro textis, generose, lacernis
Fiunt interulæ, birri, tunicæque matellæ,

Unius

452 *flammeolum*] desponsationis insignia: de *flammeo* in *sat. super.* 239. [*lustratæ*] gemma pro annulo: pars illustrior pro toto composito, quam dicit *lustratam*, quod annulus sponsæ tradendus sacro ritu lustratur.

457 *olentia*] statuæ, quæ ad æris corinthii, de quo alibi, similitudinem accedunt.

458 *non jugera*] Ex luxuriosis profusisque sumptibus, non modo prædia & villæ, verum etiam necessariæ nobilium supellectiles præconis voci subjiciuntur.

460 *sed thecam*] Pertinet ad supellectilem theca umbellæ, quæ per apparitorem delata aliquem ex proceribus adventare significat. Pertinet & *pulvinar equestre*, quo nonnisi nobiles matronæ utuntur.

462 *deque tuis*] Crescit dedecus tuum, nobilis trojugena: nam vestes illæ sericæ auroque gallico sparsæ, quibus tantum superbire consueveras, ab hebræo propola in frusta dissectæ varios in usus abeunt, atque adeo in scaphia (*orinali*) convestienda.

463 *interulæ*] vestes interiores, *sottovesti*. vox quippe adjectiva est *interula*, quæ hic ad *vestem* refertur, *birri*] nobis: *cappotti*, *gabbani*. Vid. *enarr.*

Unius argenti drachmam si luscus Apella
Augeat, occiduo dum spirat lumine cera.
Quid non immutat suprema potentia fati?
Olim deposito veniebat consul aratro
Ad fasces: at nunc de consule fiet arator,
Si nimium celeres urgent stringuntque calendæ,
Fœnebris & patrium limare pecunia censum
Cœperit. Æstivos tunc odimus Urbe calores,
Rhedarum strepitus, & fœdos pulvere vicos:
Rura placent, parcusque cibus, sine Mentore mensæ,
Nu-

464 *drachmam*] si supra ceteros licitatores *Apella*, h. e. hebræus aliquis luscus, paullulum aliquid offerat. *drachma* quippe, octava unciæ pars, nummus argenteus atticus romano *denario* plus minus æqualis, nostroque *julio*.

465 *dum spirat*] extinguitur auctionaria candela: alibi enim diximus accensa candela auctiones alicubi fieri.

468 *ad fasces*] ad imperium, cujus erant fasces insignia.

469 *stringuntque*] Obæratus romanus nil magis expavescit, quam celerem calendarum adventum, quibus usuræ solvendæ: quare si graves urgeant nimiumque stringant, de consule fit arator, h. e. de statu misere decidit. Tunc autem fit, ut semper in ore habeat veterum quorumdam romanorum paupertatis ac frugalitatis exempla, Fabriciique præsertim, Luscini, Catonisque luxu intactum animum laudibus extollat.

471 *tunc odimus*] tunc isti decoctores ab Urbe ad villam secedunt; secessionis autem caussam non rei familiaris angustias afferunt; sed urbanos calores, strepitus, viasque pulverulentas caussantur.

473 *rura placent*] tunc jam incipiunt hinc arridere solitudo, parcus victus, simplex mensæ apparatus, illinc famulorum officia, totque urbis incommoda displicere,

sine

Nudatumque latus famulis. Sic ære gravati
Serrani evadunt Curiique; & prisca Catonis
Tempora collaudant: o quæ convivia, quales
Acturi choreas, turpi si creditor ore
Ultra sauromatas gelidumque recederet æquor,
Aut nummus vacua redivivus cresceret arca!
Præterea insanas quanta vertigine mentes
Ambitio vanoque implet præcordia fumo!
Invenies Romæ paucos, quantumlibet imæ
Stirpis, iuleas qui non meditentur habenas

Car-

sine Mentore] sine vasculis *mentorea*, h. e. celebri, manu cælatis, idest sine splendore ac lautitia.

475 *Serrani*] Clarissimos in romana historia vides parsimonia & modestia *Serranum*, *Curium*, *Catonem*. Hos igitur eorumque tempora collaudant; non quod de iis præclare sentiant; sed quod, velint nolint, ad imitandos dura necessitate compellantur.

477 *turpi si creditor*] Turpem vocare solemus creditoris faciem; neque alia porro iis videri potest, qui fœnebrem pecuniam debent. Ista igitur si parum liberalis facies ultra sarmatas & mare glaciale abiret, vel si vena signati metalli ex inani arca erumperet, quæ convivia, quas saltationes inires, mi *Trossule*, qui modo cum ligone tam bene philosopharis!

480 *præterea insanas*] Diverberata divitiarum profusione, ac prodigo romanorum genio, ad eos venit, quos ambitio fumo obcæcatos perpetua rotat vertigine.

482 *quantumlibet imæ*] Si ambitione ii tantum laborarent, quos propago generosa, & avitæ divitiæ commendant, libenter infelix privilegium ferret *Sectanus*. Sed quis ferat infimæ notæ homines, e sutoria taberna cum formis nuper dimissos, Romæ ita vano tumore inflari, ut vel summam potestatem temeraria spe aliquando præsumant?

483 *juleas qui non*] Roma urbs *Juli* dicta ab *Julo* Æneæ nepo-

te

Carpere, & ingenti crinem veſtire tiara.
Nemo mathematicos non conſulit, ut ſua noſcat
Sidera. Nil reſtat: triplici circumdata luce
Hora tuæ affulſit geneſi: dicere Beatus,
Et tibi feſtivis ardebit putre quotannis
Doliolum flammis, populumque videbis ab alto
Turbidus octophoro. Fatui, quibus acta petauro

Mens

re; quare qui *juleas* habenas moderari meditatur, ideſt romani regni potiri, bonum opus profecto deſiderat.

484 *ingenti tiara*] quæ eſt Pontificis Maximi.

485 *nemo*] Ejuſmodi ambitioſi mathematicos, ideſt ridiculos aſtrologos, ſeu potius ægyptias fœminas (*Zingare*) ſuo de horoſcopo conſulunt.

486 *nil reſtat*] Facta palmæ inſpectione, aſtrologus nebulo, ſive ægyptia fœmina, fauſta omnia prænuntiat, horamque eorum nativitati triplici luce circumdatam, quæ triplicem P. M. coronam deſignat, affulſiſſe certo certius dicit. *nil reſtat*] ne plura: nullum dubium: ait ſtultus prænuntiator.

487 *dicere Beatus*] Triplex aſtrorum jubar benigno tibi favet aſpectu: *Beatiſſimus* ſalutaberis. Ita niliaca ſaga ſpopondit.

488 *& tibi feſtivis*] Anniverſaria Pontificis Maximi inaugurationis die quotannis populus romanus edere ſolet lætitiæ ſigna, inter quæ dolia vetuſtate conſumpta ſubjecto igne ante domorum fores cremantur.

490 *turbidus octophoro*] Octophorus olim lectica (ex *Martial.*) quam octo ſervi geſtabant, hic ſella geſtatoria octo hominum cervicibus impoſita, qua vehi ſolet Romanus Pontifex ſolemniore ritu ad Aram facturus. Ab illa petulans ejuſmodi ambitioſus populum ſe e ſublimi turbido obtutu deſpecturum meditatur & gaudet. *acta petauro*] quorum mens eſt in perpetua ambitionis rotatione. *petaurum* enim ab αὔρα, *aura*, & πετάομαι, *volo*, erat machina in ſublimi ſuſpenſa, ex qua ſe in aerem excutiebant, atque in ter-

ram

Mens nunquam conſtat, curſuque rotatur inani!
  Ut placet, atque jocos nulla mercede coemptos
Particulo præbere ſolet, cui tincta veneno
Lana terentino bibulos abſumit ocellos!
Quique palatina, ridendus Ghittus, in aula
Immundis ſoleis ſparſuſque e ſorde lacernam,
Coccineos ambit Patres, cupidumque mitellæ

ram devolabant. Vid. *enarrat.*

492 *ut placet*] Alter fatuus, minoris tamen amentiæ, ſub *Particulonis* nomine, gratuito ridendum ſe præbet; quippe qui, purpuræ fulgore oculis quaſi abſumptis, inter *Cardinales* cooptari vehementiſſime cupit.

493 *veneno*] h. e. colore, ut alibi. Hor. 2. ep. 1. 207. = *Lana tarentino violas* (purpureas) *imitata veneno.* = Tarenti enim optima olim purpura.

494 *bibulos*] cupidiſſimos & quaſi vorantes.

495 *quique palatina*] Pacatur ſenſim & decreſcit ambitio: a *pontificatu* ad *cardinalatum*, atque inde ad *epiſcopatum* deſcendit. *Ghittus*] inſignis concionator, Romæ tum temporis ad nauſeam notus, eccleſiæ alicujus regendæ tanto exarſit ſtudio, ut procerum irriſiones, & noſtri *Sectani* ſalem curandæ infirmitati opportunum, ſibi compararit.

496 *immundis*] Is erat *Ghittii* habitus.

497 *coccineos*] S. R. E. *Cardinales*, qui ſaturatis coccineo colore veſtibus utuntur. Hos *Ghittius* quotidie ambit, ſalutat, preſſenſat, precibuſque fatigat. *cupidumque*] Caput ſcabit: nam ex deſiderii vehementia ſanguis cerebrique vividiores ſpiritus e ſutura coronali largius erumpentes capitis cutem tuberculis affecerant, unde pruritus. *mitellæ*] diminutiva vox a *mitra*. Quacunque vel parvula mitra, h. e. quacunque eccleſia, licet parum inſigni, modicique cenſus. Mitellam optat, h. e. ſacram ſponſam, etiamſi ea villica ſit, neque aureis monilibus ornata, multaque dote conſpicua.

Sæpe caput ſcabit, & baculum ſuſpirat opimum!
Si ſapiunt proceres, potius tibi, Ghitte, regendas
Virga gallinas tradent, quas Umbria mittit
Fertilis ovorum, vel quas per compita Romæ
Saltantes tenui Maculo compellit hibiſco
More capellarum. Laſſare ſedilia tandem
Sit pudor, & ſanctum braccato milite limen.
Non gazæ fulgor, bis non e murice tincta
Lana poteſt cæcos removere a mente tumultus;
Inſomneſque volant circum laquearia curæ.

Con-

498 *baculum*] epiſcopalem : *paſtorale*.

500 *gallinas*] Ex Umbria gallinarum fertiliſſima ſolent pulli indici turmatim Romam agi, quos cuſtodes per urbis compita venum ducunt, virgiſque, ſi opus ſit, coercent, & tamquam pecudes moderantur. En qui populi *Ghittio* regendi traduntur.

502 *Maculo*] ſordidus viliſque, ut alibi, propola. *hibiſco*] gracili virgula ex hibiſco (*malvavischio*) ex *Virg. ecl.* 2. 30.

503 *Laſſare*] Pudeat, *Ghitti*, nimia aſſiduitate aulæ ſedilia laſſare, ac palatii quirinalis ſanctum, h. e. pontificium, limen terere.

504 *braccato*] Pontificium limen ab helvetico ſtationario milite, ingentibus braccis induto, cuſtoditur.

505 *non gazæ fulgor*] Quatuor verſus hic expunxit ultimis curis, & novem ſurrogavit *Sectanus* : ut in noviſſimo autographo. Optimo conſilio acquieſcat *Ghittius*, & concionator chriſtianos ſenius a ſatyrico diſcat. Non aurum, non dignitates, ſed in fortuna vel mediocri ac tenui animi tranquillitas felicitatem parit. *murice tincta*] purpurea veſtis ampliſſimi honoris inſigne.

507 *inſomneſque*] Curæ, quæ noctes te inſomnes ducere cogunt, volant circa laquearia, præſertim aurata, h. e. in potentiorum ædibus, inter divitias ac ſplendida dignitatum ornamenta.

Contentus modico vitæ felicior auras
Efflabis, centum quam ſi tibi jugera arator
Appulus, & pingues agitaret vomere glebas.
Quiſquis multa cupit, multis caret. Ille beatus
Dici jure poteſt, præbet cui parca deorum
Dextera quod ſatis eſt, extremo & diſtat utroque.
Sunt alii, fatui pariter, qui licia poſtquam
Diſſolvit, vacuiſque colis ſonat invida Clotho,
Induti ſetis cupiunt deſcendere ad orcum,

509 *quam ſi*] quam ſi multo per feracem Apuliam agro dives eſſes.

511 *multis caret*] Aurea ſententia: multis ideo indiges, quia multa concupiſcis; deſine concupiſcere, deſinet indigentia. Trito eſt in proverbio: *quis plurimum habet? is qui minimum cupit*: atque illud ſtoicorum: *quid refert quantum habeas? multo illud plus eſt, quod non habes*. De hac ſententia = *qui cupit multa, multis caret* = videas, ſi placet, *Gellium* lib. 9. cap. 8.

513 *diſtat utroque*] Utroque ab extremo ut diſtaret *Prov.* 30. 8. oravit Salomon. *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo neceſſaria &c.*

515 *diſſolvit*] poſtquam vitæ ſtamen recidit *Parca*, h. e. poſt mortem. Poſuit *Clotho* pro *Atropos*: ad hanc enim pertinet recidere. *ſonat*] Humanæ vitæ invidens Parca, abſoluto penſo, vacuas colos quaſſando collidendoque ludificatur.

516 *induti ſetis*] Aliud apud inferos monſtrum vidiſſe narrat *Sectanus*, homines videlicet ſacco indutos ac cinere conſperſos ad orcum deſcendere, poſtquam omni vitiorum genere ſaginati epicuream vitam peregerint. Quid prodeſſe putas ſanctitatis ejuſmodi perſonam ex teſtamento relictam? *ſetis*] villoſo atque aſpero ſacco.

Et torta lumbos præcincti cannabe; tanquam
Plorandi ignarum flectat Radamantha cucullus
Posthumus, & fero velati pulvere crines.
Luxurias inter, crapulas, & nomina mille
Dedecoris, postquam fœdasti turpiter ævum,
Ægyptique via pleno de flumine cœnum,
Et cupido hausisti Babylonis pocula labro,
Cœnobium frustra quærunt sub tartara manes.
Non illic tensa vigilabit janitor aure,
Ut referet valvas, cùm tintinnabula pulsas;
Nec percussa levi crepitabit tegula ligno

Pen-

517 *torta cannabe*] quali religiosæ alicujus familiæ homines utuntur, vulgo: *cordone*.

518 *Rhadamantha*] quem diximus inexorabilem, Horat. 2. od. 11. 6. *illacrymabilem*, apud inferos judicem. *cucullus posthumus*] Post obitum cœnobiticum institutum profiteri non modo inutile, sed & ridiculum: neque enim justus ille flectique nescius judex fuco isto religionis feraque nimium pœnitentia movetur. *fero*] feræ pœnitentiæ indice.

522 *Ægyptique*] Bibere de cœnoso flumine in via Ægypti quid sit, davidici passim cantus significant, resque ipsa demonstrat.

523 *Babylonis*] Babylon pro sede iniquitatis, vitiorumque omnium colluvie sacris in litteris habetur: quare babylonia pocula hausisse dicitur, qui deliciis diffluens, æternorumque immemor, largius voluptatibus indulget, & in omni vitiorum cœno volutatur.

525 *non illic tensa*] Apud inferos non vigilat janitor, sicuti præ cœnobiorum foribus, qui, admonente tintinnabulo, præsto sit, tibique ingrediendi egrediendive potestatem faciat.

527 *tegula ligna*] Sub *Cappuccinorum* porticibus loco æris campani appenditur tegula, vel lapidea lamina sonora, quæ statis ho-

Pendula, quæ parcæ jubeat difcumbere menfæ;
Egreffumque domo te non fignata docebunt
Diptycha ligneolo: nec habent penetralia Ditis
Quas fubeant Umbræ cellas; fed vorticis ignes
Sulphureique lacus tranandi, quos ferus urget
Aufter inoccidua pœnarum turbidus unda.
Mors fpeculum vitæ eft. Si bacchanalia tota
Vita olet, incaffum moriens jejunia venter
Affectare parat. Tunc tunc cum fervidus artus
Sanguis obit, primæque micas ardore juventæ;

horis clavo, feu malleo ligneo, pulfatur, ut ad officia religionis explenda quifque properet.

529 *egreffumque*] In aliquibus cœnobiis prope fores tabella folet appendi, cœnobitarum in ea defcriptis nominibus, ut, quoties egrediuntur, nomini quifque fuo ligneum clavulum apponat, apto ad id foramine ipfa in tabella difpofito: quare quicunque ad cœnobium accedit aliquem allocuturus, infpecto *dypticho*, illum abeffe, cujus cauffa venerat, eo figno monitus, difcedit.

530 *diptycha*] tabella illa, quam diximus cœnobitarum nominibus infcriptam, a *diptychis* veterum, h. e. tabellis confulum, quæftorum &c. nominibus infcriptis. Vid. *enarrat.* [*ligneolo*] clavo ligneolo. *Autogr.* habet *claviculo*: fed expunximus: quod ea vox nec latina fit, nec metro hic accommodari poffit, cum fecunda fit producenda. Pro *ligneo clavulo* pofuimus *ligneolo clavo*, ut Cic. ad Q. Fr. l. 3. ep. 7. *lychnuchum ligneolum*.

534 *mors fpeculum*] Jam non fatyram legis, fed concionem. Utinam, qui tuam hic vides imaginem, tuo non fine fructu legas. Plurimum ita fit, ut qualis homo vivat, talis moriatur; meritoque eft in proverbio: *qualis vita finis ita*: bene ergo mors vitæ fpeculum dicitur.

Cum geminos moderaris equos, cupidoque puellas
Obtutu comedis; torto cum lumine vibras
Spicula, & a nulla transis sine cæde fenestra;
Tunc quærenda tibi virtute viatica, & horæ
Præsidium extremæ. Mersa cum navita pinu
Ionio nudus jactatur ab æquore, frustra
Respicit ad ligulam, geminum quæ Castora monstret,
Aut lenire parat dejecta merce procellas.
Nec minor illa mihi risuque petenda videtur
Stultitia, obscurum titulis augere sepulcrum,

Fri-

538 *dum geminos*] Romanam juventutem monet *Sectanus*, extremam ad horam non esse pœnitentiam protrahendam; sed multo ante fatalis illius horæ præsidia comparanda; ac tum maxime, cum vividiori sanguine fervet, bigamque (*biroccio*) inter moderandum puellas obtutu quasi comedere videtur, nullamque sine cæde pudicitiæ præterit fenestram.

542 *mersa*] elegantissimo simili ducto a mercatore, qui ionii maris tempestate jactatus, fracta navi, dejectis mercibus, nudus naufragusque, frustra pyxidem nauticam (*la bussola*) in qua ligula magnetica vi imbuta, observare nititur, ut scopulos vitet, atque *Helenæ* fratrum *Castoris* & *Pollucis* amica sidera sequatur, belle demonstrat, mortis horam virtuti exercendæ inopportunam esse.

544 *Castora*] gemini fratres sæpe *Castores* dicti. *Castora* hic græca inflexione.

546 *nec minor*] Aliam hic hominum insaniam describit *Sectanus*; eaque est tot titulis sepulcra inscribere, unguentisque & aromate plurimo cadavera condire, ut integra *Pompeji* taberna illis curandis absumi videatur. *Pompejus*, ut alibi dictum, celebris erat

in

Frigidaque unguenti gutto, totoque lutare
Corpora pompejo; pretioso abdomine mures
Scilicet ut pascas, & spirent cinnama blattæ.
O quæ se præbet phariis innixa columnis
Miranti moles, & sanctas occupat aras!
Perlege: nam ducto carmen supereminet auro.
Hic situs est legum Interpres, qui doctus utroque
Codice. Pullati cineres legere nepotes:

in Urbe unguentorum odorumque institor.

547 *titulis*] Vid. *enarr.*

548 *gutto*] vase unguentario: de quo alibi.

551 *o quæ*] Templum nescio quod Sectano ingresso sese obtulit marmorea quædam moles ægyptiis columnis suffulta, & sumptuoso opere constructa, quam sine admiratione non potuit intueri.

552 *& sanctas occupat*] Ab ejusmodi mole a latere exporrecta altaria ipsa Deo sacra, in quibus incruenta quotidie hostia immolatur, operis præstantia deformari ac pæne occupari videbat.

553 *carmen supereminet*] Sciscitanti quid illud esset occurrit legendum epitaphium aureis litteris supra lapidem eminentibus exaratum. Luxus nimirum sepulcralium inscriptionum litteras ex marmoreæ tabulæ superficie exstantes confici jubet, ut eminus conspiciantur, ac legentes invitent.

554 *hic situs est*] Crediderat primo aspectu *Sectanus* Regem aliquem, aut Pontificem Maximum tam specioso tumulo inter aras sanctissimas medium condi. Sed monstravit inscriptio quendam ibi Leguleium situm esse, doctum ceteroqui utroque codice h. e. jure tum *civili* tum *canonico*: qui tantum auri a clientibus corrasum nepotibus testamento reliquerat, ut ejus cineres urna nimium splendida decorandos curaverint.

555 *pullati*] pulla veste h. e. lugubri induti: *vestiti a bruno*.

Spiritus astra tenet. Tumulo quis conditur illo,
Quem Charites, sparsæque rosæ, quem dædala pinxit
Dextera compositis fabra virtute lapillis?
Undecimo Cithisus jacet hic octobre peremptus,
Deliciæ quondam, viduæ nunc cura parentis.
Plange, viator. Erat... Dele mendacia. saxo;
Et scribe. *Hic tegitur pulvis, nostrique caduci*

De-

556 *spiritus astra*] Audax hominum confidentia sepulcralibus hisce elogiis statim parentes & amicos inter cælites refert ridenda plerumque apotheosi. *tumulo quis*] Viso in eodem templo, operis minus egregii, sed elegantissime ornato alio tumulo, quærit *Sectanus*, quis ibi conditus quiescat.

557 *quem Charites*] Tumulo illi Charites adstabant lugentes, coronæque rosarum circum latera pendebant miro musivi operis labore expressæ. *dædala*] h. e. insignis atque egregia, a *Dædalo* summo artifice.

558 *compositis*] Ars musiva (*a mosaico*), cujus antiqua vestigia multis adhuc in Urbe locis, maxime vero in pavimento templi *Fortunæ Prænestinæ* visuntur, ad eam nostris temporibus perfectionem venit, ut diversi coloris compositis lapillis picturam æmulari videatur, duratura in ævum admiratione. Nam marmorea hæc colorata segmenta, glutine quodam ex oleo contritique tiburtini lapidis (*travertino*) pulvere confecto, tenacissime adhærent muro, & unum cum pariete corpus fiunt.

559 *undecimo*] Speciosum hac urna adolescentulum tegi sparsi flores, Charites, & uberes matris lacrymæ, teneraque epitaphii verba satis legenti demonstrant.

561 *erat*...] Epitaphii lectionem adulationis ineptiarumque plenam indignatus abrumpit; nihilque acerbæ mortis infortunio commotus, sed studio flagrans mendacium lapidum morem exscindendi, jubet deleri e marmoreis tabulis mendacia: quorum loco verius reponatur: ibi putridas humani corporis exuvias custodiri.

Depositum. Quamquam ſine carmine fœda loquuntur
Funera, & auritum prohibent accedere naſum.
O curas hominum! Rapidis mandare timemus
Oſſa inhonora rogis: animus cæleſtia natus
Viſere, & æternæ non ultima portio mentis,
Quo fertur nemo quærit; ſubitoque beatum
Eſſe putat vulgus, ſcriptæ ſi pendulus urnæ
Pileus immineat, grajoque e marmore buſtum
Nobilitet Pietas, Prudentia, &, ubera nuda

Quæ

563 *quamquam*] E veſtigio ſe corrigit, & opus non eſſe ait litteris, ut quid in illa urna contineatur, quiſque intelligat: cum ex ea, voce ſitus ac fœtoris, ſatis cadavera ipſa loquantur. Vides quanta verborum ſententiarumque gravitate ac majeſtate pulcherrimam ſatyram concludit.

564 *& auritum*] Ingenioſe prorſus naſo aures attribuit: nam ſicuti per auditum verba intelligimus; ita per nares teterrimo odore perculſas quaſi audimus adeſſe aliquid, quod maxime diſpliceat.

565 *o curas*] Infelix mortalium cura ac ſollicitudo! Proximoribus & amicis vita functis, ſtudium ac ſumptus impenditur condendo cadaveri. Quo vero animus, immortale opus, ac divinæ mentis imago, ad æternitatem natus, proficiſcatur, nemo quærit, ſtolida prorſus negligentia: ac ſi cum ipſo corpore, ut in brutis, deficeret atque in auras evaneſceret. *rapidis*] rapida flamma deflagrantibus.

566 *inhonora*] ſine honore, h. e. ſine variis ſunebris pompæ argumentis. *rogis*] ex veteri cadavera comburendi more. Eſt igitur ſenſus: timemus ſine honore corpus tumulo mandare: de animi autem ſorte nulla nobis cura.

569 *ſi pendulus*] Inani ſplendore obcæcati beatum cenſemus, cujus ſepulcro imminet galerus rubri ſeu viridis coloris, dignitatis inſigne.

571 *Pietas*] Pontificum Cardinaliumque ſepulcra ſignis æneis vel mar-

Quæ geminis præbet pueris, Matrona. Relinquo
Hæc cuicumque velit. Famuli mœrore locato
Exagitent nigris phalerata cadavera flabris,
In quibus auricoma pinguntur fronte leones,
Aut bos, aut pardus, ramoſaque cornua cervi:
Non tamen a tineis fugiet putredo ſuperba
Corporis, & phrygio immejet Libitina tapeti.
Nil ſapiens horum curet, nugiſque relictis

Pro-

marmoreis ornari ſolent illorum virtutes repræſentantibus, puta Pietatem, Juſtitiam, Caritatem &c. Præſertim vero videtur hic innuere Urbani VIII. P. M. mauſoleum a *Berninio* in templo vaticano excitatum, opus ſane egregium, quod ad græcam elegantiam proxime accedit. Deſcribit enim ſtatuam illam matronæ geminis infantibus ubera præbentis (eaque eſt ſymbolice Caritas) quæ tam tenera eſt ac mollis, ut, præter colorem & animam, nihil deſideres.

573 *famuli mœrore*] In *Cardinalium* funere circa funebre pegma (*catafalco*) pullati famuli quædam flabella ſolent agitare arcendis muſcis excogitata, ne cadaveris faciem deturpent inſidentes. Mœrorem locare dicuntur, quod pretio conducti ante dominum, quem forte periiſſe gaudent, compoſito ad mœſtitiam vultu, ejuſmodi officium præſtent.

574 *phalerata*] quaſi phaleris, pretioſis pannis contecta.

575 *in quibus*] In ejuſmodi flabellis atri coloris ex auro & argento repræſentantur gentilitia familiæ inſignia, qualia ſunt plerunque montes, aquilæ, cervi, leones, ſtellæ &c.

578 *& phrygio*] Quantalibet pompa nobilium efferantur cadavera, vermes tineaſque non poterit effugere ſuperba illorum putredo; & inteſtinis ſolutis phrygio, h. e. textili, opere diſtinctum tapete, in quo recumbit, marcida ſanie fœdabit: quod poetice dixit *immejet Libitina*; quæ mortuorum Dea.

579 *nil ſapiens*] Sapiens hiſce negle-

Proxima non fluxi commercia cogitet ævi.
Scilicet aut reges, aut nati rure coloni,
Quisquis erit, refluæ qui munere vescitur auræ,
Ad generum Cereris descendet; & abiete putri
Transibit stygiam curvo rectore paludem.
Nec cinis assyrio quantumvis lotus amomo,
Splendida nec pariis excisa e rupibus urna
Efficiet meliorem animum, sordesque piabit,
Cum steteris pavidus nudusque in luce sagittæ.

Dum

glectis vanitatibus, & sæculi bracteis, nil aliud cogitet, quam proximum corporis dissolutionem, ævique immortalis confinium.

581 *scilicet*] Octo, qui sequuntur, versus alibi non habes. Sive regali sive rustica stirpe progeniti æquali necessitate caduca hæc relinquere cogimur. Horat. 1. *od.* 4. 13. = *Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas* = *Regumque turres . . . .* & 3. *od.* 1. 14. = *. . . æqua lege necessitas* = *Sortitur insignes & imos:* = *Omne capax movet urna nomen.* =

582 *refluæ*] Bene *refluæ:* pulmonis enim vi & officio aerem hauriendo reddendoque id fit, quod dicitur *respirare*.

583 *ad generum*] ad Plutonem, qui *Cereris* gener, rapta illius filia *Proserpina:* h. e. ad inferos. *abiete:* h. e. cymba Charontis male sarta, ex poetarum fabulis.

584 *curvo*] Charonte, qui incurvus cymbam agit, ac regit.

585 *assyrio*] cadaver peregrinis aromatibus & unguentis quantumvis conditum.

586 *splendida*] Nec urna porphyretica, ideft ex porphyrite pretioso Ægypti marmore, niliaca e rupe excisa & affabre sculpta, corpus excipiendo pravum animum piabit, ac meliorem faciet.

588 *cum steteris*] Cum extremi judicii die *in luce sagittarum tuarum* stabit homo; & videbit plorans nuditatem suam coram te, Domine.

Dum mea casuris non contegat ossa ruinis,
Extra flaminiam qui pendet ab aggere, murus,
Sandapilæ sim pondus iners, & honore carentem
Quodlibet excipiat nudum sine nomine saxum.
Terram terra tegat. Vesana est cura sepulcri
Et tituli, posthac quem non dignabitur hæres
Aut legere, aut saltem lustrali spargere lympha,
Candidulæque duo donare piacula ceræ.
Ite procul vani plausus, taboque latenti

Re-

590 *qui pendet ab aggere*] Sectanus quolibet contentus tumulo nil aliud habet in votis, nisi ut terra tegatur terra: illud tantum refugit, extra portam flaminiam humari, ubi cedente aggere pendulus ille murus minatur, qui vulgo *muro torto*. Illuc enim *ethnici*, perditi moris fœminæ, atque anathemate perculsi, quorum salus æterna desperata sit, extra ecclesiæ sinum exportantur.

591 *sandapilæ*] Sandapilam alibi diximus feretri fuisse genus, quo antiquitus viliores e plebe homines efferebantur.

596 *piacula ceræ*] Solemni die, quo anniversaria defunctorum parentalis memoria celebratur, solent plerique suorum sepulcra lustrali aqua conspergere, & candelas accendere, Deum pro æterna illorum requie deprecantes. *Sectanus* nullam tituli curam habendam affirmat, quem nunquam ingratus hæres dignabitur legere; qui nec duas saltem ex alba cera candelas die illa anniversaria in demortui suffragium offeret.

697 *ite procul*] Doctrina Satyricus minime fallaci apud inferos imbutus laudes plaususque rejicit, quibus ejus carmina excipiebantur. *taboque latenti*] his nimirum laudibus, quæ nihil sunt nisi vacui aheni tinnitus, latens nutriebatur ambitio, & *Sectani* calamus scribendi prurigine nimium forte irritabatur.

Reptilis ambitio, & vacui tinnitus aheni.
Scilicet infernæ lucem docuere tenebræ
Jejunos oculos: namque illic plurima vidi,
Quæ ſapere attonitum cogant, nec fidere vulgi
Judicio. Mota me territat Æacus urna,
Et calcata viæ, cæcum quæ tendit ad orcum,
Semita: nec video veſtigia preſſa retrorſum.
Anne brevi quicquam fas eſt ſperare juventa
Cirratiſque comis? Ipſi, quos vivimus, anni

De.

598 *reptilis*] h. e. reptans: eleganter: nihil enim eſt, quod magis animum noſtrum quaſi perrepat, quam ambitio, & ſui ſuarumque rerum amor.

599 *lucem docuere*] Ita in hoc ſeculo in ipſa veritatis luce caligamus, ut viventes in tenebris, h. e. in infernum, deſcendere oporteat; ſi veram juſtitiæ ac temperantiæ ſemitam inire cupimus.

601 *quæ ſapere*] Si ſeria rerum apud inferos æternarum meditatio in animum pervaſerit, næ non poteris non ſapere, ſtultaque vulgi judicia & conſilia rejicere.

602 *territat*] Quem non territet cogitatio illa ſtatutum eſſe omnibus omnino hominibus mori, & ſemel mori? *Æacus*] ex poetarum fabulis unus ex triumviris apud inferos judicialibus: ſunt enim alii duo *Rhadamanthus*, & *Minos*. [*urna*] de qua *Hor.* 2. *od.* 3. 25. = *Omnes eodem cogimur: omnium = Verſatur urna ſerius ocyus = Sors exitura, & nos in æternum = Exſilium impoſitura cymbæ.* = Nam tres illi judices finguntur tabellas nominibus omnium hominum inſcriptas movere in urna ſive ciſta: ita ut primi moriantur, quorum nomina priora educta ſint.

604 *veſtigia preſſa*] Irremeabilis prorſus eſt illa via, nec ulli unquam iter relegere datum eſt.

605 *anne brevi*] Quid juventæ, quid cirrato capillo fidis? *eheu fugaces . . . labuntur anni*: exclamat *Horat.* 2. *od.* 11. 1.

Decrefcunt vitæ. Lentæ productio mortis
Eft fpatium, miferi quod falfo nomine vitam
Dicimus. Æternos animus jam cogitet annos,
Antiquofque dies; vilique e compede folvi
Corporis, & primæ cupiat fe jungere Caufæ.
Linquenda eft tellus, & apricæ jugera villæ,
Et nati, & dulces tenera cum conjuge fomni,
Ten-

607 *lentæ productio*] Qui viridi ætate atque juventutis flore confidunt, ferio cogitent, idem effe hoc noftrum vivere quod quotidie mori: dies enim & anni, quos numeramus, vitæ detrahuntur, & incrementa ipfa damna funt: nullaque præterlabitur hora, quæ nos non faciat fepulcro viciniores.

609 *dicimus*] Satyræ quod reliquum eft, fi quatuor ultimos excipias verfus, in editis exemplaribus defideratur. Ad fententias quod attinet, nonne tibi *Auguftinum* aut *Chryfoftomum* potius, quam *Sectanum*, legere videtur? *æternos animus*] *Cogitavi dies antiquos* (pfalm. 76. 5.) *& annos æternos in mente habui*. Quandoquidem incerta eft, brevis, & caduca mortalium vita, meditari aggrediamur ævum illud æternum, cui nati fumus, quodque temporis viciffitudini non eft obnoxium.

610 *compede*] Anima corporis farcina induta fervili quafi compede detinetur, ne primæ Caufæ, h. e. Deo, unde habet originem, perpetuo fe vinculo jungat. Quare fapienter hortatur *Sectanus*, ut, qui philofophus, non qualifcunque, fed chriftianus, effe velit, hafce catenas disrumpere, atque fuum ad Auctorem evolare cupiat.

612 *linquenda*] Quæcunque tanto labore paravimus in hoc animæ exfilio, domum, conjugem, liberos, agros, divitias relinquere nos cogit dura ultimi diei neceffitas. *Horat.* 2. *od.* 11. 21. = *Linquenda tellus, & domus, & placens* = *Uxor; neque harum, quas colis, arborum* = *Te, præter invifas cupreffos,* = *Ulla brevem dominum fequetur.* =

Tendentesque piri longo sua brachia muro,
Et, quæ non cautos invitat, silva, volucres:
Teque brevem dominum solum funesta cupressus
Pone ex arboribus, quas nutris rure, sequetur.
Non est nostra domus: putres conducimus ædes
Corporis: has repetit dominus parcusque locator,
Incusatque moras. Exi, clamat tibi febris
Nuncia. Quid renuis? Veniet nodosa podagra,

Et

614 *tendentesque piri*] Villas muris cingere solemus, quibus piros, aliasque fructiferas arbores, industrius agricola adhærescentes inserit; crescentesque, dum teneri sunt ramuli ac flexibiles, funiculis alligatas distendit ea arte, ut, cum adoleverint, interni parietis tota facies foliis ac fructibus convestiatur, vulgo: *spalliera*.

615 *& quæ non cautos*] Silvulas manu consitas plerique habent, quæ vel retibus circumdatæ, vel viscatis virgulis quasi intertextæ incautas volucres fallunt: duo venationis genera usitatissima.

616 *brevem*] brevi tempore viventem. *cupressus*] Ex arboribus tanto studio educatis, quas forte peregrinis surculis tua ipse manu peregrinum saporem adoptare docuisti, nulla te mortuum sequetur, nisi feralis & infœcunda cupressus. Vid. *enarration*.

618 *non est nostra*] Putre & obscurum corporis domicilium, ubi spiritus habitat, nostrum non est: ad breve siquidem tempus illud conduximus.

619 *parcusque locator*] Hujusce domus locator est ipse Deus, qui nos diu hisce in ædibus morari, animo nostro angustis minusque dignis, non patitur.

620 *exi, clamat*] Ut domini voluntatem certius intelligamus, aperta nos primum voce increpat immissa febris, clamatque de hoc corpore exeundum.

621 *veniet nodosa*] Si febriculæ denuntiationibus non credis, veniet padagra, totaque morborum cohors, quæ te aliena detinentem, hanc scilicet vitam, quæ

Dei

Et vomicæ turpes, & conjurata dolorum
Agmina, difficilemque aliena relinquere cogent.
Collige ſarcinulas: vas eſt hæc fictile vita,
Rimoſumque lutum, minimo quod frangitur ictu,
Anguſtoque crepat percuſſa fidelia calle.
Quorſus vela mari tumido laxare juvabit,
Et pendente ſuper jugulo prandere ſecuri?
Diſſiliit mucro: jam devorat unda carinam:
Ultra quo tendis? Cum funere ludimus uncti,

Et

Dei creatoris eſt, coget vel invitum reluctantemque dimittere.

622 *& vomicæ*] quæ & italice *vomiche*, alias *poſteme*, *aſceſſi*; notiſſimus morbus.

624 *collige ſarcinulas*] Vox militaris, quotieſcunque caſtra movenda ſunt: italice: *far fardello*, *far fagotto*; alias *vaſa colligere*. [*vas eſt*] Ut humanæ vitæ caducitatem ſatis intelligas, elegans ſimile ducit *Sectanus* a fictili vaſe, & quidem rimoſo.

626 *anguſtoque*] Non *Sectanum* hic audis, ſed Apoſtolum aliquem. Quid ſumus in hoc vitæ curriculo, niſi geruli viles ac miſeri, vaſa lutea portantes, quæ faciunt anguſtias, & uno eodemque tramite a prætereuntibus colliſa infringuntur?

627 *quorſus vela*] Cum ita ſit inconſtans fragilis & caduca mortalium vita, licet capiti pendulus enſis, tenuique filo ſuſpenſus immineat, tamen voluptatibus non abſtinemus, atque hilares conviviis, ſaltationibus, theatris &c. indulgemus.

628 *& pendente*] Reſpexit ad *Damoclem* tyranni illius ſiculi *Dionyſii* aſſentatorem: de quo Cic. *Tuſc.* 5. *Horat.* 3. *lib.* *od.* 1. 17. = *Diſtrictus enſis cui ſuper impia* = *Cervice pendet, non ſiculæ dapes* = *Dulcem elaborabunt ſaporem*.

629 *diſſiliit*] falcata irruit mors.

630 *cum funere*] Hinc deliciis marcidi & opobalſamo peruncti cum fatali neceſſitate ludimus, & quaſi per jocum cum morte luctamur. *uncti*] quaſi luctatores & palæſtri-

Et nuda exertum palma diſtringimus enſem.
Nam ſerta, atque roſæ, dum larga unguenta parantur,
Et ſplendet ſetina tuis vindemia vitris,
Obrepunt taciti male ſano in vertice cani;
Et riſum lacrymæ ſubeunt, rigidiſque jocantis
Excutit e manibus plenos Libitina trientes.

ſtritæ, qui oleo certamen inituri ungebantur..

632 *ſerta atque roſa*] dum maxime deliciis diffluunt, & mero cibiſque ſe ingurgitant homines &c.

633 *ſetina*] vinum ſetinum a *Setia*, Latii urbe, olim in pretio. *vindemia*] pro vino. *vitris*] pro calicibus. Senſus eſt: dum vino frangis dies.

634 *obrepunt taciti*] Commiſſationibus atque ebrietatibus diſtentis citius effluit vita, neque annos ætatemque labi ſentiunt; ideoque tacita canities illorum cervicibus obrepere dicitur. *male ſano*] Eſt enim inſaniæ maximum argumentum tuis rationibus non providere, ut æternam felicitatem conſequaris. *cani*] ſubaudias *capilli*.

635 *& riſum*] Vere extrema illa hora *extrema gaudii luctus occupat*: ut *Prov.* 14. 13. *rigidiſque*] Hic illorum exitus, qui genio indulgentes, aſſiduo voluptatum appetitu epicureum in morem rapiuntur. Convivia agitantes pereunt inter pocula coronati, & unguento delibuti ad inferos deducuntur, plenis adhuc trientibus, quos ex illorum manibus frigore correptis *Libitina*, h. e. mors inopinata, deturbat. *trientes*] ex Propert. l. 3. el. 8. = *Cum fuerit multis exacta trientibus hora* =. Nam *triens* poculum fuit, ſeu calix. Vid. *enarr.*

ENARRATIONES
IN SATYRAM XV.

19 *Veteranus*] Com. Fridericus *Veteranius* urbinas, bellica virtute scientiaque præclarus, in Austriaco *Leopoldi* Cæsaris exercitu copiarum præfectus, ter victis una die ferocissimis hostibus, Segedunum (*Seghedine*) cepit an. 1686. opulentam ad fluvium Tibiscum urbem atque emporium. Eodem postmodum pannonico adversus Turcas flagrante bello, res in Transilvania summo cum imperio administrans, tempori inservire coactus, exiguo militum numero cum universa densissimaque hostium acie, ipso Turcarum Tyranno *Mustaphio* prælium regente, solido prope die apud pagum *Lugos* fortitudine prorsus mirifica dimicavit. Sed ut aliquot eorum millia delesset, tamen multitudine oppressus, atque ordine recedens cum extremum agmen protegeret, non uno accepto vulnere, in palustri solo hærente equo, contrucidatus an. 1695. ea occubuit gloria, quam res præclarissime ante gestæ sibi poscere videbantur.

39 *Lucilius*] C. *Lucilius* eques R. ex Suessa, olim *Aurunca*, Campaniæ oppido, magnus avunculus *Pompejo Magno* fuit: sub *P. Africano*, bello numantino, eques militavit, ut narrat *Vellej. l.* 2. *c.* 9. decessitque Neapoli an. æt. 46. ut est apud *Hieronym. in Euseb. Chron.* olympiade 69. U. C. circiter 650 tribus quatuorve annis post Ciceronem natum. Quare quod *senem* dicit *Horat. l.* 2. *satyr.* 1. 34. ad ejus stili antiquitatem respexit. *Primus condidit stili nasum*, ut lo-

qui-

quitur *Plin. in praefat. Hist. nat.* h. e. Satyrae scribendae primus auctor & inventor fuit, multoque sale *defricuit Urbem*, ut ait *Horat. lib.* 1. *satyr.* 19. 3. quem postea imitati sunt, qui Satyram attigere. *Juvenal. sat.* 1. 19.

Cur tamen hoc libeat potius decurrere campo,

Per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus.

A *Cicer. l.* 1. *de Orat. c.* 16. *&* lib. 2. c. 6. *homo doctus* & *perurbanus* dicitur: *a Gell.* l. 18. c. 5. *vir apprime lingua latinae sciens.* Sed in condendo versu ut durum, incompositum, & lutulentum perstringit *Horat.* l. 1. *sat.* 4. 8. & 11. item *satyr.* 10. fere tota, ubi de eo plura. De hoc Horatii judicio, deque aliorum sui temporis ita *Quintilian.* l. 10. c. 1. = *Satyra quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius, qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis praeferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab* Horatio *dissentio, qui* Lucilium, *fluere lutulentum, & esse aliquid quod tollere possis, putat. Nam & eruditio in eo mira, & libertas, atque inde acerbitas, & abunde salis.* Pers. *sat.* 1. 114.

. . . . *secuit Lucilius Urbem,*

Te, Lupe, te, Muti: & genuinum fregit in illis.

Iterum Juvenal. *satyr.* 1. *sub fin.*

Ense velut stricto quoties Lucilius ardens

Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est

Criminibus, tacita sudant praecordia culpa.

Scriptorum ejus nihil integrum ad nos pervenit, sed fragmenta quidem bene multa ab Eruditis magno studio collecta atque explicata. Triginta scripsisse Satyrarum libros ferunt, quorum fragmenta adnotationibus illustravit imprimis Franciscus *Douza* Jani filius.

149 *ad busta . . . . publica*] Publica loca pauperum funeribus, ac sepulcris destinata unde *puticula*, ex *Varr. de ling. lat.* 45. vel *puticuli*, ex *Acrone in Horat.* & *Festo* aliisque, dicerentur, variant auctores. Acro = *A puteis fossis ad sepeliendа cadavera pauperum locus dictus est Puticuli.* = Varro autem = *Extra oppida a puteis Puticulae, quod ibi in puteis obruebantur homines. Nisi potius, ut Aelius scribit, Puticula, quod putescebant ibi cadavera projecta: qui locus publicus ultra Esquilias* = Festus denique = *Puticulos antiquissimum genus sepulturae appellatos, quod ibi in puteis sepelirentur homines: qualis fuerit locus, quo nunc cadavera projici solent extra portam Esquilinam; quae quod ibi putescerent, nomen esse factum Puticuli.* Cum vero eorum *Puticulorum* vicinitas Urbi esset incommoda, Augustus Cæsar aliquot jugera de publico illo & communi plebejorum loco dedit Mæcenati, qui hortos ibi colere cœpit: quod luculenter memorat *Horat.* 1. *satyr.* 8. 8.

Huc prius angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca.
Hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum.
. . . .
Nunc licet Esquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari: quo modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum.

216 *capuana gloria gentis*] Nicolaus *Amenta*, in vita *Leonardi de Capua* (inter ceteras *Arcad. illustr. vol.* 2. *pag.* 1.) optime *Leonardum* nostrorum temporum *Socratem* appellat, eique prorsus convenire ait, quod de moriente *Socrate* habet *Maximus Tyrius* sermon. 39. interprete Heinsio = *Annos septuaginta habebat Socrates, cum interea nec a philosophia, nec a virtute fecisset divortium: vita stadium sine offensione ul-*

la

la, sine vitio decurrerat : victus ejus purus, consuetudo proba : neminem compellabat, cui non prodesses ; nemini se jungebat, quem non meliorem redderet = Præterea (sequitur) si multi *Socratem* illud sæpe iterasse memorant = *hoc unum scio nihil me scire* = noster pariter *Leonardus* a germanico homine per exteras nationes eruditionis caussa peregrinante rogatus, ut gravem aliquam sibi sapientemque sententiam pronunciaret, quam pro suo more in adversaria referret, scribe, respondit : *me an aliquid sciam nescire*.

225 *Redius*] Quod Franciscus *Redius* obierit cal. majis 1697. ne inde colligas, eo anno, vel aliquo insequente scriptam esse Satyram. Nam versus septemdecim a num. 218. ad 235. multo post attexuit *Sectanus*, certe quidem post annum 1704. Paullo enim post *Pyrrhum Gabrielium* nominat, qui anno 1705. decessit. Scriptæ Satyræ tempus vel circa *Malpighii* obitum statuendum est, qui incidit in postrid. cal. decembr. an. 1694. vel circa Com. *Veteranii* necem, quam an. 1695. posuimus. Et quidem ad Malpighium quod attinet, eum v. 338. *nuper funera passum* dicit, *recentemque umbram* appellat. *Redii* vitam habes inter ceter. *Arcad. illustr.* a *Salvino Salvinio* scriptam *vol. 1. pag. 1.*

231 *priscas ... Senas*] Senarum urbs *Colonia Senensis* a Plinio, *Colonia Seniensis*, vel *Seniensium Plebs* a Tacito dicitur, a Catone autem, ab Itinerario Antoniniano, & a Ptolemæo *Sena*. Neque forte conjectura aberrant, qui eam *Gallos Senones*, antequam a romanis expellerentur, ædificasse putant. *Polybius* certe memorat, coloniam *Gallos Senones* statuisse, eamque *Senam* ab illius nomine dixisse, quam jam ante ad mare superum exædificarant. Rem confirmat *Godefridus Viterbiensis* in *libr. chronic.* cui titulus *Pantheon:* non enim dubitat affirmare tum, cum *Brennum* haberent ducem, *Galios Senones* eam

urbem anno ante Chr. nat. 382. excitasse. Hoc ipsum narrat *libr. Chronicor. 6. Polycarpus*; additque præterea senibus & a labore quiescentibus eam sedem posuisse. Fabulam autem venditare videtur Flavius *Blondus*, qui in libro inscripto *Italia illustrata*, confidenter comminiscitur, veterum historicorum neminem de *Senarum* urbe mentionem facere, seque Venetiis legisse testatur in antiquo nescio quo volumine ad D. Georgium ab *alga* nuncupatum, eam urbem ab Joanne VIII. Romano Pontifice conditam esse, & a senis populis, qui primi incoluerint, *perusinis*, *clusinis*, *aretinis*, *fesulanis*, *florentinis*, *volaterranis*, dictam *Senas*. De urbis *Sena* origine & antiquitate eleganter latine scripsit Franciscus *Patritius* senensis Episc. cajetanus.

Præclarissimæ urbis laudes (ceteroqui notissimas) pro merito ac dignitate percensere multæ operæ multique temporis esset. Illud vero minime prætereundum, ingeniorum per omnes ætates vivacitate excelluisse: quare *Sectanum* qualem habemus, nisi *Senis* natus esset, forte non haberemus. Senenses præterea homines religionis studio, linguæ suavitate, morum elegantia & honestate, summaque, cumprimis in exteris excipiendis fovendisque, humanitate maxime commendantur.

232 *Pyrrhus*] Pyrrhus Maria *Gabrielius* Physio-criticorum an. 1691. Senis Institutor, qui nostro *Sectano*, ut rectam philosophiam addiscendi viam carperet inter *scholasticorum* tenebras lumina prætulit, cal. april. 1643. natus, ann. 1705. XIV. cal. januar. ætat. sexagesimo tertio decessit. Vitam scripsit (inter ceter. *Arcad. illustr.* vol. 2. pag. 29.) Crescentius *Vasellius* senensis.

239 *Malpighius*] Marcellus *Malpighius* celeberrimi nominis philosophus ac medicus, quod in doctrinis de motu *Galilaeus*, in physicis *Gassendius*, in geometricis *Cartesius*, id

in

in anatomicis præstitit; eam ut artem merito dicere possis a *Malpighio* non modo restitutam amplificatamque, verum etiam quasi procreatam. In oppido *Crevalcuore* agri bononiensis vi. id. mart. an. 1628. nat. iii. cal. decembr. 1694. iterum apoplexia correptus in pontificiis Quirinalis ædibus obiit. Clarissimus Eustachius *Manfredius* bononiensis vitam, quæ est inter ceter. *Arcad. illustr. vol. 1. pag. 61.* conscripsit.

248 *bulla spectandus*] Eorum certe sententiæ videtur hic adhæsisse *Sectanus*, qui *latum clavum* bullam fuisse, seu globulum, clavi caput referentem, purpureum aureumque opinati sunt. *Claves* in romanorum tunicis segmenta fuisse ferme e purpura, ipsi tunicæ assuta ornatus gratia, pro comperto habetur. Sed qua ii fuerint figura, utrum instar solidi clavi ex lato in acutum desinentes, aut rotundi, solumque clavi caput seu bullam exhibentes; an quasi virgulæ seu lineæ mediam vestem intersecantes; an denique anteriores ipsius tunicæ partes hinc inde pendentes, res est admodum incerta & implexa, quæ miras lites inter Eruditos excitavit, Octavium præsertim *Ferrarium*, & Albertum *Rubenium de re vestiar.* Videsis utrumque in VI. *Grav. volum. edit. venet.* 1732. pag. 619. & pag. 934. ubi & Lazarum *Bayfium* pag. 562. ipsumque *Gravium* in *præfat. ad volum. VI.* qui contra *Ferrar.* strenue *Rubenium* defendit, & *clavum* fuisse virgam seu lineam confirmare contendit.

253 *stultitiæ specimen*] Opusculum tres in libros partitum inscribitur = *Receptioris Juris specimen, sive Institutionum Imperialium ex usu nostrorum temporum lib. 1. qui est de Personis.* Qui liber duodecim in titulos divisus quinque paginis continetur *edition. venet.* 1758. ubi reliquos duos libros desiderari dicitur.

285 *temporibus, genio*] Pauculis versibus optime *Sectanus* veræ eloquentiæ summam concludit. *Semper oratorum* (ait *Cic. Orat n.* 24.) *eloquentia moderatrix fuit auditorum prudentia. Omnes enim qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt intuentur; ad eamque & ad eorum arbitrium & nutum totos se fingunt & accommodant.* Quare prudenter Cicero, ut suorum auribus inserviret, a Demosthene discessit aliquatenus, eoque copiosior fuit.

286 *dicendi insignior*] Cum *sit movere victoria*, qui plurimum in permovendis affectibus, is plurimum in eloquentia poterit. Cic. 2. de Orat. 187. = *Tantam vim habet illa, quæ a bono Poeta dicta est* flexanima atque omnium regina rerum oratio, *ut non modo inclinantem erigere, aut stantem inclinare, sed etiam adversantem, & repugnantem, ut imperator bonus ac fortis, capere possit.* Qua in eloquentiæ parte qui excellit, is vere animorum dominus tyrannusque dicendus. *Cic. Orat. n.* 128. = *Duo sunt, quæ bene tractata ab Oratore admirabilem eloqentiam faciant: quorum alterum est quod Græci* ἠθικὸν *vocant, ad naturam & ad mores, & ad omnem vitæ consuetudinem accommodatum: alterum* παθητικὸν *nominant, quo perturbantur animi & concitantur, in quo uno regnat oratio. Illud superius come, jucundum, ad benevolentiam conciliandam paratum: hoc vehemens, incensum, incitatum, quo causæ eripiuntur; quod cum rapide fertur, sustineri nullo modo potest.*

287 *gallo . . . Hercule*] Hercules, qui vel Mercurius, vel quasi Mercurius, apud gallos, tanquam eloquentiæ prudentiæque numen aras habuit; ejusque ita imaginem, teste *Luciano*, effinxerant. Senex erat pæne decrepitus ac pæne calvus, atra rugosaque fronte, leonina pelle indutus, clavam dextra, arcum sinistra gerens, pharetra ab humeris penden-

te;

te; cui e lingua multæ prodibant aureæ catenæ argenteæque tenuissimæ, quæ hominum multitudinem circa aures constringentes ad se, non tamen invitam, trahebant. Qua in imagine vides eloquentiæ vim, quam *Herculi* attribuebant galli; quia, ut ipse ait *Lucianus*, Mercurio Hercules multo fortior robustiorque creditus. Senilem autem ei speciem ideo dedere, quod in senibus multo perfectior, quam in juvenibus, eloquentia; ut *Homerus* per *Nestora* docet; cujus ex ore, cum verba faceret, mel dulcissimum fluebat. *Lucian. Hercul. Gallic.* edit. salmuriens. 1619. *vol.* 2. *pag.* 517. = *Cartarius* cum *Pignerio* = *Imag. degli dei degli antichi* = edition. venet. 1674. pag. 168. *Gronov. vol.* 7. *p.* 281.

289 *quocunque datum sermoni*] Haud ita intelligas *Sectanum*, ut verborum omnino delectus in oratione negligi possit; (nam ab *elocutione* ipsum est *eloquentia* nomen) sed ut ne in verborum cura te ipse torqueas. *Quibusdam tamen nullus finis calumniandi* (di scrupolizzare sulle parole) *& cum singulis pane syllabis commorandi*: *qui, etiam cum optima sint reperta, quærunt aliquid, quod sit magis antiquum* (quod seq. versu perstringit Sectanus) *remotum, inopinatum*. Quintil. *in Proem. lib.* 8. *Instit. orat. edition. backian.* 1665. *pag.* 572. qui totus hac de re omnino legendus. Idem *instit. l.* 12. *c.* 10. *pag.* 909. = *Neque enim vis summa dicendi est admiratione digna, si infelix usque ad ultimum solicitudo persequitur, ac oratorem macerat, & coquit, ægre verba vertentem, & perpendendis coagmentandisque eis intabescentem. Nitidus ille & sublimis & locuples, circumfluentibus undique eloquentiæ copiis, imperat.* Neque aurea ejusdem *Quintiliani* in *eod. proem. pag.* 569. sententia prætermittenda = *Curam ergo verborum, rerum volo esse solicitudinem.* Et sane si, ut *Horat. art. poet.* 311. monet, res sit provisa, eam non provisa verba sequentur.

tur. Nam (ut *Cic.* 3. *de Orat. n.* 125.) *rerum copia verborum copiam gignit*. Est autem in verbis negligentia quædam in laude ponenda; præsertim si perspicuitatis maxime habenda sit ratio, eamque cum verborum delectu consociare non possis. Præclare *D. August. de doctr. christ. lib.* 4. 2. 24. = *Cujus evidentiæ diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, nec curat quid bene sonet, sed quid bene indicet, atque intimet, quod ostendere intendit. Unde ait quidam* (Cic. orat. n. 77. 78.) *cum de tali genere locutionis ageret, esse in ea quandam diligentem negligentiam. Hæc tamen sic detrahit ornatum, ut sordes non contrahat*. Ciceronis locus ille sic habet = *Indicat non ingratam negligentiam de re hominis magis, quam de verbis laborantis . . . . Quædam etiam negligentia est diligens*.

303 *non est quod Græcia*] Si Roma unquam non habuit quod Græciæ invideret, id certe fuit aurea *Ciceronis* ætate; ut habet *Seneca* in *prologo prim. declamat.* = *Quidquid habet romana facundia, quod insolenti Græciæ aut opponat, aut præferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia, quæ lucem nostris studiis attulere, tunc nata sunt*.

348 *hos inter latia*] Gestit hic exsultatque animus, quod commodum sese det occasio clarissimam nostræ ætatis Fœminam nominandi, quæ natalibus Bassanum, conjugio domicilioque Patavium, moribus christianam, doctrina litterariam rempublicam & Arcadiam, *Æglet Euganea* pastoritio nomine, petornat. Ea est *Francisca Robertia Franchia* Cl. *Joannis-baptistæ Robertii* neptis, tanto patruo dignissima; in quam quantum ingenii atque eruditionis munifica natura cultæque Musæ contulerint, cetera ut omittam, quas gravi stilo presso atque elegante ex tempore fundit, epistolæ pulcherrimæ satis ostendunt. Hæc igitur, quam honoris caussa nomi-

no,

no, primum *Petrarchii* africani carminis librum hetrufcis ita versibus reddidit, ut fua ipfe *Petrarchus* lingua loqui videatur; typis autem patavinis ann. 1776. consignavit. Quid autem eft quod operam aut nondum abfolvit, aut abfolutam diutius premit? Conqueri *Petrarchium* puto, qui mancus eft, conqueri litteratos, qui, mota faliva, non exfaturantur. Si quis a consilio deterruit, facto (ut modefte agam) ignofcant fuperi.

349 *Petrarcha*] Francifcus *Petrarchius latina lingua* reftitutor, latinis versibus eximie, ut illis temporibus, fcripfit bucolica, five *Eclogas* XII. *Epiftolarum* Libros III. maxime vero heroicum poema, cui titulus *Africa*, hoc eft *de rebus in Africa geftis, five de bello punico*. Cum alia multa, tum ejufmodi poema magnam partem in valclufiano (*di Valchiufa*) fecesfu condidit, condendique mens inceffit per ejus vallis montana deambulantem. = *diverticulum aliquod, quasi portum quærens repperi vallem perexiguam, fed folitariam atque amœnam, quæ Claufa dicitur, quindecim paffuum millibus ab Avinione diftantem, ubi fontium rex omnium Sorga* (al. *Sorgia*) *oritur. Captus loci dulcedine libellos meos & meipfum illuc transftuli. Longa erit hiftoria, fi pergam exequi quid ibi multos ac multos egerim per annos. Hæc eft fumma, quod quicquid fere opufculorum mihi excidit, ibi vel actum, vel cœptum, vel conceptum eft. Quæ tam multa fuerunt, ut usque ad hanc ætatem me exerceant, & fatigent . . . . Illis in montibus vaganti fexta quadam feria majoris hebdomadæ cogitatio incidit & valida, ut de Scipione Africano illo primo, cujus nomen miror unde a prima mihi ætate carum fuit, poeticum aliquid heroico carmine fcriberem. Quod tunc magno cœptum impetu variis mox diftractus curis intermifi: fed fubjecti de nomine Africa nomen libro dedi: operi nefcio quomodo, vel fuo*

vel

vel mea fortuna, dilecto multis antequam cognito. Ita Petrarchius ipse *Senil. lib.* 18. *epist.* unica & ultima *ad posteritatem, de origine, conversatione, morumque & studiorum suorum successibus.*

Ejus praecipue ob poematis laudem (quod ut sibi inscriberet *Robertus* neapolitanorum summus ille rex idemque philosophus, cognomento *Bonus*, magno pro munere, ut in allata epistola, poposcit) laurea in Capitolio aet. ann. XXXVII. Ipso paschatis die VI. id. april. 1341. ab *Urso* Anguillariae Comite Urbis Senatore ornatus est: ut ex *privilegio laureae Domini Francisci Petrarchae*, cujus exemplum habes ad fin. omn. latinor. libror. Petrar. *edition. venet. per Simeonem Papiensem dictum Bivilaquam* an. 1503. qui honor a mille trecentis annis (*ibi*) nemini ante illum contigit. Quid autem quod uno eodemque tempore eam ad lauream Roma simul Parisiique invitarunt? = *Illis in locis* (Vallisclusae) *moram trahenti* (*dictu mirabile*) *uno die & ab urbe Roma Senatus, & de Parisiis Cancellarii studii ad me littera pervenerunt, certatim me illo Romam, illo Parisios ad percipiendam lauream poeticam evocantes. Quibus ego juveniliter gloriabundus, & me dignum judicans, quo me dignum tanti Viri judicarent, nec meritum meum, sed alterum librans testimonia, parumper tamen haesitavi, cui potius aurem darem.* Haec ille in allata *epist. ad posteritatem.* Tanto autem ac tam singulari honore auctus atroces invidorum subiit insectationes: nulla enim sine invidis aetas: nemo, quantuscumque ille sit, ab eorum morsibus tutus. Ipsum audiant, si qui sunt, summi Viri; & si quid tale iis perferendum sit, conqueri desinant. *Laurea autem illa mihi, immaturo avi, fateor, atque animi, immaturis quidem texta frondibus obtigit: quam, si fuissem maturior, non optassem*: (vide hominis sapientiam) *amant enim, ut sene-*

ati-

utilia, sic juvenes speciosa, nec respiciunt finem. Et quid putas? Nil prorsus scientia, nil eloquentia illa mihi, invidia autem infinitum attulit; & pœnas dedi. Ex illo enim ferme omnes in me linguas & calamos acuere: semper signis erectis in acie standum fuit: semper nunc ad dextram, nunc ad levam, insultantibus obsistendum: ex amicis hostes mihi fecit invidia. Possem multa hic, quæ te in admirationem agerent, memorare. Ad summam hoc mihi mea laurea præstitit, ut noscerer ac vexarer. Sine qua, quod optima vitæ genus quidam putant, & quiescere poteram & latere. Hæc *Senil. lib.* 17. *epist.* 2. ad *Joannem Boccatium de Certaldo, de non interrumpendo per ætatem studio*. Vide, si lubet, *Petrarchii* vitam vel ab *Hieronymo Squarzafico* alexandrino, vel a *Ludovico Beccatellio* Archiep. ragusino scriptam; alteram latinis ejus libris *edition. Bivilaquiana* 1503. alteram italicis carminibus *edition. venet.* 1756. cum *Ludovico Castelvitreo*, præpositam.

360. *Juvenalis*] Latinæ Satyræ triumviros, *Horatium*, *Juvenalem*, *Persium*, inter se conferens Joannes Baptista *Capellius* belle his versiculis singulorum stilum designat.

Acrior est Aulus: florentior est Juvenalis:
Plus venusina sapit seria Musa jocis.

381 *Nasica volucres*] Forte *Nasica* aliquid condidit *Aristophanis* comœdias illas duas imitatus, quarum altera *Aves*, altera *Ranæ* inscribitur: ubi illi avium cantus;

Epepoe popopo popoe popoe
Io io ito ito ito ito ito
Tio tio tio tio tio tio tio tio
Trioto trioto trioto tobrix
Huc huc huc
Toro toro toro toro toro tinx
Ciccabau ciccabau

Torò

Toro toro toro telililix

Torotinx torotinx

Tio tio tio tio tinx

Tio tio tio tio

To to to to to to to to to to tinx

Ranarum autem coaxationes:

Brececcecex coax coax

Brececcecex coax coax.

Quem de volucrum cantu ranarumque coaxationibus scripsisse indicat *Sectanus*, is certe fuit *Crescimbenius*. Nam *satyr*. 17. in editis post v. 118. duo sunt versus, quos *Sectano* in novissimo suo autographo expungere placuit: ubi

. . . . *volucrumque magister*

Audet olympiacis tumidus Nasica corollis.

Lauro autem apud Arcades, dum ludi olympici agerentur, coronatus est *Crescimbenius*. Ejusmodi vero opusculum nobis est incompertum; illud tamen typis *Crescimbenium* commisisse ex iis, quæ allatos versus antecedunt, colligere licet.

463 *birri*] Birrus, sive ex græco *byrrhus*, vel *burrus*, genus vestis fuit vel lacernæ simile, vel idem ac lacerna, quod aliis vestibus superinjectum pro toga gestabatur. Ita dictum a græca *πυῤῥός*, rufus, quod isto ferme colore fuerit. Ut autem lacernæ aliæ aliis pretiosiores, ita & *birri*, alii nempe lanei, alii serici. Celebres *atrebatici*, qui ab atrebatibus conficiebantur, & *canusini*, ex canusina lana, apud *Vopisc. in Carino cap.* 20. ubi multa *Salmasius*. Vox per se adjectiva est, ut *lacernum birrum* (ex actis S. *Cypriani* apud *Salmasium*) pro *lacerna birra*; idem sit ac *lacerna rufa*. Vid. *Ferrar. de re vestiar. apud Grav. vol. VI.* & *Pitiscum*, ac *Ducangium* v. *birrus*.

490 *petauro*] Juvenal. satyr. 14. 265.

An magis oblectant animum jactata petauro
Corpora, quique solent sextum descendere funem?

Ubi Scholiast. *edit. hackian.* 1664. = *Petauristæ per ligneum circulum admodum angustum tam magna solertia manibus & pedibus directis transvolabant, ita tamen, ut vix circulum corpore tangerent, & tamen ita cadebant, ut pedibus insisterent. Alii dicunt fuisse genus ludi, quo homines rotarum pulsu per aera jactabantur. Turneb. lib. 8. advers. cap. 4.* Altera hæc opinio, sive alia *Scaligeri* mox afferenda verior, quæque melius illustret Juvenalem, videtur. *Manil. lib.* 434.

Corpora quæ valido saliunt excussa petauro,
Alternosque cient motus; elatus & ille
Nunc jacet, atque hujus casu suspenditur ille,
Membraque per flammas orbesque emissa flagrantes.

Ubi *Scalig.* = *Rota in sublimi posita a duobus versabatur; alter superne, alter inferne nitebatur. Ita fiebat, ut alternis dejecti, nunc penderent, nunc erecti sederent.* Hoc forte sensu intelligendus *Sectanus*, qui hoc simili perpetuam ambitiosæ mentis rotationem significare voluit. Voss. *lex. etym.* Buleng. *de theatr.* Argol. in *Panvin. de lud. circens.*

508 *contentus modico*] De vita beata, quæ non opibus aut honoribus, sed animi tranquillitate efficitur, relegas od. XVI. Horatii lib. II. & I. vere auream, ac XV. lib. III. ubi:

Quanto quisque sibi plura negaverit,
A diis plura feret. Nil cupientium
Nudus castra peto: & transfuga divitum
Partes linquere gestio;
Contemptæ dominus splendidior rei,
Quam si quicquid arat non piger Appulus
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.

& ad

& ad finem

. . . . *Multa petentibus*
Desunt multa. Bene est, cui Deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

513 *extremo distat utroque*] Allatam Salomonis sententiam didicisse videntur philosophi, præcipue Plato *lib.* 3. *de legib.* = *In quocumque hominum cœtu nec inopia nec divitiæ sunt, huic justissimi mores aderunt: neque enim ibi contumelia aut injuria locum habet.* Quod exemplo confirmarunt lacedæmones, a quibus cum *Lycurgus* opes & inopiam sustulisset, optimos justissimosque cives habuere. Simile fuit votum *Catharinæ* illius britannorum reginæ, quam *Henricus* VIII. turpiter repudiatam crudeliter neci dedit: de qua *Sanderus lib.* 1. *de schism. anglic.* = *Solebat Catharina sæpissime apud suos dicere: fortunam se nec asperrimam, nec lenissimam, si daretur optio, electuram; cum utraque suas tentationes ac pericula habeat; sed mediam potius ac temperatam: si tamen alterutra eligenda esset, malle se tristissimam, quam blandissimam: infelicibus enim raro deesse consolationem, fortunatissimis fere semper mentem.*

530. *diptycha*] Erant proprie tabellæ plicatiles bipatentes, quas latini *duplices* dixere. Materia non una fuit: viliora ex busso, pretiosiora ex citro, ebore &c. Illita cera stilo exarabantur. Magni momenti scripta non iis mandari solita, sed quæ ex usu familiari essent & pæne quotidiano; cujusmodi erant epistolia, præsertim amatoria, magistratuum annuntiationes &c. Legendus tamen eruditissimus *Martorellius* de *reg. theca calamar.* in *parergo cap. IV. n.* 5. *pag.* 287. qui *Hesychium* diptycha definientem ita illustrat, ut sit definitio = *diptycha sunt duo operimenta, unum, quo membrana, sive charta substernitur, alterum quo contegitur*: sive explicatius = *di-*

ptyc-

ptycha sunt quid duplex, h. e. supernum & infernum tegumentum, quæ libellum quendam claudunt, intra binas tabellas quibusdam membranis adglutinatis. Videsis & *Mazochium de diptycho Quiriniano*, atque *Sebastianum Donatum* nostrum, qui copiosum de *Diptychis* volumen concinnavit.

Diptycha Consulum, quæstorum, majorumque aliorum magistratuum, eorum nominibus inscripta, & imaginibus ornata erant; & ab iis ad amicos, loco apophoreti (*di mancia*) in magistratus adepti atque initi significationem mittebantur.

Fuerunt & *Diptycha ecclesiastica*: quorum in græca *ecclesia* tria genera: primum *Episcoporum*, alterum *vivorum*, tertium *mortuorum*: de quibus copiose *Dufresnius* seu *Ducangius* V. *dypticha*.

547 *titulis augere sepulcrum*] Vetustissima est hæc insania magnificis titulis sepulcrorum lapides inscribendi, Romæ præsertim, ubi (ut lepide quidam) major hominibus cura esse videtur de sepulcrali elogio, quam de cute servanda. *Navii*, *Plauti*, & *Ennii* tumore ac fastu ad nauseam insignia epigrammata: de quorum primo *A. Gellius noct. attic. lib.* 1. *cap.* 24. = *Epigramma Navii plenum superbiæ campanæ; quod testimonium esse justum potuisset, nisi ab ipso dictum esset*. De altero autem idem: *Epigramma Plauti, quod dubitassem an Plauti foret, nisi a M. Varrone positum esset in libro de Poetis primo*. Utrumque apud illum *ibid.* legere est. De Ennii epigrammate ita *Petrus Crinitus* h. e. *Riccius*, *de Poet. lat. lib.* 1. *cap.* 2. = *Subdubitassem ab eo fuisse compositum, nisi M. Cicero pluribus locis ab ipso Ennio editum affirmaret*. Est hujusmodi:

ASPICITE : O. CIVES. SENIS. ENNII. IMAGINI'. FORMAM
HEIC. VOSTRVM. PANXIT. MAXIMA. FACTA: PATRVM
NEMO. ME. LACRVMIS. DECORET. NEQVE. FVNERA. FLETV
FAXIT. CVR? VOLITO. VIVV'. PER. ORA. VIRVM.

Quanto modeſtius *Virgilius*, cum in ceteris, tum in hoc *parthenius*: cujus notiſſimum epigrammatium!

MANTVA. ME. GENVIT. CALABRI. RAPVERE. TENET. NVNC
PARTHENOPE. CECINI. PASCVA. RVRA. DVCES.

Pacuvius pariter (apud *Gell. ibid.*) quam non tumide, quam non ſuperbe!

ADOLESCENS. TAMETSI. PROPERAS. HOC. SAXVM. ROGAT. VT. SE. ASPICIAS. DEIN. QVOD. SCRIPTVM. EST. LEGAS. HIC. SVNT: POETÆ. PACVVII. MARCI. SITA. OSSA. HOC. VOLEBAM. NESCIVS. NE. ESSES. VALE.

581 *ſcilicet aut reges*] Ex *Horat.* 2. *od.* 14. 9.
. . . . Scilicet omnibus
Quicunque terra munere veſcimur,
Enaviganda, ſive reges
Sive inopes erimus coloni.

Albi-

Albinovan. *ad Liviam* 179.

Fata manent omnes; omnes expectat avarus
Portitor; & turba vix satis una ratis.
Tendimus huc omnes; metam properamus ad unam;
Omnia sub leges mors vocat atra suas.

616 *funesta cupressus*] Horat. *lib.* 2. *od.* 14. 21;

Linquenda tellus, & domus, & placens
Uxor: neque harum, quas colis, arborum
Te, praeter invisas cupressos,
Ulla brevem dominum sequetur.

Cupressus arbor Virg. *atra*, Ovid. *feralis*, Horat. *funebris* & *invisa*, mortuorum domibus apponebatur, h. e cupressini rami pro ejus domus foribus figebantur: quare Diti & Proserpinæ sacra domus funestæ erat indicium. Plin. 16. 33. *Cupressus funebri signo ad domos posita*. Qua vero de caussa solam cupressum habuerint funeream, eaque sola mortuorum domibus apponeretur, ita *Servius*, (quem sequitur *Fabrinius*) in *Æneid.* 6. 215.

Ingentem struxere pyram: cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupressos
Constituunt . . . .

Moris romani fuerat ramum cupressi ante domum funestam poni, ne quisquam pontifex per ignorantiam pollueretur ingressus. Qui etiam monet ab atheniensibus morem illum accitum. *Nam apud atticos* (ait) *funesta domus cupressi fronde velantur.* At *Festus*, cujus opinio ferme omnibus placuit, aliam omnino caussam affert. *Cupressi* (ait) *mortuorum domibus ponebantur ideo, quia hujus generis arbor excisa non renascitur, sicuti ex mortuo nihil jam est sperandum: quam ob causam in tutela Ditis patris esse putabatur*. Varro apud *Servium* (ibid.) pyras ideo dicit cupressu circumdari, ne populus gravi ustrinæ o-

dore offenderetur: tandiu enim populus restabat circa pyram; quandiu consumpto cadavere, collectisque cineribus, diceretur novissimum verbum *ilicet* h. e. *ire licet*. *Pitiscus* denique *Fuller*. afferens *misc. sacror.* 4. 5 ita opinatur. *Feralis igitur habita cupressus, quia Arca cupressina in immensis illis diluvii fluctibus luctuosum & diuturnum fuerat veluti sepulcrum universi generis humani, omniumque animalium in sicco degentium. Hanc ego causam veram, aut saltem probabilem existimo, & superstitiosa illa gentium observatione, una cum subobscura diluvii memoria, posteris per manus traditam.*

Quarum sententiarum nulla nobis satis arridet. Non *Servii*: nam, cetera ut omittam, quæ apud *Guascum* (*Riti Funebr. di Roma Pagana part.* 1. *ad fin. pag.* 23.) videre est, si caussa ponendi cupressum in mortui vestibulo fuit, ne quis imprudens funestam domum rem divinam facturus introiret, & quasi attaminatus suscepta peragere non posset; cur non ad omnes omnino domos, sed ditiorum tantummodo potentiorumque, ponebatur? *Lucan. Pharſ. lib.* 3. 442.

Et non plebejos luctus testata cupressus.

Non *Festi*: nam cupressum non revirescere aut repullulare negat *Plin. lib.* 16. 33. in insula Ænaria; & in Creta negat *Petr. Martyr. ab Angleria Legat. Babyl.* 2. *p.* 388. ubi: *Mihi Cretenses affirmarunt, quod apud eos cupressi incisa renascantur*. Nisi si dicas ex communi opinione quantumvis falsa morem aliquem induci posse, ac sæpe inductum esse: sive etiam cupressum, ut alicubi revivifcat, plurimum tamen reviviscere non solere.

Ad *Varronem* quod attinet, de pyris tantum loquitur, nihil vero de domibus; ubi non ille gravis odor, qui ex ustrinis: & si quis ex cadavere emitti posset, eum unguentis Pollinctores suo pro munere opprimebant.

Pe-

Restat *Pitiscus*, quem miror probabilem dicere sententiam, quæ mihi maxime improbanda videtur. Qui enim Arcam ex cupressu factam novit, aut qua ratione confirmat? Sacra in historia ea de re admodum nihil. Deinde monstrosum fuisset, si Arcam, quæ humani ac belluini generis reliquias servavit, pro sepulcro homines habuissent. Ego quidem nihil ausim affirmare. Illud vero non prætermittam, alios esse, qui putent, cupressum ideo in funeribus adhibitam, quod arbor materiæ perpetuitatem habens animorum immortalitatem denotaret. Quæ placeret opinio, si græci postque romani omnes de animorum immortalitate bene semper recteque sensissent. Nisi dicas ab ea doctrina morem principio natum, deinde vero, nihil curantibus hominibus originem ac mysterium nosse, ab omnibus receptum invaluisse.

636 *trientes*] Triens, poculi genus (ital. *bellicone*) quatuor *cyathos* continebat, h. e. tertiam *sextarii* partem: nam duodecim *cyathorum* erat *sextarius*. In conviviis & compotationibus adhibebatur. Passim ea vox in Martiale. *Agricol. de mens. rom.* 1. *p.* 21. *Rosin. antiq. roman.* 5. 30.

SATYRA XVI.

ARGUMENTUM.

IN celebri quodam matronarum conventu, Sectano inter ceteros adstante, de contemnendis voluptatibus, praesertim vero de praestantia jejunii, non sine audientium stomacho, egerat Philodemus. Hinc satyrae exordium: quam tamen, eo dimisso, ne carminis nobilitate atque illustri apud posteros infamia clareat, in quarumdam matronarum vitia fere totam convertit. In iis igitur musicae studium damnat, luxusque moderatricem & arbitram gallicam pupam, avidissime quotannis exspectatam, ridet. Earum praeterea armaria sinicis vasculis aliisque pretiosis nugis referta, callidamque variae supellectilis augendae artem, describit. Ad immensos inde privatorum sumptus, in rhedis praecipue comparandis, & ad barbarici moris exemplum fabricandis, transit. Tum fucis, cerussis, ceterisque muliebris mundi instrumentis, ridiculisque vestium quotidie novis formis belle derisis, quasdam in feminis potius levitates, quam culpas, salse perstringit. Censorio autem vehementique stilo inhumanum atque impium insectatur maritarum usum, quae filios materno lacte fraudatos rusticis, & saepe adulteris, mulierculis nutriendos locant; unde romanorum hebes ingenium, sermo vilis, sordidi pravique mores, ceteraque tum animi tum corporis vitia, quibus rempublicam debilitari frustra dolemus. Ipsos denique viros feminea mol-

litie diffluentes, ſub Cecinnæ cujuſdam nomine, cum eleganter deſcribit, tum acute vituperat. Satyram habes numeris omnibus abſolutam, atque eruditionis, leporis, amœnitatis, nervorum, &, quod caput eſt, veritatis plenam: de qua nemo jure queri poſſit, niſi qui ſit iis, quæ reprehenduntur, vitiis involutus.

JAne, Bion, Philodeme, Opice, & quocumque vocaris
Nomine, vive diu ſcuticæ ſecurus; amœni
Et doctor ſexus merces extolle pelaſgas,
Ut pro rancidulo veniat tibi penſio beta
Fumoſus petaſo, vappæ bis quinque lagenæ,
Anniculuſque ſuis hædus cum cornibus. Hæc eſt
Sportula trojugenum canibus rapienda togatis.

Sit

1 *Jane*] Varia ſatyrarum herois nomina: quorum cujuſque originem vide in *enarrat.*

2 *vive diu*] Philodemum tandem dimittit Sectanus, qui cum nunquam a ſe amplius ſatyra petitum iri profitetur. *ſcuticæ ſecurus*] ſecurus a ſatyris, quarum flagello abſtinebo. *amœni*] h. e. muliebris. Tranquillo jam animo ſis: græcas merces, ideſt græcum ſermonem apud matronas quantumlibet laudare per me jam licebit, ac docere.

4 *beta*] pro græcarum litterarum doctrina.

5 *fumoſus petaſo*] par magiſtro merces. *vappæ*] inſipidi nullarumque virium vini. *lagenæ*] pro vaſe vinario, nobis *fiaſco*, vel *bottiglia*. Erat olim fictile, collo inſtructum, ore anguſtiore, & (ut Apul. l. 2. metam.) *ceſſim*. (al. *ſenſim*) *dehiſcente, in uſum præſertim defundendi vina in pocula.*

6 *cum cornibus*] non recens a partu ac tenellus, ſed jam ætate duriuſculus.

7 *ſportula*] merces præceptoribus a romanis dari ſolita. De voce ſportula *ſat.* 12. *v.* 217. ubi *Juven.* affertur *ſat.* 1. 59. Vellicat

hic

Sit quoque perjuro tibi fas imponere labro
Cælicolis, plenoque crepes jejunia ventre
Ante ſtolatarum cœtum. Inſanire licebit
Quantumvis poſthac: nam noſtra emarcuit ira,
Et lepidi quondam ſenuerunt ſplene cachinni.
Me diverſa juvant; puerique Cupidinis arcu
Ad molles redigor verſus fregiſſe cathedras.

Nec

hic romanos, qui cum patrimonia in voluptate luxuque profundant, ejuſmodi mercedem pro pædagogi & præceptoris opera rependunt. Soli ne vero ea in re peccant romani? Audias Lagomarſinium in *enarratione*. [*canibus togatis*] h. e. magiſtris, canum inſtar famelicis, qui pueros docendo ægre ut plurimum vitam tolerant.

8 *ſit quoque*] liceat per me vel cœlicolis imponere: quod nos: *gabbare i ſanti*.

9 *jejunia*] In celebri matronarum conventu multus fuit *Philodemus* in prædicando jejunio. *pleno ventre crepare jejunia*, nos *predicare il digiuno a pancia piena*, proverbii locum obtinet de iis, qui aliud prorſus faciunt, quam aliis prædicant.

10 *ſtolatarum*] matronarum, ut in ſat. ſuperiorib.

11 *emarcuit*] deferbuit, reſedit.

12 *ſenuerunt*] remittuntur, quieſcunt. *eſſe petulanti ſplene cachinno* apud Perſ. ſat. 1. 12. eſt riſu diſſolvi: *ridere ſgangheratamente*. nam *ſplen* græcis, *lien* latinis, nobis *milza*, ſedes riſus credebatur. *Splene* rident homines, *felle* iraſcuntur, *jecore* amant, *corde* ſapiunt, *pulmone* jactantur. Sententia igitur eſt: inſanias in poſterum tuo modo, per nos licet: ſatis enim tua cauſſa iræ & riſui indulſimus: jam, te dimiſſo, ad alia convertimur.

13 *me diverſa*] placet non in eodem ſemper argumento verſari: vel, placet nunc ſtilum a te ad aliquid aliud transferre, ſcilicet ad femineas res deſcribendas. *Cupidinis arcu*] non auſtero ac feroci, ſed molliori ſtilo.

14 *cathedras*] ſellas muliebres, ut alibi, ipſis pro mulieribus. *verſus*

Nec munus censoris agam. Lucretia cunctis
Romulidum thalamis, & plurima Portia sedit;
Simplicitas, candorque, fides, reverentia morum
Limina vestra terunt: nec, quæ corradere possit,
Livor habet. Solas nimirum urtica perurit
Libertas; lectosque premit cerdonis adulter.
Sed lævi immoritur mento, longamque juventam
Suspirat Nemesilla gregis, quem tonsor abhorret,
Quem

sus fregisse, quasi spicula: nam supra: *Cupidinis arcu*.

15 *nec munus*] nec censorem agam: quid enim opus est? cum Romæ omnia plena sint pudicitiæ, honestatis, fidei, candoris; ut nulla sit vel invidis mordendi causa. Salsa tamen ironia vides hic cummaxime pungere. *Lucretia*] Plurimæ sunt nostra ætate nobiles matronæ, quæ Lucretiæ Portiæque pudicitiam imitantes thalami fidem sancte servant. De *Lucretia* & *Portia* in *enarrat*.

18 *vestra*] subaudias, *romani*.

19 *solas*] & si quæ sint, quæ turpibus amoribus irretitæ adulteros excipiant, eæ sunt ex insima tantum plebe. *urtica*] libidinosus amor. Juven. 2. 128. = .. *unde* = *Hæc tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes?* =

20 *libertas*] feminas, quæ a servili conditione ad liberam transferebantur, hic pro *vulgares* & *plebejas*. *cerdonis*] vilis cujusdam artificis, qualis est cerdo.

21 *sed*] De tot pudicissimis matronis excipit *Nemesillam*. [*lævi*] imberbi. *immoritur*] amore deperit; nos: *spasima, cascu morta*. Quid simile Horat. 1. *epist*. 7. 85. = *Immoritur studiis*.... [*Nemesilla*] nobilis romana matrona, quæ musicos imberbes præ ceteris amabat.

22 *suspirat*] musicorum gregem, quibus longa juventa est: scilicet amore illorum ardet, qui utpote imberbes juventutem protrahere videntur, & tonsoribus sunt invisi, quod nihil ab eis capiant lucelli. Tibull. 4. 5. 11. = *Quod si forte alios jam nunc suspirat amores*. =

Quem luxus vetat esse viros, natura puellas.
Hos, plusquam natos, & plusquam mille maritos,
Diligit; hos matri præfert, dulcique sorori,
Atque animæ, & si quid potius. Quæ gloria tandem,
Quale decus nuptæ, si sambucistria dici
Contigerit? Gaudete, viri: jam cymbala vestræ
Uxores pulsant; matronaque sanguinis alti
Comœdo teneras delumbans gutture voces

Pro-

23 *quem luxus*] Eviratos istos, quod vel luxus musici causa ejusmodi sint, vel eos muliebri luxu videas incedere, ægre viros dicis: sed ne feminas quidem, quod tales natura non procrearit. Restat igitur, ut media quædam appelles monstra, *barba defectu* (ut *Arrian.* in *Epitect. lib.* 1. *cap.* 6.) *sexus discretos confundente*.

24 *plusquam natos*] Pessimum fœminæ ingenium, quæ ejus generis amasios carissimo cuique, atque adeo animæ suæ, anteferat.

26 *& si quid potius*] Est vere aliquid potius, immo potissimum, nempe Deus, cui turpem cupiditatem indignissime præponendam putat. Utinam vero unam, aut alteram tantum haberemus Nemesillam. *quæ gloria*] Occasionem arripit nobiles præsertim fœminas musicæ operam dantes vituperandi, propter eam, quæ inde consequitur, morum corruptelam. Hac eadem de re acriter *Salvator Rosa* pro suo more, *sat.* 1. quæ tota est in musicam.

27 *sambucistria*] Si cantus, musicive instrumenti, sit perita. *Sambucistria*, quæ Plauto *Stich.* 2. 2. 57. *sambucina*, a *sambuca* musico instrumento triangulo ex Porphyr. *quod inæqualibus longitudine, sicut & crassitudine, nervis efficitur*: vulgo ob aliquam formæ similitudinem vocamus *harpam*, quasi ἅρπην, quod proprie notat *falcatum ensem*.

30 *comœdo*] ea arte, qua comœdæ can-

Provocat orcheſtram. Metuebat pſaltria quondam
Ædilem, faſceſque trucis lictoris; & arcto
Fornice vix paucos jugulabat in aure ſuſurros:
Nam delatorem quodcunque lupanar habebat.
At nunc conducto diſcit cantare magiſtro
Filia Torquati; maturaque virgo marito
Dinumerat ſpiſſas lata teſtudine chordas,
Atque repercuſſas in dotem computat auras.

Ma-

cantrices. *delumbans*] frangens, attenuans, enervans, qua voce cantus mollitiem exprimit, eo ferc ſenſu, quo Cic. *in Orator.* 69. *nec minutos numeros ſequens concidat delumbetque ſententias*; & *Per.* 1. 104. = ... *ſumma delumbe ſaliva* = *Hoc natat in labris* .... = h. e. enerve, molle, fractum.

31 *provocat*] cum muſicorum arte certat; vel, ſi mavis, pſallentium chorum ad concinendum invitat. *orcheſtram*] hic pro canentium fidicinumque ſtatione. Erat enim veteribus *orcheſtra* locus in theatris, apud græcos choro, apud latinos ſenatoribus deſtinatus. *metuebat*] nam publicæ olim pœnæ erant propoſitæ in feminas, ſi quid canerent, aut pſallerent.

32 *ædilem*] magiſtratus ſeveritatem, & lictorum, ſeu ſatellitum, manus & virgas.

33 *vix paucos*] vix ſordidæ fœminæ in fornice ſubmiſſa voce muſicum aliquem numerum ſuſurrare audebant, ne ad judicem deferrentur. *jugulabat in aure*] ſecreto cantabat & intercisè.

36 *Filia Torquati*] h. e. nobilis filia.

37 *dinumerat*] pulſat citharæ chordas, ſeu cantat. apud *Juvenal. ſat.* 6. 381. numerare plectri chordas eſt percurrere, & quaſi aliam poſt aliam pulſando numerare, vel in numerum pulſare. *teſtudine*] Erat *teſtudo* quæ græcis χέλυς *chelys*, cui ſeptem chordæ ex Homer. *hymn. Mercur.* 51. & Horat. 3. *od.* 11. 3. = *Tuque teſtudo reſonare ſeptem* = *Callida nervis*.

38 *in dotem*] Canendi pſallendive pe-

Macte animo, mater clamat: tu gloria nostræ
Sola domus, carum pignus, dulcissima proles:
Et pater adductis natam collaudat amicis,
Tamquam de phrygio turgentem vellere telam
In plantas variasset acu, pictasque volucres,
Seu potius tereti duxisset stamina fuso.
Interea musicis modulis, ceu flosculus æstu,
Virginei sensim languet color ille pudoris.
Nonne cupidineis multum opportuna sagittis
Ætas sponte furit? quid mendicatis ab arte
Ir-

peritia dos vere aerea, quæ non ex pecunia, sed ex aeris percussione fit. Commodum sane parentibus ejusmodi dotem filiæ conficere.

39 *macte animo*] Filiæ belle psallenti canentive ita gratulantur & plaudunt parentes; italice: *brava, molto bene, viva*. Ubi advertas, interdum apud latinos *macte* tanquam indeclinabile poni, vel adverbium, etsi a *magis auctus* derivata sit vox.

41 *collaudat*] ut amicorum alicui filiam, quasi mercem, extrudat. Nam ex *Hor. 2. epist. 2. 11.* = *Laudat venales qui vult extrudere merces.*

42 *de phrygio*] Textili opere acu pingendi ars a *phrygiis* profecta. Sensus est: laudat filiam cantantem, ac si phrygio opere eximie telas distingueret, plantas in eis volucresque docto acu pingendo; vel præclare fusos torqueret; quod vere esset in fœmina laudandum: quandoquidem *Proverb. c. 31.* mulier fortis dicitur, quæ *lanam & linum quæsivit, & operata est consilio manuum suarum*, ejusque *digiti apprehenderunt fusum*: unde dicitur *manum suam ad fortia misisse*.

47 *nonne*] Ipsa per se æstuat juventa: quid si musices, quasi camino, oleum addas?

Irritamentum? tenero nil carmine thuſco
Valdius exſtimulat, tectos & ſuſcitat ignes.
Ecquis non caleat, cum vita, & cara voluptas,
Spes mea, dulce bonum, audit? quiſque putat ſibi dictum,
Et ſibi blandiri: facile nam creditur illis,
Qui palpant. Dives, juvenis, formoſus haberi,
Nemo eſt qui renuat; quamquam mendicior Ollo,
Et ſenior Barro, Naſica turpior eſſet.
Pedere te mallem, Albina, & ructare falernum,
Quam

49 *carmine thuſco*] iis præſertim cantiunculis, quibus theatra hodie reſonant, vulgo *ariette*.

50 *valdius*] Quam vere *Sectanus*, teſtes appellamus ex adoleſcentibus quamplurimos, ſi mentiri nolint.

61 *cum vita*] Amatoriæ formulæ, quibus molles illæ cantiunculæ plurimum oblitæ ſunt, nimium teneræ, præſertim ſi mollitiem addant criſpatæ vibriſſantium muſicorum voces: = *Mia delizia, mio cor, mia dolce vita* = *Caro mio ben, mia ſpeme &c.*

55 *Ollo*] Ut mendicitatis, ſenectutis, & turpitudiuis exempla proferat, a *Philodemi* amicis, ne eorum oblitus videatur, non diſcedit, *Ollo, Barro, & Naſica*, quos ſæpius in ſatyris petit. *Ollus* nomen ex *Mart.* 3. 44.

57 *pedere*] Vide quid muſicis modis opponat, ventris crepitum, & ructum. *Albina*] pro quacunque nobili fœmina cantrice. Senſus eſt: ſi pedas & ructes, minus erit incommodum, quam ſi cantes: pedito enim & ructu naſo moleſtiam exhibebis; cantu vero, mores corrumpendo, in perniciem homines adduces. *ructare falernum*] ructare vinum, ut *Varr. de r. r.* 3. 2. *ructari aves* & *Juven. ſat.* 6. 10. *glandem*.

Quam canere, & tremulo percurrere pollice fila.
Nam crepitu ventris nemo queritur nisi nasus:
Dum cantas jugulas homines, mortisque propinquæ
Indicium, læso rumpunt suspiria corde,
Tinguntur que genæ violæ pallore. Recedant,
Qui cupiunt servare diu corpuscula: quippe
Hic blande occidimus, nec non civiliter orcum
Intramus, cithara plaudente, & voce beata.
Hoc tamen exitium multis optabile. Terrent
Me potius, celeri tunc cum damnosa fritillo

Vel

60 *jugulas*] hominum animos enecas, mollitiem insinuando, irritandoque voluptatis sensum. *mortisque*] ejus mortis, qua perit morum innocentia, indicia sunt oris pallor, & suspiria, quæ muliebrem cantum consequuntur, fauciato corde, h. e. pravis in animo motibus concitatis.

61 *rumpunt*] prorumpunt.

62 *recedant*] Hortando concludit, ut ab ejusmodi Sirenum cantibus longe absint, qui suam servare animam, & pelliculam velint: sin minus, inter cytharæ sonum Sirenisque cantum blande peribunt, & ad tartara descendent. Quid autem aliud vel ipsi docuerunt *ethnici* fabula illa de Ulysse (ut in *enarrat. ad sat.* 11. 28.) qui sociorum aures cera obstruxit, ne Sirenum cantu perirent?

64 *civiliter*] quod nos: *andare a casa del diavolo per complimento.*

65 *beata*] suavi, quæ beatos facere videtur: ut *Mart.* 9. *epist.* 12. *beatum nectar.*

66 *hoc tamen*] Damnato musicæ studio, cetera persequitur, quæ ad muliebrem luxum pertinent, ludum, pupam, supellectilem &c. *multis optabile*] Ita multis suaviter perire placet.

67 *me potius*] me magis. *fritillo*] cum turricula lusoria (*bossolo*) tesferas

Arma movent, dirusque monas marsupia radit:
Vel cum sermo novis de vestibus incidit; & jam
Sollicitæ expectant, quas mittit Gallia, pupas
Ar-

feras agitando ludum illum ludunt Romæ usitatum, qui vulgo *riffa*: qua de turricula *Mart.* 14. 16. = *Quæ scit compositos manus improba mittere talos* = *Si per me misit, nil nisi vota facit* = de voce *fritillo* diximus *sat.* 1. *enar.* 112.

68 *arma*] Juven.*sat.*14. 5. aleatorum arma sunt aleæ, h. e. tesseræ, tali, taxilli, cubi, scrupi, astragali, latrunculi, chartæ &c. H.c sunt *tesseræ*, ita a græcis dictæ, quod sint ex omni latere quadratæ (sex autem constant lateribus) quæ nostris respondent cubicis officulis, vulgo *dadi*. Earum materia, ut hodie, varia erat. Vid. *Causæum*, seu la *Chausse*, *de tesser. tab.* 8. Calcagn. *de talor. lud. c.* 2. & Pitisc. v. *tessera*, & v. *talus:* ubi habes quid inter talos tesserasque discriminis esset. Bene autem *damnosa*: quid enim aleis perniciosius? *dirusque monas*] In talorum ludo *monas* (græce) est unitas, italice *l'uno*, aut *l'asso*. Latinis *canis*, seu *canicula*, græcis *chius*, jactus erat omnium infelicissimus, ideoque bene *dirus*. Quare ab Ov. *art. am.* 2. 206. & *Trist.* 2. 474. & a *Prop.* 4. 9. 18. *damnosus* dicitur, a Plaut. autem *curc.* 2. 3. 78. *vulturius*, quod rapaci vulturi similis pecuniam raperet. *marsupia radit*. Perf. *sat.* 3. 49. ....*damnosa canicula quantum* = *Raderet*. = Contra *senio*, h.e. *senarius* numerus, erat felicissimus: quare qui *senionem* mitteret: vincebat, qui *canem*, vincebatur. ideoque ibi Perf.dicit *senionem ferre*, *canem radere*. Casaub. in *Perf. sat.* 3. 4). Ferrar. *elect.* 1. 16. Meurs. *de lud. græc. p.* 38. Buleng. *de lud vet. c.* 29. Pitisc. v. *canis*.

69 *cum sermo*] Quo in sermone non modo multæ, sed totæ omnino sunt quotidie feminæ: ut nesciam, an bene dixerit de sermone, qui perpetuus est, *incidit sermo*. [*novis de vestibus*] nos: *de' vestiti di moda*.

70 *pupas*] De pupa (*pupazza*) muliebris luxus moderatrice, quam pro suo, non benefaciendi, sed emungendi studio, tam sæpe ad nos mittit elegantissima Gallia, diximus ad v. 245. satyræ superioris.

Archetypas luxus. Sunt hæ rectiſſima morum
Regula: nam nulla eſt temeraria, tamque decoris
Immemor illa ſui, quæ ſe componere, ſeque
Negligat ad normam peregrinæ ornare figuræ.
Hæc jubet ex auro præfigere cingula lumbis;
Hæc xerampelinos venetoſque indicit amictus,
Juraque feminei moderatur provida mundi.
Quod ſi coccineo niteat Proculina colore,
Quem non pupa tulit, per cunctos fabula cœtus

71 *archetypas*] prima novaque veſtiarii luxus exemplaria: *modelli*. [*rectiſſima*] ironice: nam quod aliquid multis in more ſit, non ideo eſt recti regula; cum potius argumentum peſſimi turba ſit.

75 *cingula*] aurea zonula latera præcingere.

76 *xerampelinos*] Nos: *color di roſa ſecca*: græca vox a ξηρός, *aridus*, & ἀμπέλινος, *viteus*, ab ἄμπελος, *vitis*, ideſt qui ſiccam vitem imitatur. Color tamen *xerampelinus* dicitur ne a vitis foliis, quæ adulto autumno rubent, velut cruentata; an vero a vitibus ipſis, quarum color pullus fere eſt? *Juven. ſat.* 6. 518. = *Et xerampelinas veteres donaverit ipſe*. [*venetoſque*] veſtes veneti coloris, *di verde marino*, uti in *ſat. ſuper. v.* 252.

77 *mundi*] Quicquid ad feminarum ornatum pertinet, *mundus muliebris* dicitur, quod quidem infinitum eſt: quanquam ſi Ulpianum audias *l.* 25. §. 10: *ff. de aur. arg. mund.* muliebris mundus differt a muliebribus ornamentis. Vid. *enarrat.*

79 *quod ſi*] Tantæ eſt *gallica pupa* auctoritatis, ut ſi qua femina paulIulum ab ea diſceſſerit, fabula fiat ac ludibrium vulgi; atque adeo apud maritum quaſi publici meretricii rea a conſanguineis continuo poſtuletur. *coccineo*] *di ſcarlatto*. [*Proculina*] pro quacumque, præſertim nobili, femina: nomen ex *Martial.* 6. 22.

Narratur, ſtultique ſubit ludibria vulgi,
Et conſanguinei properant deferre marito,
Infami titulum veluti ſuſpendere cella
Auſa palam fuerit. Sed nunc formoſa vocari
Fœmina jure nequit, cui non fabricata renidet
Dactylotheca domi, nugis pretioſa ſupellex.
Ergo omnes ebeni tabulis, aut cortice olivi,
Inſtituunt abacum, & latis ſpecularibus ornant.
Sunt miri artifices Romæ; nam brachia Faunus

Au-

82 *titulum*] Certa cuique meretrici conſtituebatur cella, cui titulus inſcriptus nomen pretiumque indicabat, Pignor. *de ſerv.* p. 280. Briſſon. *de jur. connub. Theſ. græc.* vol. 8. p. 1068.

83 *ſed nunc*] Femineæ ſupellectilis luxum deſcribit, & carpit.

85 *dactylotheca*] ſeu potius *dactyliotheca*, ſcrinium ſeu repoſitorium annulorum gemmarumque &c. vulgo: *ſcarabattolo*: Martial. 11. 59. 4. Nam annulum græci δακτύλιον appellavere.

86 *ergo omnes*] Scrinium illud elegantiſſime deſcribit. *ebeni*] quod eſt ex pretioſioribus lignis ab *ebeno*, arbore non ſolum indica: ut *Virg.* 2. *georg.* 117. = ..*ſola India nigrum = Fert ebenum*..., ſed etiam æthiopica & lybica; quæ lignum habet ſine medulla, intus nigri ſplendoris, extra buxi colore, adeoque ſolidum & grave, ut in aqua ſubſidat. *cortice*] pars pro toto. *olivi*] Ex olivo radix, utpote venis varie diſtincta, in ejuſmodi ſcriniis inſtituendis maxime commendatur.

87 *abacum*] armariolum. *ſpecularibus*] hodie vitreis & cryſtallinis, olim vero e lapide albo pellucido, qualis erat phengites, & tenuis in laminas ſectili, quem *ſpecularem* dicebant. Vid. *enarr.*

88 *ſunt miri*] in cælandis, aut vermiculato vel anaglyphico opere ornandis menſulis, ſcriniis, abacis &c. *Faunus*] Variæ in illis figuræ inauratæ; ut *Fauni* agreſtis dei, qui ex *Ovid.* bicornis erat, ſemicaper & piniger; *Atlantis* plu-

tuum

Aureus extendit, pluteum vel ſuſtinet Atlas,
Vel nitidis ſquamis Siren caudiſque retortis;
Ut melius vivo nil poſcere Mentore poſſis.
Inſpice quid lateat. Lacrymis conflata carina
Heliadum; parvæ lances; & crater ibera
Nobilis argilla, quam ſæpe hiſpana comedit
Fœmina, ut adſcitus laudaret pallor amantem;
Sinarumque lutum miſero pretioſius auro.

L 2 Hic

teum (aliis vulgo *ſcansia*, aliis *tavolino*) ſuſtinentis; nam *Atlas* humeris cælum ſuſtinuiſſe dicitur; de quo varie fabula narratur a mythologis; *Sirenis*, quæ fabuloſum maris monſtrum ſuperiori parte virginis alatæ formam, inferiori volucris habebat, clunibus, cauda, pedibuſque gallinaceis.

91 *ut melius*] ut opus habere non poſſis elegantius elaboratum, ſi *Mentor*, (de quo alibi) celeberrimus ille cælator, viveret.

92 *quid lateat*] quid in armariolo ſeu ſcrinio repoſitum ſit. Intus enim non minus eſt luxus, quem deſcribit, pretioſa vaſcula enumerando. *carina*] vaſculum in naviculæ formam ex electro vel ſuccino (*umbra*).

93 *Heliadum*] Lacrymas *Heliadum* quare vocet *electrum* Vid. *enarrat.* [*parvæ lances*] nos: *piattini.*

94 *argilla*] Fictilia ex argilla ibera ſunt nobis *buccheri di Spagna*, quæ ex odorifero bolo, h. e. gleba, conſtantur. *comedit*] Hiſpanæ fœminæ (ſua enim cuique genti inſania) palleſcere ſtudent: eo quippe colore, amoris indice, magis placere amatoribus, & commendari ſibi videntur: quare ut pallorem acciant, ejuſmodi argillam comedere ſolent nobiliores, gypſum vero plebejæ. Vid. *enarr.*

96 *Sinarumque lutum*] pretioſam argillam ſinenſium, quam dicimus *porcellana della China*. Varchius *pocula murrhina* apud *Senec. de benef.* 7. 9. vertit: *tazze di porcellana*. Sed figulina ſinenſia non eadem eſſe ac *murrhina* jam diximus. *miſero*] quia pretio vincitur.

Hic Bruti puerum cernas, & Lagona vivum,
Caiolos, gibbosque breves, & pumiliones.
Adsunt & minimæ rhedæ, falluntque jugales
Pæne oculos; veniuntque boves sub aratra pusilli.
Parte alia exilis catinensi marmore Chiron
Educat Æacidem; vixque est dignoscere caudam.
Quis calices numerare queat, tenuesque patellas
Inclusas piperis grano, longosque labores

Ger-

97 *Hic Bruti*] Minutissima ibi sive anaglypha (*bassi rilievi*) sive sigilla (*statuette*) minutissimas imagines referentia cernere est, puta puerum Bruti, Lagonem, Caiolos &c. *Martial.* 11. 51. 5. = *Nos facimus Bruti puerum, nos Lagona vivum.* [*Lagona*] græca inflexione pro *Lagonem*, de quo, uti & de Bruti puero, vid. *enarrat.*

98 *Caiolos*] Hæc vox (quod sciam) in uno legitur Statio *silv.* 1. 6. 17. = *Molles Caioli, Lagunculique* = Ubi *Caioli*, diminutivum a *Cajo* puero, uti *Lagunculi* a *Lagone*, sunt puerorum imagines impressæ in cupediis, seu panibus dulciariis, seu libis, quæ per saturnalia missitabantur, dicta etiam *sigillaria* munera ab impressis sigillis; ex Senec. *ep.* 12. Spartian. *in Hadriano*, & Sueton. *in Claudio* [*gibbosque breves*] nos: *gobbi, nani*, & *caramogi*.

99 *rhedæ*] Sunt minutissimæ rhedæ (forte ex ebore) suis cum equis raptantibus, tantæ tenuitatis, ut prope oculorum aciem fugiant.

101 *catinensi*] a Catina Siciliæ urbe, pro albo siculo marmore, quod vocant: *alabastro di Sicilia*. [*Chiron*] Centaurus, partim homo, partim equus, qui Achillem *Æaci* nepotem educavit.

102 *vixque est*] vix licet præ operis exilitate equinam caudam discernere.

104 *piperis grano*] h. e. tantulo materiæ spatio, quantulum occupat piperis granum.

Germanæ pubis, gelidique toreumata Rheni,
Horrida dum calidis mulcetur bruma caminis?
Omnis in exiguo decor & pretium. Aspera quanti
Unciola argenti constat, dominique metalli
Pustula concisa in facies pecudesque minutas?
Nil equidem. Insomnis jaceat Quintilla, vocetque
Mane, putres oculo qui pelves respicit uno,
Protinus accurrunt, qui dentiscalpia, thecas,

105 *germanæ pubis*] Multiplicis generis opera, præsertim lignea, mira laboris patientia elaborata ad nos ex Germania perferuntur. *toreumata*] anaglypha, *bassi rilievi*; quæ in urbibus ad Rhenum fluvium, h. e. Germaniæ, conficiuntur.

106 *dum calidis*] Hypocaustis, seu caldariis, (*stufe*) frigus arcent germani: qui, cum domi diu hiberno tempore contineantur, toti sunt in ejusmodi operibus; atque inde est causa, cur ex Germania potius, quam aliunde, tam varia, ac sæpe nova, opuscula prodeant.

107 *aspera quanti*] aspera unciola pro *asperi*, h. e. cælati, argenti unciola. Interrogat satyrice *Sectanus* de pretio, ut satyricum eliciat responsum; nempe, ut scias, qua tandem ratione nobilis fœmina raram pretiosamque supellectilem congreget.

108 *dominique metalli*] auri, quod in omnibus quasi dominatur.

109 *pustula*) auri frustulum, quasi pustula, minutissimis hominum pecudumque imagunculis effictum.

110 *nil equidem*] Mirum: sed mirari desinas: nam qui fiat ex sequentibus intelligis. *Quintilla*] pro quacunque nobili fœmina. Fac jaceat minus belle habens: undique confluunt, & quasi impluunt, ab amatoribus munuscula. Patet ne arcanum?

111 *putres oculo*] vocet medicum. Satis erat Romæ notus per illud tempus medicus *Fossombronius* unoculus, de quo *sat.* 12. 178. *pelves*] matellam, lasanum, & catillum pituitarium, *sputajuola*.

112 *dentiscalpia*] ex lemmate *epigr.* 22.

Cultellos, globulos donent, plenasque recenti
Pompejo phialas. Si venerit altera tussis,
Mittetur variis compacta armilla sigillis,
Ex Cajo, & Galba, raroque insignis Othone,
Ut niteat gracilis multo de Cæsare dextra.
Ordine quisque suo largitur. Myrrhina dives
Pocula; majoris pauper carchesia Ripæ;
Causidicus loculos; & Procurator eburnos
Alveolos, priscoque rudes ex ære lucernas.

Quis-

22. *lib.* 14. Martialis. Olim *dentiscalpia* ex lentisco, vel ex penna erant. ibi enim: = *Lentiscum melius; sed si tibi frondea cuspis* = *Defuerit, dentes penna levare potest.* = Nunc vero luxus dentiscalpia (*stuzzicadenti*) vel ex auro esse jubet. *thecas*] vaginulas, vel pyxidulas, argenteis aureisve parvulis instrumentis, puta dentiscalpiis, auriscalpiis, forficulis &c. condendis, italice: *astucci*, vel *scatoline*.

113 *cultellos*] diminutiv. a *culter*.

114 *Pompejo*] h. e. unguento *pompejano* a *Pompejo*, nobili tum Romæ unguentario: de quo alibi. Ita Martial. *Cosmo*, pro unguento *cosmiano*. [*si venerit*] si nova fiat morbi accessio.

115 *armilla*] nos: *smaniglia*, *braccialetto*. [*sigillis*] Gemmis cælatis, *cammei* (in quibus rariores Caji, Galbæ, Othonis, & Cæsaris imagines) armillæ conficiebantur.

118 *ordine*] pro sua quisque conditione. *myrrhina*] pro iis, quæ dicimus: *di porcellana*. [*carchesia*] hic vascula fictilia, quæ Romæ ad ripam Tiberis majorem (*Ripagrande*) venalia sunt: *chicchere di Ripa*. Nam antiquitus *carchesium* erat poculum oblongum, rotundum, & circa medium compressum. *Virg. æn.* 5. 77. = *Hic duo rite mero libans carchesia Baccho*.

120 *loculos*] crumenulas sericas.

121 *alveolos*] vascula ex ebore &c. quæ nos: *alberelli*.

Quisquis enim properat soteria pendere amicæ
Pallidulæ. Scripto signatur nomine munus;
Ne meriti quicquam pereat, sed gloria semper
Auctori maneat. Dedit hæc Arcturus, & illa
Didymus, afflavit cum gravis aura nocentis
Autumni. Interea crescit languoribus arca
Sæpe etiam fictis, & jussæ munere febris.
Nil tamen ad plutei rationes conferet unquam
Utilius dominæ vultu roseoque labello.
Nam, si quammultas Lalage numerabit aristas,

122 *soteria*] Convalescenti pro salute recepta mittebant amici munera, quæ iccirco σωτήρια, *soteria* vocabant. quare *Polycarmus* apud *Martial.* 12. 56. sæpius morbum simulabat, ut sæpius ejusmodi munera exigeret; non secus ac apud eundem 8 64. *Clytus*, ut sæpe *natalitia* reciperet, octies per annum suum celebrabat natalem. Vid. *enarr.*

123 *signatur*] Ne pereat largitoris memoria, nomen illius muneri apponitur; atque ut ea ambitione capti facilius & sæpius donent bardi amatores.

125 *Arcturus*] Amici nomen, a quo accepta munuscula; uti & *Didymus* a græco, latine *geminus*, *gemellus*.

128 *sæpe etiam fictis*] Uti superius de *Polycarmo* Martialis. *jussæ*] simulatæ.

129 *ad plutei rationes*] Ad pluteum muneribus locupletandum, seu ad plurima colligenda munera, nil utilius, quam si fœmina ætate floreat ac venustate. Quam vero secus, si de forma decidat, aut in senium vergat! Nulli jam amici: munera nulla; ne illa quidem, quæ puerulis dari solent, ut buxeus equus &c. quantumvis gravi morbo vel quartanæ, vel phthisis laboret.

131 *Lalage*] pro quacumque fœmina. *aristas*] æstates, h. e. annos, ut nos: *contar più carnovali*.

Jam ſenior, quartana licet ſuccenderit ægram,
Aut phthiſis, accedunt raro munuſcula; nullus
Buxeus hinnit equus; nulluſque auriga pyropo
Lora quatit: quin fœdi habitant armaria mures,
Et laqueo muſcas capturus araneus ambit.
  Ergo age, qui pulchra lætaris conjuge, rhombos
Incautos eſca, vel mullos falle bilibres,
Dum licet, & primi vernabit floſculus ævi.
Nam cito decreſcit donandi gloria: menſes
Quatuor accedant, vel purpura defluat oris,
Nullum de tantis tua janua cernet amicis.
Et licet auguſtus redeat, multumque december
Optatus famulis, raro de calce ſonabit

Peſ-

134 *auriga pyropo*] rhedula, cum ſuo auriga lora quatiente, ex aliquo vel lapilli, vel mixturæ pyropum imitantis, genere efficta; vel quid ſimile, quod eſſe ſolet inter puerorum crepundia.

135 *quin fœdi*] muneribus, in armariis vetulæ fœminæ, mures & aranei ſuccedunt.

137 *ergo age*] Ironice: ne tempore uti negligas. *rhombos*] & *mullos bilibres* = incautum amatorum gregem: elegans translatum. *eſca*] florida conjuge.

141 *quatuor accedant*] Brevi enim floſculus ille pulchritudinis flaccefcit. *purpura*] purpureus color, vegetæ index ætatis.

143 *licet auguſtus*] quibus maxime diebus Romæ ſtrenas & munera dandi mos eſt (*per ferragoſto e natale*), ut ad *ſat.* 12. *v.* 359.

144 *raro de calce*] Rari venient, qui calce oſtium pulſantes peſſulum concutiant, h. e. qui munera perferant: qua de locutione *ſat.* 12. *v.* 151.

Pessulus, & tacito mœrebunt cardine valvæ.
Quid facies? fundi pretio *berlina* paranda;
Inque unam cedet felix vindemia vestem;
Plenaque dimidiam rediment vix horrea cristam.
Si transire juvet, qua prisca a sanguine turris
Nomen habet, sola conscriptos conjuge libros

In-

145 *tacito*] Poetice dictum: quasi mœreat ostium, quod, raro strepente cardine, fere nunquam ad munera admittenda referetur.

146 *quid facies* ?] Ab diluta rugosaque conjuge refugientibus amicis, quid facies, ut luxui assuetam jam non alieno, sed tuo impendio, alere pergas? *berlina*] Primo pro *berlina* Sectanus scripserat latine *carruca* (ut ex editione *pseudo-coloniensi* 1698. & mſ. *autographo*: post vero subdere placuit *berlina*: quæ vox certe non modo latina non est, sed ne quidem nostra. Sed dabis veniam poetæ, qui ut certam nostri temporis rhedæ speciem signaret, maluit in re accuratior esse, quam in verbo. Est autem *berlina* recens rhedæ genus quamornatissimæ, ut inferius, *carrozza ricca*, cujus figura apud *Lexic. encyclop.* Vocem ab italis gallos mutuatos putat *Lexic. gallic. Richeletian.* unde autem ad nos venerit, mihi est incompertum, nisi si forte a *Berolino* urbe dicta sit, ubi primum ejusmodi rheda extructa fuerit.

147 *inque unam*] Dominicus *Bartolus* lucensis, poeta haud ignobilis, *Canzoniero canz.* 1. = *E in una gonna un patrimonio ondeggi*:

148 *plenaque*] Vides quam poetice dictum. *cristam*] fœminei capitis ornamentum, de quo non semel alibi.

149 *a sanguine*] vulgo: *Tor-sanguigna*, locus Romæ notissimus, ubi res vestiaria prostat.

150 *libros*] in quos mercatorum rationes referuntur: ibi tuam conjugem, quæ quidquid libuerit cœca die accepit ad græcas calendas solutura, tam sæpe scriptam invenies, ut de ejus nominibus toti fere sint.

Invenies. Jani debet Faustina calendis
Bis centum; totidem sextili mense: quid ultra?
Implet ephemeridas uxor; cunctisque notandam
Institor ostendit, querulusque obgannit in aurem.
Donec valvarum serotina chartula rimas
Ingreditur, stringitque oculos male scripta legentis
Trojugeni. Lex succurrat, cautelaque Ubaldj
Quan-

151 *jani*] Nomina suis quæque dilatæ ac pactæ solutionis diebus ac mensibus notata. *Faustina*] pro quacumque ejusmodi prodiga uxore.

153 *ephemeridas*] diarium rationum & nominum: *giornale di conti*. Bene *implet*, cum de fœmina agatur, quam Cicero diceret *syrtim patrimonii*, *charybdim bonorum*.

154 *ostendit*] Eos digito monstraut, quorum nomina (*le partite accese*) in suis tabulis longum dormiunt; & in amicorum aure mussitantes de nimia solutionis mora amare conqueri solent institores: quorum rationes nescio an per hosce annos meliore loco sint, in tanta luxus accessione.

155 *donec*] Abrupta patientia tandem mercator judicio agit: quare apparitor, vulgo cursor (*messo*) schedulam, qua debitor in jus vocatur (*citazione*) perferre jubetur: quæ schedula Romæ in rimulam, quæ icciro in cujusque domus foribus est, intrudi solet. *serotina*] diu dilata.

156 *stringitque*] male scripta (quod inveteratum ubique scribarum vitium est, quicquid in sua *praxi* contra clamet *Rudolphinius*) oculos fallit romani legentis. *stringit* valet hic *perstringit*.

157 *lex succurrat*] Quantumvis legum remediis, & leguleiorum cavillationibus, tergiverseris, judiciumque protrahas, pretiosa tamen supellex ad extinguenda nomina tandem hastæ subjicitur. *cautelaque Ubaldj*] quæ & *Angeli*, ab *Angelo Ubaldio*, quod is melius, quam veteres primique Doctores, eam explicarit; ab eoque posteri desumpserint. Vid. *enarrat.*

Quantumvis, veneunt tandem damnata ſub haſta
Aulæa, & pictæ tabulæ, phrygiæque columnæ.
Qualis in ore pudor, tunc cum licitator anhelat
Anxius! Addo decem: non ſufficit: addo ducentos;
Fataliſque ſuper moritur candela tapete.
Hujus ab interitu caveas, romane, memento;
Et doleas pluſquam dilecti in funere patris;
Si potis es dominæ momenta evadere ceræ.
Scilicet anguſto diſcurrere margine poſtquam
In-

159 *aulæa*] *drappi, tappezzerie* [*tabulæ*] pictæ, *quadri*. [*phrygiæ columnæ*] periſtromata opere phrygio ad veſtiendas columnas; *parati a ricamo*.

160 *tunc cum*] Licitatoribus confluentibus, & emendi ſtudio anhelantibus, inſtituitur auctio, quam belle deſcribit.

161 *addo decem*] Licitatorum inter ſe certantium voces.

162 *candela*] Ex more licitandi ardente candela, ut ea conſumpta auctio conquieſcat, reſque ei, qui plurimum licitus fuerit, addicatur. ideo autem *fatalis*, vel quod auctionis fatum, h. e. exitum, definiat; vel quod funeſta ſit ei, cujus bona ſub haſta venierunt, miſere in illum, qui licitatione vicerit, translato dominio. *tapete*] vel pro tota ſupellectili præconis voci ſubjecta, vel pro menſa auctionaria.

163 *hujus*] Candelæ auctionariæ plus timeas doleaſque interitum, h. e. bonorum ſub haſta venditionem, quam funus dilecti parentis.

165 *ſi potis*] ſi tamen tuæ res eo loco ſint, ut ultima candelæ momenta, h. e. bonorum auctionem, evadere poſſis. *dominæ*] quaſi candela illa ſit bonorum tuorum domina.

166 *ſcilicet*] Viginti, qui ſequuntur, verſus in editis minime leguntur. *anguſto*] Poetice dictum: poſtquam res imperiumque romanum cecidit, atque anguſtioribus finibus definitum eſt. En tibi ſenſus; in barbaras olim gentes, gal-

Incepit Tibris, populi, queis jura dabamus,
Luxuriæ leges imponunt. Proh dolor! Urbe
Incolumi, ſanctiſque aris, & Præſide mundi,
Sarmatici regnant mores, rituſque ſicambri,
Flaminiamque terunt romanaque compita rhedæ
Gothorum. Fulvo quamvis *berlina* metallo
Inſignis niteat, temo aureus, aureus axis,
Detorquere oculos propero, vultuſque retrorſum,
Cum peregrina foro video pilenta latino,
Quæ, veluti, multo circumdat, porticus, arcu.
Namque minus lædit prompta me cuſpide mucro,

Quo

gallos, britannos, theutoros &c. dominabamur: nunc illæ in nos, luxus leges imponendo.

169 *incolumi*] Stat quidem incolumis Urbs, ſtant aræ, templorumque ſanctitas, totiuſque chriſtiani orbis Moderator regnat Romanus Pontifex: tranſalpinorum tamen inventis moribuſque (*alle mode*) ita Roma indulget, ut ſicambri ac ſarmatæ ad nos tranſmigraſſe videantur.

172 *gothorum*] barbarorum. Varia rhedarum genera ab exteris gentibus inventa. Bona tamen *Sectani* venia, veteres quoque romani, tum cum latiſſime dominarentur, varia vehiculorum genera a barbaris habuerunt, *eſſeda* a belgis, *rhedas* & *petorrita* a gallis. Vid. *enarr.*

175 *pil. nta*] Quatuor rotarum vehiculum erat *pilentum*: vox autem veterum tuſcorum ex *Non.* diction. *carrum.* Scheff. *de re vehic.* 2. 25. Vid. *enarr.*

176 *porticus*] Ejuſmodi rhedæ multum ſuut arcuatæ, &, quaſi veterum porticus, bene fornicatæ, ſeu concameratæ, earumque inſtar, quaſi columnis effultæ. De *veter. portic.* vid. Pitiſc. v. *porticus*.

177 *minus lædit*] Minus mihi diſplicet vulgare medicorum vehiculum, quam hæc nova rhedarum for-

Quo munire solet medicus carpenta, vetatque
Ne Maculo sedeat, positis super abside cistis;
Quam quæ Telegoni percurrit barbara villas
Capsula, & externo laudatur condita luxu.
Quis furor in phaleras sestertia vertere centum,
Ut scutulatus equus, cristisque superbus & auro,
Hinniat; & dudum nostris incognita fabris.
Captivas teneat crystallina theca maritas?

Non-

forma, quæ vel ruri in usu esse cœperunt. *mucro*] Medici utuntur *carpento* (hic pro *rheda*) minus nobili, nobis *timonella*; cujus pars postica ferreis cuspidibus armari solet, ne retro quis e plebecula sedens uni, quo raptatur, equo gravis sit.

179 *Maculo*] vilissimus herbarum fructuumque propola, de quo alibi, pro quocumque ex iis, qui facile cum suis cistis in prætereuntis carpenti dorsum insidendo via se atque onere levare solent.

180 *Telegoni*] villas tusculanas (*di Frascati*). Tusculum enim jam diximus a *Telegono* conditum. *barbara*] peregrina.

181 *capsula*] pro rhedula, seu lectica, nos; *guscio*.

182 *quis furor*] Damnat in equorum luxu ingentes sumptus, qui furorem sapiunt. *phaleras*] equorum ornamenta, quæ a frontalibus & monilibus, ex *Plin.* & *Gell.* 5. 5. differebant; erantque forte cingula quædam aureis clavis, veluti bullis, ornata. V. Pitisc. v. *phaleræ*. [*sestertia centum*] Vel indefinite posuit pro ingenti summa; vel, si definite, habes aureos nostros bis mille quingentos. Vid. *enarrat.*

183 *scutulatus*] italice: *pomellato*, *leardo*, Pallad. *in Martial. l.* 4. *tit.* 13. *de color. equor.* Colores hi equorum præcipui: badius, aureus, albineus (*bianchiccio*) russeus, murreus (*castagno scuro*) cervinus, scutulatus, albus &c.; sequentis vero meriti varius cum pulchritudine, niger vel albineo vel badio mixtus.

185 *cristallina theca*] quæ superius *capsula*, crystallis munita, ut marita

Nonne vides, quanto lascivit prodiga sumptu
Fœmina, nec sentit pereuntis damna crumenæ?
Pendet ab auriculis census, totaque flagellat
Dote sinum; & digito patrimonia portat in uno.
Pocula quin etiam biberet famosa Canopi
Qualibet in cœna; ructaret & ebria regnum.
Nulla modum servat; noster nec sufficit orbis
Luxuriæ: trans alpes, trans mare vota feruntur.
Sint meliora licet radio contexta latino
Serica, vilescunt; atque ipsum temnitur aurum,

Ni

ritæ, h. e. matronæ, vel nuper nuptæ, sacræ quasi reliquiæ, thecis *captivæ*, h. e. inclusæ, videantur.

187 *nec sentit*] Qui sentiat quæ luxum habeat pro numine? Sentit maritus: sed quo pacto tantum restinguat incendium?

188 *pendet*] Ne putes minus vere, quam emphatice, dictum.

189 *dote sinum*] totam in monili baccato (*ornato di più perle*) quod sinum flagellat, dotem insumit. *digito*] h. e. annulo pretiosissimo.

190 *Canopi*] Ægypti, cujus urbs & insula *Canopus*. Respicit ad *Cleopatram* ægypti reginam *Ptolemæi* uxorem, tantamque ejus luxuriam, ut una cœna cum *Antonio* celebrata centies HS sola absumpserit, resoluta in aceto & epota margarita id pretium æquante, si *Plin.* fides sit *lib.* 9 *c.* 35.

191 *ructaret*] emphatice: cibos regni pretio comparatos.

193 *trans alpes*] Nisi enim transalpinis, aut transmarinis vestibus ornentur, non se vivere posse putant.

194 *radio latino*] in Italia contexta. *radio*] pars pro toto, h. e. pro prelo textorio. nam *radius* textorius est lignea illa navicula, quæ filum, seu tramam, seu subtemen (*ripieno, trama*) ultro citroque transmittit, & staminì inserit, ita dicta, quod utrinque in acutum desinat; italice: *spola*, aut *spuola*.

Ni pretiosa feros oleant segmenta britannos,
Aut gallos. Nihil est: Sinarum e littore poscunt
Ridicula: & turpes mirari Roma figuras
Incipit (infandum), cum tot præclara Glyconis
Undique signa micent, & græco fusa camino
Æra animam spirent, quamvis natura negarit.
Sed valeant statuæ. Laudant, & pulchra videntur
Umbellæ, gibbi, volucres, arbusculus, anguis,
Simia, non alio titulo placitura maritæ,
Quam quod difficile veniunt, & pluris emuntur,
Gra-

196 *segmenta*] Segmentum latinis est particula secta ex serico, auro, purpura, quæ assuitur vel prætexitur vestibus, ornatus gratia, nobis: *guarnizione*; & per synecdochen ipsa vestis aureis filis, vel bracteolis intexta, vulgo: *di broccato*. Nam veteribus *segmentum* erat fascia, seu instita, seu virga purpurea, quæ vesti ad ornatum insuebatur, ex Juven. *sat.* 2. 124. & Ovid. *de art. amand.* 3. 169. solis olim matronis concessum; ex *Val. Max.* 2. 1. 5. *Ferrar. de re vestiar.* 1. 3. 17. Sensus igitur est: ni auro argentove pretiosæ vestes a Britannia venerint, aut Gallia.

197 *Sinarum*] A remotissimo Sinarum regno, ad satiandam nostrarum feminarum cupidissimam vanitatem, ridicula petuntur, qualia sunt ridiculis figuris picta flabella &c.

198 *ridicula*] Viginti tres, qui sequuntur, versus ex novissimo *autographo* habemus.

199 *Glyconis*] insignis athletæ statua pro præclaris quibuscumque signis, quæ Romæ cernere est ac mirari. *Horat.* 1. *epist.* 1. 30. . . . . *invicti membra Glyconis*. *Glyconis* nomen *Suidas* a græco interpretatur de antiquis athletis, quorum aures multis ictibus essent contusæ. *Heins.* in *Horat.* *ibi.*

200 *græco fusa*] Græcorum statuæ æneæ omnium nobilissimæ, atque ita molles ac vividæ, ut spiritum ducere videantur.

203 *umbellæ*] Varii generis nugæ in sinensibus operibus, quæ dicimus: *alla chinese*.

204 *maritæ*] nuptæ, matronæ.

Gratulor ausoniis. Spatiosæ fimbria pallæ
Ecce pedes gressusque tegit, frustisque minutis
Sustinet enormem balæna britannica gyrum,
Ut ne non capiat reseratis janua valvis,
Non currus nitidi, mensæque accumbere jussa
Ipsa tua facias angusta triclinia mole;
Nec nisi contractus sedeat conviva propinquus;
Et calicem præbere tibi pincerna laboret.
Quod si forte sacras pietas te ducit ad ædes,
Mundari cupidam, sordesque abstergere vitæ,
Niteris incassum parvum subitura tribunal,
Quo faciles lapsus, & lubrica culpa piatur.
Crescit adhuc mulier pygmæa, & plurima socco
Eri-

206 *gratulor*] Ironice. *ausoniis*] nostræ Italiæ feminis.

208 *sustinet*] Vestem superiorem oblongam signat, circulis ex balænæ ossibus enormiter orbiculatam, vulgo *guardinfante*, aut *tondiglio*, cujus usus jam obsolevit. Videbas non feminas, sed naves; quas ædium templorumque januæ, cœnacula, rhedæ, vix caperent.

212 *contractus*] Qui proximus tantæ moli accumberet, contractus (*rannichiato*) sedere cogebatur: pincerna autem ægre ad poculum præbendum accedebat.

214 *si forte*] Satyrice: quasi quodam casu ad pietatis officia persolvenda ducantur ejusmodi feminæ tanto luxu diffluentes.

215 *mundari*] peccata in Sacerdotis aure deponendo.

216 *incassum*] Impediris enim tanto ac tam immani vestis circulo. *tribunal*] pœnitentiæ: *confessionario*.

218 *crescit*] Quæ brevi statura sunt feminæ, partim calceos erectiores

Erigitur, speculaque velut nos despicit alta:
Quin studet impositis vittis nitidisque mitellis
Ædificare caput. Sed cum majuscula nupta
Intravit thalamum, infelix de conjuge tanta
Dimidium minimumque tenet stringitque maritus:
Altera nam prelis, pars conditur altera capsis;

res induendo, partim caput ædificando, eminere student. *pygmæa*] a pygmæis Indiæ populis a πυγμη, h. e. statura sex digitis (ut creditur) cubito breviore. *Juvenal. sat.* 6. 504. = ... *breviorque videtur Virgine pygmæa nullis adjuta cothurnis* = [*socco*] olim comicorum calceamento, uti Tragicorum cothurnus, hic pro calceis.

219 *speculaque*] loco edito, unde aliquid eminus prospici possit; cujusmodi est summus malus in navi, summa turris, aliusve eminens locus, ubi vigilias milites agunt.

220 *vittis*] tæniis, lemniscis (*nastri*). *mitellis*] ex tenuissimis vel lineis vel sericis velis. Vox diminutiva a μιτρα, *mitra*; quæ tegmentum fuit capitis lydorum, phrygum, syrorum, arabum persarumque, & ægyptiorum; græcorum etiam fascia longa constans obvoluta, nobis: *turbante*. Apud romanos barbararum mulierum gestamen erat, prælertim meretricum, atque virorum etiam effœminatorum, externumque cultum affectantium: ut ex Cic. *de harusp. resp. c.* 2. Juven. *sat.* 3. 66. = *Ite quibus grata est picta lupa barbara mitra* =.

221 *ædificare*] ex *Juven.* sat. 6. 501. = . . *tot adhuc compagibus altum Ædificat caput* . . . = h. e. ornat in tutulum. Ejusmodi ædificia per hosce dies, adscitis equinis crinibus aliisque farturis, in immensum excrevere, ut nihil homines unquam viderint immanius. Quare ubi multæ hodie confluant feminæ, ibi velivolum mare esse dixeris. Rhedarum inde fornices elevandi: quid si & forum epystilia? *majuscula*] non natura, sed arte.

222 *thalamum*] positis calceis, & capitis ædificio.

224 *altera*] Pars, quæ pertinet ad vestem, vel est sub prelo, vel in

Pars quoque vicina comitur ſuiturque taberna,
Aut proſtat latis populo palpanda caniſtris,
Pyxidibuſque cubat facies. Da baſia caræ
Uxori, Torquate, tuæ. Sed longius uxor.
Fiet proximior, batavis cum venerit undis
Cymba gravis luxu, noſtriſque onerata favillis.
Exſpectanda tibi mox eſt albaria, pellem
Quæ liniat pingatque genas, ancillaque prima
Secreti cuſtos, tortique novacula fili.

Su-

in capſa. *prelis*] veſtis ad nitorem ſub prelo eſt (*in ſoppreſſa*). Prelo (*mangano*) veſtes, ut lucidiores fierent, etiam veteres premebant, Vid. *enarrat.*

225 *pars quoque*] Quæ ſpectant ad capitis ornatum, calantica, mitellæ, vittæ, faſciolæ, ſunt in taberna, ubi hujuſmodi res conficiuntur a fœminis, quæ vulgo: *ſcuffiare*.

226 *palpanda*] quæ contrectari poſſit, ſed blande leniterque.

227 *facies*] Ad faciem quæ pertinent, ceruſſæ, purpuriſſa, pigmenta, nævi &c. jacent in vaſculis ſeu capſellis. *da baſia*] ſi velit *Torquatus*, h. e. nobilis quicunque maritus, uxori oſculum dare, non licet; nam maxima ejus pars longe abeſt, quippe quæ ab Hollandiæ littoribus ad nos naviget. Belle prorſus ac poetice dictum; ut ſignificet peregrino veſtis luxu pluſquam mediam uxorem componi.

230 *favillis*] onerata veſtium lautitiis, quarum ſplendore amoris excitantur favillæ: effectum eleganter poſuit pro cauſa.

231 *exſpectanda*] Ubi autem appulerit, exſpectandum adhuc eſt, donec reliquum uxoris comparet *albaria*, eam liniendo, pingendo, levigando &c. *albaria*] fœmina, quæ fucum genis ſcite inducat. Vox ab *albario* ſatirice ducta, quo parietes dealbantur.

233 *ſecreti cuſtos*] quæ dominæ corporis vitia novit, ſecretique tenax, ea, qua poteſt, arte occultandi munus curat. *tortique*]

Tor-

Sustine, nec pigeat paullum, Torquate, morari:
Nam remanet guttos, argenti vascula puri,
Et centum conchas tabula lustrare parata,
Quam Babylon vario texit pretiosa labore.
Hic liquidis adsunt diluta unguenta corallis,
Palliduli medicina labri, speculumque superbæ
Consilium formæ. Torquendis apta capillis
Instrumenta vides, & tensum pulvere odoro
Folliculum, famulæ qui pressus pollice, crines

Torto serico filo, si qui eruperint pili, eraduntur, quod vulgo Romæ: *far la pelarella:* quare filum novaculæ vice fungitur; ut sit feminis filum, quod viris novacula.

234 *sustine*] Quatuordecim en tibi versus in *autographo* ultimis curis additi. *sustine*] adhuc exspecta: nondum grande opus perfectum. Nam reliquum est, ut ad mensulam diu sedeat prorsus comenda: quam mensulam, vulgo *toeletta*, mille vasculorum instrumentorumque generibus onustam eleganter describit.

235 *guttos*] Guttum vasculum ad balneorum usum fuisse diximus, oblongo angustoque collo, ut guttatim inde oleum effunderetur: hic pro simili.

236 *conchas*] sat. 13. v. 243. *tabula*] quam supra diximus mensulam: *toeletta*.

237 *Babylon*] quæ tapete tegitur ex babylonico sive assyrio opere. *Plaut.* Stich. 2. 3. 54. *babylonica peristromata* h. e. variis coloribus intexta. *Martial.* 8. 28. = . . . *babylonica picta superbe* = *Texta* . . . . *Plin. l.* 8. *c.* 48. = *aurum intexere in asia invenit Attalus rex: colores diversos picturæ intexere Babylon maxime celebravit, & nomen imposuit.*

238 *unguenta corallis*] purpurissa. *sat.* 13. 241.

241 *instrumenta*] calamistros.

242 *folliculum*] parvulum follem, qui pressus odoro pulvere capillos inspergit.

Irrorat, ſiccaque docet candere pruina.
Hic abies gluten, nabathæa hic bellua dentes
Depoſuit, varios quos luxus trivit in uſus.
Fervet opus, funduntque manus cæmenta miniſtræ,
Prodeat ut domini poſt nonam fabrica vultus.
Nil, ubi deſierit, cognoſces forſan amatæ
Conjugis effigiem. Quamquam mutatur in horas;
Et ſi feſta dies jubeat, latiæque calendæ,
Induit en vultus alios, frontemque recentem,
Atque oculos. Facie nunquam dormitur eadem,
Qua cœnare ſolet. Miſerum ſic mille figuris

Uni-

243 *irrorat = pruina*] translata elegantiſſima.

244 *abies gluten*] guttas viſcoſas ex arboribus quibuſdam per corticem diffluentes, alias *gummi*. abietem credo pro quacunque arbore poſuiſſe. *nabathæa*] elephas a *Nabatæa*, regione Arabiæ deſertæ, ſeu petiææ, quæ elephantis abundat. *Juven. ſat.* 11. 126. *dentes*] Indicat varia ex ebore vaſcula.

246 *fervet opus*] ac ſi de ingenti agatur ædificio, ubi actuoſa ac diligens multorum hominum opera; quo cum translato bene congruunt, quæ ſequuntur, *cæmenta*, *fabrica*.

247 *domini*] h. e. dominæ. *poſt nonam*] horam: & ſi ſerius, nihil mirarer.

248 *ubi deſierit*] ubi tanto operi finis fuerit impoſitus, tuam forte non amplius, Torquate, conjugem agnoſces.

250 *& ſi feſta*] Matronæ feſtis diebus, tum ſacris, tum profanis, ornatiores magiſque ceruſſatæ incedere ſolitæ. *latiæque calendæ*] Per diem feſtam (credo) ſacras, per *latias calendas* profanas celebritates ſignificat.

Unica te cruciat numerosa pellice conjux.
Ædepol ipse Cato, ipse etiam Heraclitus in Urbe
Rideret, quoties minio cretaque perunctæ
Occurrunt vitreæ matres, & plastica Roma.
Egregiis olim tabulis, quas livit Apelles,
Vox tantum deerat: sed nunc pictura movetur,
Et loquitur, veterisque ævi miracula ridet.
Quin morti illudit: nam si decedere leges

254 *unica*] Sic multæ in una conjuge, quibus cruciaris, sunt tibi quodammodo concubinæ.

255 *ædepol*] jurantis apud veteres formula, h. e. *per ædem Pollucis*: hic est nervosius affirmantis. *Cato* & *Heraclitus*] maximæ ac singularis gravitatis viri, qui nihil unquam minus facerent, quam levem risum edere: de quibus vid. *enarrat.* [*in Urbe*] Qui in Græcia (*Heraclitus*) semper ploravit, Romæ certe rideret.

257 *vitreæ*] cerussa, quasi vitris, incrustatæ, ut sole repercussæ collucere videantur. *plastica Roma*] pro romanis matronis plasticum in morem fucatis. Latinis *mater* quandoque *mulierem matronamve* sonat.

358 *tabulis*] pictis imaginibus. *Apelles*] cous, pictor eximius suorum temporum. Floruit olymp. 120. ante Chr. 300. circiter, eodem ævo *Alexandri M.* a quo tanti fiebat, ut a nullo alio, præter eum, pingi vellet. Pictores omnes ad sua usque tempora ab eo superatos scripsit *Plin. l.* 35. 10. ubi præcipuas ejus tabulas recenset. Fortunam pinxit sedentem, sinistro brachio cornucopiam gestantem, dextro rotæ, instabilitatis symbolo, innixam: inscripsit autem *Fortunæ reduci.* Interrogatus, cur sedentem fecisset, respondit: *quia nunquam quievit*.

260 *miracula*] vincit veterum pictorum miracula, addito loquelæ ac motus prodigio.

261 *quin morti*] Eo processit vanitatis insania, ut & post fata feminæ efferantur purpurissatæ.

Fatorum jubeant, effertur perlita conchis
Purpureis, tetrumque ſubit rubicunda ſepulcrum,
Ceu talamum virgo cupido amplexanda marito.
Dedecus eſt formæ, veſtrique injuria vultus,
Sponſæ infelices, tanta quod quæritis arte.
Hinc nigri dentes, corioque ſimillima pellis;
Halitus hinc putris, & nimium feſtina ſenectus.
Cum ſurgit lecto numquam mihi mane videnda
Occurrat mulier: potius Rufinus, & ater
Ghittius, & Burrhus, notuſque proboſcide Cuſtos.
Nam

Nec defuit nobiliſſima quædam matrona, quæ ipſum ſub vitæ exitum faciem pingere potuerit, quaſi in publicum proditura, aut cum cœleſtibus geniis de venuſtate certatura.

262 *perlita conchis*] continens pro re contenta.

265 *dedecus*] Fucandi ars non modo nativæ forma iniurioſa, ſed etiam corpori gravis ac detrimentoſa.

266 *arte*] da qua arte *Guarinius* in fabula, cui titulus: *Paſtor fido act.* 1. *ſc.* 4. *v.* 49. *& ſeqq.* Vid. *enarrat.*

269 *cum ſurgit*] Fœminas linlri ſolitas lecto ſurgentes plus refugit oculus, quam horridiora turpitudinis monſtra, uti erant *Rufinus*, *Ghittius &c.*

270 *potius*] ſubaudias *occurrant*] *Rufinus*, de quo *ſat*, 13. 123. *Ghittius*] ſacri ordinis homo atro colore inſignis. *Burrhus*] guloſiſſimus ille, qui ſæpe venit in ſatyris. *notuſque proboſcide*] longo & enormi naſo, proboſcidis inſtar. *Cuſtos*] Arcadiæ ex inſtitutoribus unus, per eoſque dies Cuſtos, *Alpheſibœus Carius* (Joan. Marius *Creſcimbenius*) de Arcadia, totaque re litteraria, præſertim poetica, optime meritus. Vides, ut belle arripit occaſionem eos, quos nominat, lepide ludos faciendi.

Nam qualis facies laxis pannucea buccis!
Quis color, ulceribus ſimilis ceræque recenti,
Adria cui pretium nondum candore paravit!
Quid quod mentito fulgetis honore comarum,
Adſcitiſque pilis; veſtraſque Sicambria frontes
Ornat adulterio crinis, probroque capilli,
Quem forſan meretrix, & forſan vertice habebat
Carnificis conjux? Hoc eſt pluviale comarum,

272 *laxis*] rugoſis penduliſque. *pannucea*] debilis, ſqualida, laxa, rugis deformata: quod de pomis dicitur: *Plin.* 15. 14. *Macrob.* 3. 19. *Perſ. ſat.* 4. 21. vel quaſi *pannoſa* (nos *cencioſa* e *rattoppata*) translate a veſtibus tritis panniſve conſutis. *Petron. in ſatyric. c.* 14. *in fin.*

273 *color*] nos: *color di marcia e di cera vergine.*

274 *Adria*] Venetiis ceræ ex primitivo flavo colore optime in candidum tranſeunt; quod mediis in aquis (credo) ea urbs minime ſit pulverulenta.

275 *quid quod*] Quid dicendum de comis adſcititiis (*parrucchini*) quas mittit Germania, ſive Belgium? nam quæ olim *Sicambria*, nunc aut *Gueldria*, aut *Veſtphalia*.

277 *adulterio*] crinibus adulterinis & extraneis, qui forte ſordidiſſimarum muliercularum crines fuere. Plin. 17. 1. *adulteria mercis*, & 14. 9. *adulterium mellis*. *probroque capilli*] pro capillis probroſis.

279 *hoc eſt*] Salſe prorſus & ironice: en tibi pulcherrimæ illæ comæ, quas ſtulti ſæpe laudant poetæ, de iis magnifice prædicando: quod *aureæ ſint quaſi pluviæ*; quod *purum nativumque aurum, aut electrum*; quod *amantium vincula ac nodi, & eburno pectine molliter verberentur*: cujuſmodi locutionibus plena ſunt poetarum carmina, ubicumque *Lauram* aliquam ſuam deſcribere juvat. Videndus omnino apud Baptiſtam *Guarinium* in paſtoritia fabula (*il Paſtor fido act.* 2. *ſc.* 6.) *Satyrus* ille, quem ludificatur *Coriſca*. Dum enim arre-

ptis

Nativumque aurum, quod ſtulta & vana poeſis
Colligit in nodos, & pectine plangit eburno.
Quiſquilias ſequimur: perſonam detrahe fronti,
Nudaque ſtet coram calvaria: nonne quotannis
Mundior irriguo cucumis tibi naſcitur horto,
Invitatque tuos formoſa cucurbita amores?
Sed toleranda foret mulier, quæ pulchra videri
Nititur, & mendas naturæ corrigit arte.
Quid faciunt culices, ſcarabei, & papiliones

La-

---

ptis crinibus captivam habere feminam putat, repente, quod fictitii eſſent, enodatis, ea ſeſe eripit, miſere illo in occiput & in humeros proruente. Quare furore percitus hæc de mentita illa coma inter cetera: = ... *Ecco, Poeti,* = *Queſto è l' oro nativo, e l' ambra pura,* = *Che pazzamente voi lodate ...* = Et quidem *Franciſcus Petrarchius* de *Lauræ* comis: = *Là ve 'l ſol perde, non pur l' ambra e l' auro.* = Paulloque inferius Satyrus: = *Amanti, or non ſon queſti i voſtri modi?* = *Mirate, e vergognatevi meſchini.* = *E ſe, come voi dite, i voſtri cori* = *Son par qui ritenuti, omai ciaſcuno* = *Potrà ſenza ſoſpiri, e ſenza pianto* = *Ricoverar il ſuo ....*

280 *nativumque*] Sex hoſce verſus in autographo tantum habemus.

281 *plangit*] Plangere proprie eſt percutere, verberare: quo ſenſu *Catull. carm.* 63. *de nupt. Pel. & Thet.* 261. = *Plangebant aliæ proceris tympana palmis.*

282 *quiſquilias*] Nos ſtulti ac miſeri, qui vaniſſima ac viliſſima ſequimur. *perſonam*] illam fictitiæ comæ quaſi larvam.

286 *ſed toleranda*] Tranſit ad aliud muliebris vanitatis genus. Quod mulier arte naturam emendet, ut pulchra videatur, ferendum eſt. Sed quid ad venuſtatem conciliandam mentiti nævi (*nei e moſchette*) beſtiolarum imaginem referentes? id enim in more feminis erat ſuperioribus annis.

Labra super mollesque genas? num sericus auget
Scorpius illecebras? lenique appensa saliva
Commendat formica cutem? Putere cadaver
Dicimus, obrepunt cum talia corpore monstra.
Vos vivæ hanc pestem nudo portabitis ore,
Quam fugimus busto medioque videre sepulcro?
Horridus est genius matronæ. Tempora multo
Et crinem serpente colit, viridisque smaragdi
Compositum crustis pretiosum ventilat hydrum,
Et tremulas gaudet gestare adamante lacertas.
Tinge caput nardo, matutinaque capillos
Sparge rosa, si vera cupis suffragia formæ.

Sed

290 *saliva*] Nam leniter saliva nævi illi serici genis labrisve affigebantur.

294 *busto*] pro cadaveris urna: de qua voce alibi dictum.

295 *horridus*] Præterea (quod horridi genii est) gemmis tempora & crines ornant matronæ in anguium, lacertarum, hydrarumque formam compositis, quæ vulgo: *tremolanti*.

299 *tinge*] Matronam alloquitur exquisiti cultus studiosam: simplicioribus, ait, utere præsidiis, qualia sunt nardus & rosa, aliique flosculi, si velis formosa vere dici. Hic *tingere* valet *madefacere*, vel potius *ungere*. Ovid. *heroid.* 19. 44. = *Pallade* (oleo) *jam pingui tingere membra putes*. = Martial. 2. 59. 3. = *Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo*, = h. e. unguento nardino, quod & foliatum. *nardo*] Tibull. 3. 6. 63. = *syrio madefactus tempora nardo*. hic pro quocunque odoro unguento.

300 *sparge rosa*] vel rosis orna, vel rosaceo unguento perfunde.

Sed quis non novit ſtomachum & faſtidia naſi
Romulei? Periit Quintilla & Cynthia, tantum
Olfaciant myrrhæ guttas, panchæaque grana.
Hinc eſt quod ſanctum jam nulla puerpera limen
Ingreditur, temnitque aras cum thure ſabæo;
Et procul adſpecta numen faſtidit acerra.
Si quis pellicula dextram veſtitus odora

Con-

301 *ſed quis*] Quamquam grande nefas flores odoriferos feminis delicatiſſimi faſtidii proponere: nam vel ſi nomines, deliquio concidunt: quam rem belle ridet *Sectanus*. Nervos ab odoribus pungi atque irritari experientia compertum eſt. Multæ tamen, ut ſe delicatulas oſtentent, ejuſmodi incommodum ſimulant: quare in pleriſque non naturæ morbus eſt, ſed moris.

302 *romulei*] romanarum matronarum. *periit*] animam efflavit. *Quintilla* & *Cynthia*] pro quacunque femina. *tantum*] ſi tantum: *ſoltantochè*.

303 *myrrhæ*] Ex myrrha Arabiæ arbore inciſa manat & concreſcit in minutas glebas humor albicans, & tabeſcens, qui odoris gratia & pinguedinis in unguentis adhibetur. Antequam incidatur, ſponte ſudat humorem, qui *ſtacte* dicitur, cui nulla myrrha præfertur. *Plin.* 12. *c.* 15. & 16. *Ovid. metam.* 5. 53. = *crines myrrha madidi* = Martial. 11. 55. = *Unguenta & caſias, & olentem funera myrrham* = [*panchæaque*] turis a Panchaia Arabiæ felicis regione turifera. *Virg.* 2. *Georg.* 139. = *Totaque turiferis Panchaia pinguis arenis.* =

304 *puerpera*] a puerperio vel recens, vel non diſtans. *limen*] templorum.

305 *ſabæo*] Sabæorum regio in Arabia maxime ture abundat. *Virg.* 1. georgic. 57. = *India mittit ebur, molles ſua tura ſabæi.* =

306 *acerra*] Vid. *enarration.* noſtra *acerra* notiſſima, quam dicimus a ture *turibolo*.

307 *pellicula*] manicis: *guanti*. Cum leviſſimum neſcio quid odoris in matronarum cœtu nobilis vi-

Conveniat, qua nupta ſedet: temerarius, exi,
Intonat: ecce animam exhalo: ſuccurrite aceto:
Ferte citæ rutam famulæ: mora nulla: piatur
Protinus accenſa totum conclave papyro,
Concurſatque domus: donec ſufflamine & atro
Nidore erumpat genialis anhelitus auræ,
Nullaque odoriferæ reſtent veſtigia labis.
Si ſapitis, tenerum geritis qui pectore vulnus,
Cirratique proci, ſtercus redolete caninum,
Et crepitus Burrhi, & fœdi cauteria Fuſci.
Has

viri calcei emitterent, tantum ipſemet vidi tumultum, quantum immiſſo equo Troja non vidit.

310 *rutam*] Fœminæ odore aliquo conſternatæ ruta, aut chartæ incenſæ fumo, recreari ſolent. Ita bonus odor malo truditur.

312 *domus*] Tota familia tumultuoſe ad paranda remedia curſitat.

313 *nidor*] Dicitur *nidor* de odore, quem aut coctæ dapes, aut quæcunque ambuſtæ res exhalant. *Virg. æn.* 12. 301. = *Nidoremque ambuſta* (barba) *dedit* ..... Martial. 1. 93. = *Captum te nidore ſuæ putat ille culinæ.* = Differt ab *odore*, qui in malam partem ſumi non ſolet, niſi cum addito, *malus*, *teter*, *gravis*: *nidor* autem abſolute ſæpe ſignificat, ſi minus fœtorem, at certe odorem gravem, & vapore mixtum. *genialis*] fragrantis, ſed tamen inviſæ.

314 *labis*] Odor enim ille delicatæ nuptæ eſt quædam quaſi peſtis.

315 *vulnus*] amoris.

316 *cirratique*] nobiles delibuti ac cincinnati. *proci*] amatores, nova voce: *cicisbei*.

317 *Burrhi*] qui peditis, cum ſonoris, tum fœtentibus, erat inſignis. *Fuſci*] qui non uno erat inuſtus cauterio.

Has amat illecebras nimirum; & balſama culpat,
Et pompejano quicquid verſatur aheno.
Par eſt prodigio mulier, ſi vera loquatur.
Hæc eadem, ſi forte locum pertranſeat, unde
In Tiberim excrementa cadunt, vel angulus ædis
Occurrat, noſtræ quem pingunt ſigna ſalutis,
Impia nec labarum metuit veſica, retorquet
Ora celer, properatque manu ſudaria thecis
Eruere, & pavidas digito conſtringere nares.
Uſque adeo eſt impos mentis, ſequiturque fugitque
Sæ-

318 *amat*] tanti faſtidii matrona. *illecebras*] ironice.

319 *pompejano*] Quidquid unguentorum eſt in myropolio, ſive unguentaria officina, *Pompeji Beccatellii* celebris per ea tempora Romæ myropolæ.

320 *prodigio*] Fœmina, quæ ſibi conſtet, quæ vera loquatur, ac ſecum ipſa non pugnet, prodigii loco habenda.

321 *locum*] arcum Parmenſium Romæ, ſeu angyportum, qui eſt contra aream Urſi.

322 *ædis*] præſertim ſacræ, ubi cruces pingi ſolent, ne quis ibi earum reverentia urinam faciat.

324 *impia*] Nulla tamen ſanctæ imaginis habita ratione, multi veſicam ibi exonerant: ut melius certe ſit, nullam iis in locis depingi crucem, quam eam cum muro turpiter fœdari. *labarum*] Pro cruce poſuit militare vexillum conſtantinianum, in quo crucis effigies auro pretioſiſque lapillis ornata. Euſeb. *in Conſtant.* 1. 25. Prudent. *n.* 487. Vel *labarum* dixit, quod cruces illas cum ſuo circum velo ad labari ſimilitudinem alicubi pictas videas.

325 *ſudaria*] linteola, *fazzoletti*. *thecis*] ſunt hic *thecæ* quæ nobis: *taſche*, *ſaccocce*.

327 *uſque adeo*] veriſſimum epipho-

Sæpe eadem, pugnatque ſuis contraria votis.
Quodque magis querimur, vanæ non iſta juventæ
Mobilitas tantum: vitio laſcivit eodem
Fœmina jam grandis natu, quam tertius urget
Annus criminibus factus noxiſque piandis.
Ipſa etenim pharias gaudet ſubiiſſe columnas,
Agrippæque tholum; quo ſe monſtrare laborat

Spon-

phonema: nam ex Virg. *Æn.* 4. 569. = ... *varium & mutabile ſemper* = *Fœmina* . . . . . .

329 *quodque magis*] Neque ſolum tantæ levitatis vitio laborant vanæ juvenes, nuperque nuptæ; verum etiam, quod multo minus ferendum, grandiores natu, ac pæne edentulæ.

330 *mobilitas*] levitas.

331 *tertius*] quæ eſt anno ætatis ſeptuageſimo quinto proxima. Nam annus expiandis criminibus conſtitutus eſt annus romani *jubilei*, vulgo *anno ſanto*, qui non jam centeſimus, ut olim, aut quinquageſimus, ſed viceſimus quintus quiſque eſt: nos: *l' è addoſſo il terzo anno ſanto*.

333 *ipſa etenim*] Sex habes verſus antehac ineditos. Gaudet & ipſa conſpicienda porticum ſexdecim phariis, ſive ægyptiis, h. e. e Thebaidis marmore (*granito Tebaide*) columnis ſuſtentatam ante *Agrippæ* ædem, ipſamque ædem ſubire: quæ olim *Pantheon*, poſt ad religionem chriſtianam translata *S. Maria ad Martyres*, nunc a circulari forma: *S. Maria della Rotonda*.

334 *tholum*] h. e. ædem teſtudinatam, *fatta a cupola*. *Pantheon* M. Agrippa an a fundamentis exſtruxerit, an cœptum perfecerit, non ſatis liquet, quamvis in porticus fronte ab eo factum legas. Deſcriptum habes apud Pitiſc. v. *Pantheon*, & v. *templum Jovis Ultoris*, & apud Ficoronium *Veſtig. rom. antiq. l.* 1. *c.* 20. *pag.* 131. [*quo ſe monſtrare*] quo in loco ea de cauſſa, quam affert, ſeſe oſtentare ſolent nupturæ, ut ibi fulgentiores viris magis placeant.

Sponſa viro. Specula phœbus dimiſſus ab alta
Illic nempe ſolet circumdare purior ora,
Fœmineamque cutem vivaci lumine pingit
Effluvium lucis nullo ſplendore refractæ.
Hæc etiam, quamvis calloſis aſpera rugis
Oſtendat cano pendentia ſæcula crine,
Vittata incedit, vel palliolata vagatur;
Et mane exquilias, dictumque a vimine collem
Perreptat, morbumque ſtudet ſimulare puellæ.

Nam

335 *ſpecula*] Pantheon unico foramine in ſumma teſtudine lumen admittit: cui foramini ad imbres excipiendos impluvium in pavimento ſubjectum eſt: quare eſt ex eo templorum genere, quæ *hypæthra*, h. e. ſubdialia, ſeu tecto perforato, a *Vitruv.* 3. 1. dicuntur. *Speculam* dicit *Sectanus* foramen illud, unde ſol demittitur.

336 *purior*] Sol ibi purior, quod nullis appoſitis vitris libero aditu ſuperne ingrediatur.

338 *effluvium*]Cum in Panthei ambitum una tantum ex parte influat lux, nullus eſt radiorum inter ſe quaſi certantium conflictus, nulla repercuſſio: quare ibi cum cetera, tum maxime comptæ fœminæ nitefcunt.

339 *hæc etiam*] hæc, de qua dicimus, annoſa mulier juventutem ſimulans.

341 *vittata*] vittis & palliolo (*naſtri e mantò*) in puellarem morem ornata. *vagatur*] Vox iſta *vagari* ſi romanis feminis minus conveniat, nullis omnino convenit.

342 *exquilias*] exquilinum & viminalem colles, ideſt difficiliores & acclives Urbis vias, perambulat, ut annis adhuc vegeta videatur.

343 *perreptat*] Bene *perreptat*: nam, velit nolit, qua eſt ætate, ægre viam ſuſtinet. *morbumque*] uterinas affectiones.

Nam ſeſe hyſtericam dicit, vel menſe laborat
Difficili, & viſo pomo ſuſpirat acerbo.
O fatuam ſatiate famem, ne parvulus infans
Nil meritus matris portet monumenta guloſæ
In crure aut coxis, & fulva pampinus uva,
Aut parvo naſcatur meſpilus umbilico.
Quæ ventris rabies! nunquam fuit uſus edendi
Patriciæ major. Carnos ſibi fecit amicos,
Qui vaticano fingunt bellaria furno,
Suſpenſamque ferunt humeris colloque tabernam,
Quam velo a muſcis, ceraque tuentur ab imbre:

In-

345 *difficili*] meatibus obſtructis. *viſo pomo*] ac ſi prægnans eſſet. Prægnantes ſiquidem aliquando vehementiſſima alicujus rei edendæ cupiditas invadit, quam niſi expleant, ea in fœtibus parent ſtigmata, quæ a ſua cauſſa dicimus: *voglie*. Qua de re multæ inter phyſicos quæſtiones. Ita fieri certum eſt: qui autem fiat, quique ſit inter effectum cauſamque nexus, id e naturæ arcanis forte nondum emerſit.

346 *fatuam*] Optime *fatuam* in fœmina tam ſtuite ſimulante. *ne parvulus*] Ironice. Quid enim tale a muliere ſeptuagenaria?

347 *nil meritus*] innocens, neque tale aliquid meritus.

348 *in crure*] Vulgo creditur ea in parte ſtigmate fœtum notari, in qua mater cupiditate illa flagrans ſeſe incauta tetigerit.

350 *quæ ventris*] Nunc ad patriciarum voracitatem.

351 *Carnos*] In vaticano, ubi panes, aeris forte beneficio, coquuntur exquiſitiſſimi, qui piſtoriam exercent, colloque ſuſpenſum caniſtrum geſtantes bellaria & cruſtula circumferunt, vulgo *Ciambellari*, carni plurimum ſunt: *del Friuli*, ſeu *Furlani*.

354 *ceraque*] tela cerata.

Inque omni trivio, tamquam muſtela, momordit
Paſtillos, ſummiſque terit muſtacea labris.
Sunt quæ de cuneis populo ſpectante theatri
Inſtituunt dapibus menſam, nitidoque propinant
Eunucho, & miſeram ſpurcant aſpergine plebem.
Cum ventum ad cœnam, ſoleas atque oſtrea damnant
Lucrina, & ſcombrum, & latii genus omne macelli;

Su-

355 *inque omni trivio*] abjecta matronali gravitate. *tanquam muſtela*] Notum animal quadrupes; parvum, ſed oblongum, flavi coloris, muribus, columbis, gallinis, ſerpentibus infeſtum, nobis: *donnola, bellola*.

356 *paſtillos*] nos: *biſcottini*] *muſtacea*] quæ: *ciambelle*.

357 *ſunt quæ*] Aliæ vero in theatralibus cellulis (*palchetti*) menſas opipare inſtruunt, atque inter bibendum imberbi muſico, qui vel cantu vel mollitie magis arrideat, occaſionem captant propinandi; ac geſtientes vina ſuper plebem in cavea ſedentem effundunt: in quo quidem neſcio quid minus ferendum videatur, an levitas, an arrogantia, an licentia, an turpitudo. *de cuneis*] Cuneus ſumitur & pro ſedilium ordine, & ſcalarum directione in theatris; quæ ita cum præcinctionibus diſpoſita erant, ut univerſam ſedilium ſeriem in partes cuneorum ſimiles dividerent. *Scip. Maph. Ver. illuſt. p.* 4. *l.* 1. *c.* 8. ubi & figuram exhibet. *Vitruv.* l. 5. c. 6. *Suet.* in *Auguſto c.* 44. *Maritis e plebe proprios ordines aſſignavit, prætextatis cuneum ſuum.* Sic *cuneus ſenatorii, & equeſtris ordinis*. Id. in *Domit.c.*4.

360 *cum ventum*] Poſt intempeſtas ejuſmodi cœnulas in theatro, faſtidioſæ nauſeant domi lectiſſimos quoſque ſalivamque per ſe moventes cibos; quales ſunt ſoleæ (*ſogliole*) oſtrea, olim a lacu Lucrino apud Bajas, ut in *ſat.* 1. 204. ſcombri, noti piſces.

Suspirantque famem Umbricii, qui vilia rodit
Tubera, & ancipiti vexat præcordia fungo.
Multis est toto conductus aquarius anno,
Qui potus medicare solet, strictisque pruinis,
Et sale, & adscito condensat frigore lymphas;
Exprimit & formis quæcunque simillima vero
Poma gelu, invito licet autumno. Aspera labro
Cæcuba sunt stupido, setinaque pocula: solum
Intempestivum bibitur, sapiuntque venena.

362 *famem Umbricii*] sordidorum hominum, qualis *Umbricius*, qui avide vilissima quæque vorant.

363 *tubera* Mart. 13, 50. quæ fungorum genus sunt, *tartufi*, de quib. *Plin.* *l.* 19. 2. *&* 3. [*ancipiti*] qui veneni suspicionem injiciat. *præcordia*] stomachum & viscera.

364 *multis*] Multæ aquarium (*forbettiere*] toto anno conducunt, qui non modo frigida paret varii generis sorbilla; verum etiam gelida concretione fructus ac poma ita imitetur, ut perpetuus esse videatur autumnus.

365 *medicare*] succis, saccharo, cinnamomo, lacte &c.

366 *& sale*] Sale nive commixto ad condensandum opus esse, nemo est qui nesciat.

368 *aspera*] Labris ejusmodi potionibus stupidis aspera sunt pretiosiora vina; qualia apud veteres cæcubum, & setinum; alterum a *Cæcubo* monte prope Cajetam, alterum a *Setia* urbe.

370 *intempestivum*] Non placent potiones, nisi sint intempestivæ; nec sapiunt nisi venenatæ, h. e. medicatæ. Nam qui *venenum* dicit (ajebat Cajus *dig. lit. ult. tit. pœnult. leg.* 236.) *adjicere debet, an malum, an bonum sit*: cum & medicamenta venena sint: quia eo nomine omne continetur, quod ejus naturam, cui adhibitum est, mutat: quod nos *venenum*, greci φάρμακον, *pharmacum*.

Hinc etiam, gelidis dum verrit flatibus Urbem
Alpinus boreas, ſudant; dum ſirius ardet,
Velantur pavidæ. Verſo ſic ordine rerum
Julius endromides videt, & flabella december.
Nempe adeo invaluit laſciva potentia luxus,
Ut cœli ſoliſque vices & tempora mutet,
Nec niſi femineo cœleſtia ſidera volvi
Arbitrio credat. Quid lamentamur inepte?
Noſtra facit tumidum noſtra indulgentia ſexum.
Eſt mulier? nil ultra interrogo: tranſeat, & ſe
Col-

371 *hinc etiam*] Videas feminarum varium ac mobile ingenium: flante borea ſudant: ardente per æſtatem canicula rigent: quare menſe julio cernis hyemales villoſas veſtes induere, decembri autem agitare flabella. *dum verrit*] Boreas Romæ acutus maxime ac vehemens, qui vias perflando exſiccandoque quaſi verrere videtur.

374 *julius*] Belle menſibus videndi actionem tribuit. *endromides*] Endromis veſtis craſſa, hirſuta ac villoſa, græce dicta, ut quæ ἐν δρόμῳ h. e. in curſu & palæſtra a gymnaſticis, ne calefacta refrigeſcerent corpora, adhiberetur. Totum eſt apud *Martial.* de ea epigramma 19. lib. 4. Ferrar. *de re veſtiar.* 2. 1. 11. Juven. *ſat.* 3. 102. & 6. 246. ubi mulieres, quæ cum viris in palæſtra exercebantur, arguens: *Endromides tyrias & femineum ceroma = Quis neſcit?* = ubi tyrias, non molliores, ſed tyrio cocco tinctas, aut purpura ornatas, ad divitum feminarumque uſum, intelligas.

375 *nempe adeo*] Emphatice: tanta jam eſt luxus potentia, ut ad fœminarum arbitrium, inverſo rerum ordine, anni tempora, ſolis aſtrorumque motus, diei noctiſque vices miſere perverti videantur.

379 *indulgentia*] Virorum ſtupida indulgentia fit, ut feminæ uſque adeo inſatiabiles ſint, tumidæ arroganteſque.

380 *eſt mulier?*] Vellicat ſeculi perverſitatem, qua feminis ita pri-
mæ

Collocet ordinibus primis, ſedeantque ſiniſtra
Parte equites: minimum eſt, niſi purpura & infula ſacra
Inferior jaceat gradibus contenta ſecundis.
Hoc quoque Roma videt: fors & pejora ſuperſunt;
Si penſa & fuſum noſtras tractare maritas
Cogere cunctamur. Sed magno Livia cenſu
Nupta eſt Hygino, patrio centeſima ramo;
Formoſaſque manus fœdari dedecet uncto
Vellere: montanas teneat res iſta ſabinas,
Aſſuetas crudo glandes ructare palato;

mæ deferuntur, ut eis viri principes, vel dignitate ampliſſimi, aſſurgant, locoque cedant.

385 *ſi penſa*] niſi reſtituto ordine ſuum ad locum, ſuaque ad munera, feminæ redigantur.

386 *ſed magno*] Objiciet forte aliquis. *Livia*] pro quacumque nobiliſſima femina: nomen a romana *Liviorum* gente, octo conſulatibus, cenſuris duabus, triumphis tribus, dictatura, & magiſterio equitum honeſtata, inſignibuſque viris clara, maxime *Salinatore*, ac *Druſo* ex *Sueton.* in *Tiber.* c. 3. [*cenſu*] ingenti dote.

387 *Hygino*] pro nobiliſſimo quocumque viro. *centeſima*] Vetuſtiſſimo nata patriciorum ſanguine, ut quæ in ſui generis arbore ad centeſimum ramum pertineat.

388 *dedecet*] Ex novo ſæculi more ſtamina ducere, aliaſque operas feminarum proprias exercere, uti res patriciis indecora, ad viles ruſticaſque rejicitur. Contra Proverb. 31. *mulier fortis* lana, lino, fuſo maxime commendatur.

389 *ſabinas*] Sabinorum montes incolentes pro quibuſque agreſtibus montaniſque fœminis.

Non quæ pulvinar nitido premit alta ſacello,
Et ſella aurata, vehiturque ſuperba quadrigis.
Ut libet: interea longiſſima naſcitur inter
Quæſtio grammaticos, utrum dicenda ſit hæc, vel
Hic mulier: namque ipſa domum moderatur; & ipſa
Hæc ſervanda jubet, jubet hæc fugienda marito.
Sic placitum. Nequit inconſulta conjuge Fronto
Aureolos ſeptem Scorpo donare magiſtro,

Qui

391 *non quæ*] non patricia ac nobilis, cui pretioſi pulvinaris eſt uſus in templis ac ſacellis. *nitido*] marmoribus ac picturis. *quadrigis*] rheda, cui bina equorum paria juncta ſint, non tamen ſimul, ut apud veteres, qui quatuor æquata fronte equos jungebant; quorum duo *jugales* in medio, duo utrinque a lateribus *funales* dicti. Quare *Euſtath. Odyſſ. N.* 505 equos illos dixit *equos una conjunctos*. Buleng. *de Circo c.* 4. *&* 21. Scheff. *de re vehicul.* 1. 2.

393 *ut libet*] Ita fiat, reſpondet *Sectanus*: ſed quæſtio interim inde inter grammaticos, an eo modo quo dicitur *hic & hæc* homo, dicendum ſit *hic* & *hæc mulier*. Salem probe intelligis,

397 *ſic placitum*] Sic ex indulgentia & ſtupiditate maritorum conſtitutum eſt contra divinum *Geneſ.* 3. 16. de fœmina decretum: *ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*. [*Fronto*] pro quocumque ejuſmodi marito.

398 *aureolos*] nummos aureolos ex *Martial.* 5. 19. 14. *nummulos aureos*, qui Romæ ſunt quarta nummi aurei pars: *quartini d'oro*. Martial. iterum 9. 5. 1. *aureolis* utitur: ubi tamen *Jan. Ruger.ſ. areolis* putat legendum. *Scorpo*] aurigæ ſuo, quem per ſummum nobilitatis dedecus magiſtrum habuit, cum juvenculus eſſet, in aurigandi arte, equiſque regendis. *Scorpus* nobiliſſimus fuit in circenſibus ludis aurigator *Domitiani* temporibus, multiſque victoriis clarus; cujus mortem immaturam plorat *Martial.* 10. *epigr.* 50. epitaphium autem ſcribit ejuſd. *lib. epigr.* 51.

Qui dominum nondum barbatum flectere bigas,
Et docuit loro crepitante urgere veredum.
Ipsa tamen nullis parcit rationibus assem
Prodigere, & vafros fundo donare cucullos.
Si quid enim gravius nubes, & torva minatur
Astrorum facies, pretio est nummisque levandum:
Ac læsis tamquam placeant munuscula Divis,
Sæpius in popanum cedit vindicta Tonantis.

399 *bigas*] bijugem currum: *birocciò* [*loro crepitante*] Veredariorum (*postiglioni*) more flagello crepitante citatissimo equo vehi (quod & nunc identidem videmus, quia nulla sine impudentibus gloriosis levibusque adolescentibus ætas) in patricio præsertim juvene prorsus indignum.

401 *veredum*] Equus publici cursus erat veredus, *cavallo di posta*, olim vehicularis; unde nomen, utpote ex latino *veho*, & gallico *reda*, sive *rheda*, conflatum.

401 *ipsa tamen*] Cum sine bona uxoris venia non liceat marito parvula strena aurigam donare, uxori contra licet pecuniæ quamlibet vim suo pro arbitrio ac libidine profundere. *assem*] pro pecunia: ut nos: *gettar la lira*, i. *bajocchi*.

402 *cucullos*] Cucullati ordinis homines, non quoscumque, sed *vafros*, qui, qua describit, arte credulos argento emungunt. Nam ex eodem hominum ordine, qui vel sponte oblat's manum abstinuerint, numquam defuere.

403 *si quid enim*] Quod pecuniæ pios in usus insumantur, minime damnat *Sectanus*; sed quod per astum, ac per speciem religionis, maxime vero divinam iram donis placandam exaggerando, improvidis extorqueantur.

404 *astrorum facies*] ex ridicula vulgi opinione, & vanis astrologorum observationibus.

406 *in popanum*] Ironice: quasi *popano*, h. e. oblato munusculo, ira numinis placetur. Nam *popanum* tenuis erat lata ac rotunda

Vir laceras veſtit manicas, caligaſque locatas,
Et denariolus debetur menſtruus: ipſa
Aurea pellucet, multitia candida ſumit,
Ancillaſque decem totidemque coercet ephebos.
Quodque magis ſtupeas, quamvis natura creandos
Incitet ad liberos, faciunt divortia plumæ.
Nunc etenim divum cunas araſque colendas,
Nunc tuſſim, aut lentam cauſatur languida febrim,

Aut

placenta, quæ in ſacrificiis *Iſidis*, *Oſiridis*, & *Anubis* offerebatur. *Juvenal. ſat.* 6. 559.

. . . . *anſere magno*
Scilicet & tenui popano corruptus
Oſiris.

408 *denariolus*] quolibet menſe judæo pro conducta veſte, aut caligis, perſolvendus.

409 *multitia*] vel *multicia* : veſtes tenuiſſimæ ac pellucidæ, molliſſimo intextæ bombycino (*ſtamine*) : *ſi modo veſtes* (Seneca 7. *de benef.*) vocandæ ſunt, *in quibus nihil eſt, quo defendi corpus, aut denique pudor poſſit.*

410 *coercet*] ad nutum & imperium habet, ut Virg. *æn.* 9. 27.

Meſſapus primas acies, poſtrema
coercent.
Tyrrhidæ juvenes. = [*ephebos*] primæ lanuginis pueros: *paggi.*

411 *quodque magis ſtupeas*] Stupeaſne magis, an deteſteris, fœminam vanitate cæcam naturæ legibus ita reluctari, ut, neglecto conjugio, liberis procreandis corporis ſuccum & formam anteferendam putet? Ex quo ſane quot quantaque veniant reipublicæ incommoda, ſatis quiſque intelligit. Tori diviſiones Romæ frequentiſſimas fuiſſe lego. Peſſimus uſus an adhuc teneat, nihil ad me,

412 *plumæ*] Fit tori ſeu thalami diviſio.

413 *nunc etenim*] Nunc religionis inſano conſilio, nunc valetudinis, nunc menſtruorum cauſſam prætendit. *cunas*] Forte reſpexit ad veterum *lectiſternia*, cum divorum ſtatuæ, ſtratis lectis recubabant. *Liv* 5. 13. *Val. Max.* 2. 1. 2.

Aut menſem. Sed nil horum. Si vera fatemur,
Lucinam matrona timet, puerіſque creandis
Abſtinet, ut nullis ſignentur corpora rugis.
Quod ſi forte levi corpus ſuccreſcere fœtu
Incipiat, non herba deeſt, atque impia Colchis,
Quæ prolem nondum maturam in ventre trucidet.
Neve ſuum amittat facies formoſa decorem,
Appia poſteritas, & Gracchorum occidat ordo.

416 *Lucinam*] h. e. graviditates, & puerperia. *Lucina* græcis *Diana*, latinis *Juno*, puerperiis præerat.

413. *ſi forte*] contra ſtultiſſimum propoſitum.

419 *non herba*] cujus veneno fœtum interimat. *Colchis*] pro *Medea*, ſeu pro regione veneficiis infami. *Juven. ſat.* 6. 642. *Hor. epod.* 16. 58. & *epod.* 17. 35. *Calet venenis officina colchicis.* = Quare apud *Plin. l.* 28. *c.* 9. *colchicum* eſt herba venenata, ut cicuta.

420 *quæ prolem*] Impium crudeliſſimumque facinus, quod ab innuptis furtim gravidatis ad puerperii infamiam vitandam, ſcelus ſcelere cumulando, admittitur, in matronis aut numquam fieri credas, aut ita raro, ut nil rarius. *Sectanus* igitur exaggerat, ſtilo potius, quam rei veritati indulgendo.

422 *Appia*] Claudiorum gens. Nam *Appius* prænomen *Claudiorum* fuit a ſabinis, ideſt a Sabino *Actio* derivatum: gentis princeps fuit *Actius Clauſus* ille, qui poſt *Appius Claudius Sabinus*. Liv. 2. 6. Sigon. *de nom. roman.* Panvin. *de nom. rom. apud Græv. vol.* 2. *pag.* 2024. [*Gracchorum*] ideſt ejus cognominis *Semproniorum*. Plures enim *Semproniorum* familiæ, quarum una *Gracchorum*. Ex iis duo fratres *Tiberius* & *Cajus* trib. pleb. quod novas res adverſus nobilitatem latis per vim legibus molirentur, alter a *P. Scipione Naſica*, alter a *L. Opimio* cos. interfecti. Hic vero *Appios* & *Gracchos* pro quacumque nobiliſſima familia intelligas.

Est nimius pudor hic. Soli placuisse marito
Quæ cupit, haud dubitat laxata ostendere sulcos
Pellicula, & gracili dilutos ore colores.
Nec minor in vobis superest mihi causa dolendi,
Romuleæ matres, quarum genialis abundat
Prole torus, multoque domus de pignore gaudet.
Ecquid enim? Vesci vix infans incipit aura,
Et prima ignotæ delibat munera lucis,
Crudeli e gremio divellitis; atque parantur
Ubera trans Tiberim, quæ nato alimenta propinant;

Seu

423 *est nimius*] Non modo nimius, sed importunissimus & iniquissimus esset.

424 *sulcos*] rugas. *Mart.* 3. *epigr.* 72. = *Aut sulcos uteri prodere times.* = *Claud. l.* 1. in *Eutrop.* 110. = ... *sulcisque genarum Corrueret passa facies rugosior uva.*

426 *nec minor*] Septem supra quinquaginta, qui sequuntur, versus novissime in *autographo* additi sunt. Ad multæ prolis matres convertitur, & consuetudinem jam ubique receptam rustici vilissimique generis nutrices lactandis alendisque infantibus conducendi conqueritur ac detestatur: quod & multi per omnem ætatem, præcipue vero sanctissimi Ecclesiæ Patres, conquesti ac detestati sunt. Quid tamen? mortuis verba fecere? Hac eadem de re plurima lepidissimis ternariis *Fagiuolius*: *Rime piacevoli part.* 1. *cap.* 38. *p.* 287. Quid vero quod alicubi, non ex necessitate, sed ex instituto, vaccæ Infantibus nutrices sunt? Quæ inde consequantur in moribus incommoda, luculenter describit *Sectanus*; ut nullo sit opus interprete.

427 *genialis*] conjugalis.

428 *de pignore*] de multis filiis.

432 *ubera trans Tiberim*] nutrices transtiberinæ vilissimæ.

Seu potius rigidis veniunt conducta sabinis
Rustica, quæque tument multa saturata polenta.
Inscius ille haurit spurco cum lacte venenum,
Et sensim tenero coalescunt corpore mores,
Quales ore bibit: nam vilis & improbus humor
In stomachum pueri cum labitur, allia menti
Insinuat, mixtumque fluit cum sanguine aratrum.
Hinc fari incipiens balbutit gutture marram
Ingenitam, miseroque sonant armenta labello.
Non hæc verba tuis olim, Cornelia, natis
Audita: & Cæsar, Brutusque, & Regulus infans
Ar-

433 *sabinis*] vel nutrices e sabinis montanis rigidi durique moris accitæ: vel respicit ad veterem sabinorum severam vivendi disciplinam, seu *tristem* (ut Liv. 1. 18.) *tetricamque*. Mart. 1. 63. = *Casta nec antiquis cedens Lævina sabinis* = Juven. *sat.* 10. 208. = ... *sanctos licet horrida mores* = *Tradiderit domus, ac veteres imitata sabinas.* =

434 *polenta*] rusticanis cibis.

441 *ingenitam*] cum lacte infusam. Vides hæc, & quæ sequuntur, quam sint in singulis verbis poeticæ dignitatis plena.

442 *Cornelia*] Bene præ ceteris *Corneliam* affert, non tam sanguine, quam doctrina, gravitate, præsertim vero liberorum educatione, præclarissimam. Vid. *enarrat.*

443 *& Cæsar*] Qui romanorum fortissimi fuere, nil nisi bellicam rem fere ab incunabulis animo ac lingua agitare edocti. *Regulus*] M. Atilius cognomine *Regulus*, qui in primo bello punico partim prospera partim adversa usus fortuna, victus de victoribus, ac de fortuna ipsa, animi magnitudine triumphavit. Flor. *lib.* 2. *c.* 2. *n.* 25.

Arma, duces, aquilas, romanaque signa, cohortes,
Et fera ter victi narrabant prælia regis.
Tunc etenim nuribus fuerat non vile latinis
Progenitos nutrire sinu, sobolemque docebant
Exceptam gremio patrios cum lacte triumphos,

Et

444 *aquilas*] Erat aquila in romana militia totius legionis, immo & romani imperii, signum. *signa*] De *signis*, vexillisque romanorum, uti & de *aquila*, vid. *enarrat.* [*cohortes*] Cohors proprie peditum manus erat, *turma* equitum. Cic. pro *Marcel.* 2. *nihil tibi ex ista laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit*. De qua voce a græcis sumpta, qui clausum vel septum in anteriore domo, seu villa, ubi pascebantur gallinæ, χόρτον, dixerunt, unde latinis *cohors*, *chors*, & *cors*, ita Varr. *de ling. lat.* 4. 16. *Cohors, quod, ut in villa, ex pluribus tectis conjungitur, & quiddam fit unum, sic ex manipulis copulatur*.

445 *ter victi*] Mithridatis Ponti regis: de quo *Flor. l.* 3. *cap.* 5. *n.* 2. = *ille per quadraginta annos restitit*: (romanis) *donec tribus ingentibus bellis subactus, felicitate Syllæ, virtute Luculli, magnitudine Pompeji consumeretur*. Mithridatis tamen prælia narrare infantes non potuere *Cæsar* & *Brutus*, multo vero minus *Regulus*, qui tanto ante bellum mithridaticum fuit. Ergo ad eos non omnia, quæ coacervata posuit, referenda putes: vel pro fortissimis viris eorum nepotes accipias. Alias enim ante *Mithridatem* eandem gentem ter victam invenio, non vero ter victum eumdem regem. Utcumque tamen sit, historiæ ordinem negligere potuit *Sectanus*; neque anacronismi damnandus poeta.

446 *nuribus*] Nurus pro matre, ac pro muliere; apud *Virg. Ovid.* aliosque latinos.

447 *sinu*] suo, non alieno.

448 *gremio*] Non nutricio, sed materno exceptæ proli a teneris romanos triumphos, & in romanorum hostes, quales *Pyrrhus*, *Hannibal*, *Pacorus*, & *Monæses*, capitale odium animis instillabant.

Et Pacorum Pyrrhumque odisse trucemque Monæsim;
Et cui bellaces fregit seplasia vires:
Cumque puer tumidæ lallaret Scipio mammæ,
Jam tunc pœnorum clades, casuraque bello
Æmula Carthago, atque in venas ibat Amilcar.
Grande nefas! catuli ursarum sævæque leænæ
In silvis prona formantur matre, papillis
Admotis; crudosque animos, & corda ferarum
Tangit amor pietasque: at vos, & tigride & angue
Pejores, vestro concretam sanguine prolem

Ube.

449 *Pacorum*] De *Pacoro*, *Pyrrho*, & *Monæsi* vid. *enarrat.*

450 *Et cui*] Is est *Hannibal*, quem armis invictum campana luxuria illecebris suis complexa vincendum romano militi dedit. *seplasia*] pro campanis deliciis. Nam *seplasia* erat forum sive platea *Capuæ*, in qua plurimi unguentarii negotiabantur.

451 *lallaret*] cum in sinu matris gestiens lac sugeret: vel quid simile. Vocem enim *lallare* videtur aliquantulum a latinorum sensu detorsisse. Vid. *enarrat.* [*Scipio*] P. Cornel. *Scipio Æmilianus* Africanus minor, nepos adoptivus Africani majoris, qui Carthaginem, romano imperio æmulam, Numantiamque delevit.

452 *jam tunc*] De pœnis eorumque duce *Amilcare* Hannibalis patre ultionem animo agitabat, atque ultimum carthaginiensis nominis interitum.

454 *catuli ursarum*] Sectano nostræ non irascantur matres; sed pudeat potius causæ, cur feras in exemplum subjiciat.

455 *prona matre*] prono corpore, ut commode catuli lacteant, atque interim ejus lingua formentur.

Ubere fraudatis. Verum quid parvus in aula
Cogitat Æneas? quæ reddit verba Camillus
Bullatus? Patriam tenero meditatur ab ungue
Complecti, imperii fines & jura tueri?
Non hercle. Occipiti mos est ut caustica primum
Matres admoveant, sanieque & marcida tabo
Longum colla fluant. Sic deficiente cerebro

Vi-

459 *verum quid*] Ex eo, quod suam prolem suo lacte fraudent, vide quid consequatur.

460 *Æneas* & *Camillus*] pro ingenuo ac nobili quocunque puero. Patriciorum filiis, boni quasi ominis caussa, clarissimorum virorum nomina *Æneæ*, *Camilli*, *Cæsaris*, *Pompeji &c.* imponuntur; qui tamen, nisi recta accesserit institutio, sæpe in aurigas, atque adeo, si diis placet, in equisones evadunt.

461 *bullatus*] parvulus bullam gerens & prætextam. *Juven. sat.* 14. 45. = ... *ludit & heres* = *Bullatus* . . . . *Pers. sat.* 5. 31. = *Bullaque succinctis laribus donata pependit.* = Vid. *enarrat.* [*tenero ab ungue*] a pueritia. *Hor. l.* 3. *od.* 6. 21. Quid igitur nostri nobiles a pueris meditantur? num quæ Deo, quæ patriæ, quæ sibi debeant? nil minus: si unum alterumve exceperis.

462 *complecti*] Patriam complecti est illam amanter fovere, ejusque commodis diligenter servire: quod præcipue fit magistratus sapientiæ doctrinæque præsidiis bene gerendo. *imperii*] Tueri autem fines & jura ad bellicam virtutem maxime pertinet: quod sine consilio prudentiaque fieri non potest.

463 *occipiti*] Sic alicubi est in more ad purgandum cerebrum, vel morbos aliquos præcavendos: quod tamen *Sectanus* ita cerebro parum commodum putat, ut illud inde infirmari potius ac deficere dicat: quare puer vitiatus vix linguam enodare sciat. Videant medici. *caustica*] medicamenta, quæ vim habent carnem adurendi exedendique, a *καίω, uro*.

Vix pappam diſcunt, blæſo tamen ore, profari.
Non pietas cultuſque Dei, reverentia nulla
Patribus. Eſte procul, rector, ludique magiſtri.
Prima elementa docet vecors auriga: flagellum
Conveniens dextræ componit; ſtringere lorum
Monſtrat, & exiguo reptare per atria curru;
Ut ſtabulo admotus tandem juvenilibus annis
Nil potius ſapiat, quam ſtigmata noſcere equorum,
Fertilis in latis quos nutrit Apulia campis.
Hic mos trojugenum, ſi forte puerpera felix

Nu-

467 *non pietas*] Quæ maxime tria primaque divinæ legis capita ſummo quotidie ſtudio liberorum animis ingerenda eſſent. Sed quam dolenda multorum puerorum calamitas, qui mercede conductis hominibus concrediti ſine parentibus eſſe videantur, vixque ipſi ſciant, a quibus ſint procreati!

469 *prima elementa*] Vides quibus magiſtris, qua diſciplina, quibus moribus inſtituantur pueri. Proh parentum ſtupiditatem!

472 *ut ſtabulo*] non Academiæ, non Lyceo, non Arcadiæ; ſed ſtabulo.

473 *nil potius*] Ejuſmodi juvenes nullas ſciunt litteras, niſi quibus equi ſunt inuſti, ut quo ſint genere diſcernas. Quare lepide hetruſcus ille Comicus juvenem illiteratiſſimum eo modo litteratum eſſe dixit, quo regni neapolitani equorum nates: *che portano le lettere ſulle chiappe*.

475 *hic mos*] Atque hi quidem romanorum mores, ac minus ægre ferendi, ſi mater nutricem feliciter nacta ſit, ruſticam quidem, & armentariam, ſed bene moratam. Quid ſi a fornice vel popina (quod ſæpe fit) vitiis deditam evocaverit? Quæ tum in filio, ubi corruptiſſimo lacte adoleverit, morum effrænatio? quæ vitiorum monſtra?

Nutricem invenit fœda ad præſepia natam.
At ſi procedat de fornice, ſive popina,
Quod plerumque ſolet noſtra hac ætate, pudendum
Quidlibet audebit, plenoque e gurgite cœnum
Hæres ille tuus ſitienti exhauriet ore:
Occultum donec maſina novacula vulnus
Infligat, doctoque ſecet mala femina cultro.
 Prætereo genus infirmum, cui pectora finxit
Molle lutum, mentique dedit natura puſillæ
Impune audendum quamplurima. Tu quoque demens,
Tu quoque fœmineis audebis legibus uti,
Cecinna, & tenerum nugis imitabere ſexum?

Un-

479 *plenoque e gurgite*] in omnia ſe flagitia ingurgitabit.

481 *occultum donec*] donec fœdiſſima contracta lue, chirurgo ſe urendum ſecandumque ſubjiciat. *maſina*] a nomine hominis per eos dies chirurgicæ peritiſſimo, qui in gallico morbo ſanando plurimum poterat. Erat Victorius *Maſinius*.

482 *mala femina*] quæſitæ peſtis.

483 *prætereo*] Dimiſſis tandem fœminis, ad eos ſe vertit, qui ſub *Cecinnæ* nomine, æque ac fœminæ, mollitie diffluunt, comptulique incedunt. Ejuſmodi erat adoleſcens ille, cui quæſtiunculam neſcio quam proponenti, *dic tu mihi prius*, inquit Diogenes, *utrum ſis maſculus an fœmina*. Laert. lib. 6. *genus infirmum*] fœminas natura molles, leves, puſillæque mentis. Quamquam & fœminas virili prorſus animo fuiſſe hiſtoriarum monumenta teſtantur.

485 *impune*] Multa fœminis donantur ideo ſolum, quod fœminæ ſint.

486 *Cecinna*] Qui in aliis exemplaribus eſt *Naſica*, in *autographo* noſtro mſ. eſt *Cecinna*. Mutavit, credo, ne a nomine & naſi mole

pu-

Unde hic cincinnus? docto quo pollice cultus?
Ne pudeat dominum tonſtrinæ oſtendere. Res eſt
Digna quidem noſci, radis quo pumice barbam,
Et capras fœtere vetas: nam putidus olim
Et deformis eras, vel Rullo judice: crebri
Blattarum in facie morſus, medioque patebat
Ore ſolœciſmus naſi; quo bellua nunquam
Majorem in denſas prompſit gætula phalanges.
At nunc bellus homo es, flavique infantia crinis,
Penulaque, & digitus multo captivus in auro,

Et

putares eundem eſſe *Naſicam*, qui alibi venit in ſatyris; de quo graviſſimo viro nil minus credendum, quam quod hic deſcribit. Quicunque tandem fuerit, hominis polituli femineoque luxui indulgentis imaginem vides belle depictam.

487 *quo pollice*] cujuſnam docti tonſoris manu & calamiſtro compoſitus?

488 *ne pudeat*] Da, quæſo (ne pudeat), qua in toſtrina tonſor ille artem exerceat; quaque ſit natione, gallus ne, an romanus.

489 *digna quidem*] Ironice: cum de nugis agatur, qualia ſunt pumicari, glabreſcere, fragrare.

490 *capras fœtere*] alarum fœtorem avertere, quem *hircum* & *capram* dicebant latini ex fœtoris ſimilitudine.

491 *Rullo judice*] qui tibi ceteroqui amiciſſimus eſt & ſocius, is, qui ſæpe in ſatyris vapulat.

492 *blattarum*] a puſtulis, quaſi a blattis corroſus.

493 *ſolœciſmus*] Elegans translatum pro enormi naſo: nam proprie *ſolœciſmus* eſt vitium grammaticale: nos: *uno ſproposito di naſo*. [*quo bellua*] major elephantis proboſcide.

494 *gætula*] a Gætulia Africæ regione, ubi elephantes: de quorum uſu in præliis vid. *enarr.*

495 *infantia crinis*] fictitia cæſaries ad fœminarum uſum, jam dicta: *caponaſcente*.

496 *penulaque*] ea penula, quæ ad or-

Et quæ ſuccincto deſcendit ab inguine tigris,
Umbram vel medio braccis factura decembri,
Te pulchrum & nitidum præſtant: minor eſt quoque naſus
Æqualiſque cutis, vox clara & digna theatro:
Ut jam non mirer ſi propter Phyllidis ædes
Comptulus incedis, felix venator amorum;
Et levis erecta tranſis per compita planta,
Ceu vitreæ pedibus phyalæ caliceſque premendi,
No-

ornatum potius, quam ad veſtitum pertinet, vulgo: *mantelletto attillato*. [*captivus*] prægrandi aureo annulo cinctus. De vetuſtiſſimo annulorum uſu, materia, varietate, geſtandique ratione Kirchman. *de ann. long.* Kornman. *de tripl. annul.* aliique apud *Pitiſc.* v. *annulus*.

497 *& quæ ſuccincto*] manica villoſa e tigridis aliarumve belluarum pellibus, vulgo: *manicotto*, *manizza*: quam lemniſcis utrinque appoſitis, ſerica vitta pendulam delicatuli quidam ad oſtentationem potius, quam ad depellendi frigoris neceſſitatem, faſtu plus quam ridiculo, infra ventrem & quaſi ante braccas geſtant: quos idcirco deridet, quaſi media hieme umbram femoribus faciant. *ſuccincto*] h. e. a braccarum cinctu: *la fianchetta de' calzoni*.

499 *naſus*] quæ proboſcide major erat, naſi moles videtur tanto cultus artificio imminuta; quæque blattis corroſa facies, nunc glabra & nitida.

501 *Phyllidis*] amaſiunculæ, cujus prope ædes, ab ea videri, ejuſque amores captare geſtiens, incedit.

503 *& levis*] levi mollique gradu in digitos erectus, ut belluli ſolent, non ſecus ac ſuper vitreos calicos, aut ova, eſſet procedendum.

504 *premendi*] ſubaudias *eſſent*.

Nobilis euganeo quos ſudat littore fornax.
Nec modice oble&tor, cum poplite nixus in uno
Reſpicis hinc atque hinc, & vexas ſtridulus aras.
Sed tandem precibus dignaris numina. Planctus
Davidis loculo, puer, exere. Tendit herilem
En dextram dominus: ſummum ne læſeris unguem

505 *euganeo*] a vicino littore veneto. Nam *Muriani* prope Venetias celebres vitriarii. *ſudat*] eodem ſenſu, quo *Perſ.* ſat 5. 150. . . . . . *peragant avidos ſudore* (al. *ſudare*) *deunces?*

506 *nec modice*] Qualem in templis ante divorum aras ſe præſtet *Cecinna*, deſcribit. Facile rem intelligis, cujus quotidie vides exempla. *poplite*] uno flexo genu, altero erecto, quod ſolent pigri, & aliud agentes.

507 *reſpicis*] caput motando huc atque illuc intueris: quod ſolent curioſi & incompoſiti; qui vix templum ingreſſi in id maxime incumbunt, ut quotquot ibi ſunt diligenter videant, eorum quaſi numerum inituri. *& vexas*] Voce erat fœminea *Cecinna*: qua importune garriendo ſacerdotibus ad aras operantibus erat permoleſtus.

508 *ſed tandem*] Quod ſpectando obganniendoque expletus ad Deum tandem convertatur, poſtrema *Cecinnæ* res eſt, nec multæ curæ. *dignaris*] Quam bene *dignaris*! Ejuſmodi quippe irreligioſi homines, ſi quid ſacræ precis male negligenterque ſuſurrant, præclare ſe tandem cum Deo agere putant; qui tanto propterea beneficio teneatur. *planctus*] h. e. pſalmos davidicos, quorum aliqui *pænitentiales* dicti.

509 *puer, exere*] Vides quo ritu, quaque obſequii religione puer, ſeu famulus, cum ejuſmodi domino ſeſe gerat. Loculo, h. e. ſacculo, exerit pſalmorum librum (*l' offizio*); deinde porrigit, non tamen manibus, ne vel ſummos domini digitos leviter tangendo contaminet, ſed ſubmiſſo, inſtar patinæ, galero. Utique *Sectanus* haſce ineptias ridet in potentioribus ac divitibus; ergo multo magis in iis, qui ea erant conditione, qua ridiculus iſte *Cecinna*.

Tu cave, & impositum librum submitte galero.
Hæc ego vix patior, cum Cotta, aut Persicus audet;
Multa cui ad vigilem dormire moneta columbam
Dicitur, & seni rapiunt carpenta jugales,
Constipatque latus servorum concolor ordo.
Quidne putas de te romanos dicere rhonchos,
Palmaris famuli qui vix succurrere ventri,
Stulte, potes, redolentque tuæ mera sabbatha braccæ?

Ri-

511 *submitte*] h. e. librum galero impositum submitte tuo domino,

512 *vix patior*] Hæc ego vix fero in proceribus ac ditissimis, quales *Cotta* & *Persicus*: (nomina apud *Juven. sat.* 3. 221. & *sat.* 5. 109.) feramne in *Cecinna*, cui vix raudusculum (*quattro bajocchi*) in flaccida crumena?

515 *multa cui*] qui dicitur multam pecuniam ad celebrem *S. Spiritus* nummariam mensam habere depositam, quæ propterea ibi dormit (*sul banco di S. Spirito*). S. enim Spiritus columbæ symbolo designatur. *ad vigilem*] quæ vox eleganter opponitur *dormire*: *vigilem* autem dicit mensam illam nummariam, quod continuo sit in vigore, perpetuoque dandi accipiendique actu.

514 *seni*] ternis equorum paribus raptato vehitur curru: *in tiro a sei*.

515 *concolor ordo*] vulgo: *livree*.

516 *romanos rhonchos*] linguas romanorum mordaces, sive censuras & irrisiones, *Mart.* 1. *epigr.* 4. 5. *Majores nunquam rhonchi* . . . . & 4. 86. 7. = *Nec rhonchos metuis maligniorum. Rhonchus*, vel *ronchus* proprie est stertentis sonus, translate derisor superbusque censor.

517 *palmaris famuli*] Quidni *Cecinna* irrideretur, cui famulus erat pedissequus statura palmari, h. e. unius fere palmi (*un palmo di servitore*), quem tamen vix pascere posset?

518 *mera sabbatha*] meros judæos, qui sabbatha servant: ab iis enim vestes habes conductas.

Ridicula est Romæ paupertas. Vivere pauper
Dum cupit in morem procerum, male sanus haberi
Incipit, & demens atque intestabilis esse,
Dignus anaglyptam propius spectare columnam.

519 *ridicula*] Qui Romæ pauper sit, derisui habetur: qui vero pauper velit more nobilium vivere, inter amentes adnumeratur.

521 *intestabilis*] Intestabilis habebatur, qui (ut Caj. *digest. lib.* 28. *tit.* 1. *leg.* 26.) *lege jubebatur, ne ejus testimonium reciperetur, & ne ipsi diceretur testimonium*. Ulpian. vero *l.* 18. *tit.* 1. *dig. eod.* 28. *Si quis ob carmen famosum damnetur, Scto expressum est, ut sit intestabilis*. Ergo nec testamentum facere poterat, nec ad testamentum adhiberi testis. *Intestabilis* homo erat invisus & exsecrabilis. *Hor. sat. l.* 2. 3. 181. . . . . . . *is intestabilis & sacer esto*. Qui autem mente sit captus, non potest *intestabilis* non esse.

522 *dignus*] dignus, qui amentium hospitio recipiatur. Erat enim tum temporis hospitium illud contra *Columnam antoninianam*; post vero a *Clem. XI.* P. M. ad eum locum, ubi nunc est, prope *S. Spiritus* nosocomium extrema via transtiberina (*la Lungara*) fuit translatum. *columnam*] Cochleam columnam, quæ areæ secus flaminiam viam nomen dedit, *antoninianam*, seu *antoninam* (male aliqui *antonianam*). non ab *Antonino Pio* patre, sed *M. Aurelio Antonino* filio, dictam, antiquo splendori *Sixtus V.* P. M. restituit, qui & D. Paulli ex inaurato ære signum fastigio imposuit. *Anaglyptam* dicit, quod anaglyptis (*bassi rilievi*), in ea bellum marcomannicum sculptum videas; ubi & effusissima pluvia christianæ legionis precibus a Deo impetrata siti ardentes recreantur romani; contra vero hostes fulminibus percussi fugantur: quare legio illa *fulminatrix* appellata; meliusque habitum Christianorum nomen. Castal. *de columnn. triumph. apud Græv. thes. antiq. rom. vol.* 4. Prosper. *chron. apud eund. vol.* 11. Alciat. *diss.* 3. 8. Panvin. *fast.* 2. Est autem columna pedes alta 175. gradus habet 206. fenestellas 56.

Jamque valete diu, consortia lubrica cœtus
Feminei. Vobis pharetratus militet Infans;
Et Charites, pronoque favens Cythereia vultu
Profligent annos, inimicaque sæcula formæ.
Non ego deliciis capior; nec munere vestro
Fortunam mulcere paro, vultumque severum
Astrorum. Faciant hæc Mamurra & Cluvienus,
Et per Junonem solitus jurare Varallus,

Qui-

523 *Jamque*] Fœminas tandem denuo dimittit, easque valere jubet, & quidem diu ac florentes: sibi tamen cum illis nihil unquam fore profitetur.

524 *pharetratus*] Cupido vestra mereat stipendia, vestrumque ad arbitrium e pharetra jacula promat, h. e. estote in amoribus felices.

525 *Charites*] Quæ græcis *Charites*, latinis *Gratiæ*, Jovis filiæ, pulchritudinis deæ habebantur, tres numero *Aglaje*, *Thalia*, *Euphrosyne*, dictæ a *gratia* h. e. ab ea *gratiæ* notione, qua pro venustate ac lepore accipitur: græce autem χάριτες a χάρις, quod a χαρὰ, *gaudium*. Charites igitur & Venus (a Cytheræa insula, ad quam marina concha transvecta est, appellata) maxima venustatis dea, vos fortunent.

526 *annos*] Grande feminis malum senescere, quo maxime crucientur.

528 *fortunam*] Non, si adversa utar fortuna, iratisque astris, opem vestram implorabo; neque mihi solatium vestra in consuetudine quæram.

529 *faciant*] Vos colant, & vobiscum perpetuo versentur alii, *Mamurra* præsertim, *Cluvienus*, & *Varallus*, nomina fictitia hominum præ ceteris mulierosorum.

530 *per Junonem*] Juno mulierum genius: per eam jurabant fœminæ, ut apud Petron. *in sat.* 25. viri autem per genium suum, *Jovem*, *Herculem* &c. Vid. *enarr.*

Quique terunt juris nodos, dictante puella
Responsa, & sanctas infamant cyclade leges.
Me tenet illorum convictus, crimine nullo
Qui noti salibus conspergunt otia vitæ,
Et pedibus silicem calcant, cunctique philippos
Vix centum numerant; quos nidor & aura culinæ
Parca & inempta juvat; quos veri lumen & æqui
Jungit amicitiæ nexu, & virtutis amore.
Hæc ego matronis collegia præfero. Talis,

531 *quique terunt*] Verberat ICtos, forte & Judices, mulierosos, qui turpi obsequio juris nodos solvunt, vel pronunciant ad amicæ fœminæ voluntatem : quare poetico dicit *cyclade*, h. e. muliebri veste, legum sanctitatem infamari.

533 *illorum convictus*] Cœtum indicat, qui magna Romæ per eos annos in existimatione erat, vulgo *de' Cristianelli*.

534 *salibus*] Qui bene morati, in summa vitæ tranquillitate, conditis urbano sale facetiis indulgent. Inter præclarissima ejus cætus lumina non dubito quin fuerit, saltem post scriptam Satyram, *Hieronymus Gilius* senensis, quem pulcherrimarum rerum dixerim creatorem.

535 *Et pedibus*] Vides quam belle ejus generis hominum mores, ingenium, animum, conditionem describit. Pedibus incedunt, parcaque, & aliquando inempta, modeste parastando, utuntur mensa : h. e. mediocri fortuna sunt.

537 *quos veri*] Justitiæ, veritatis, virtutisque studium beatissimum amicitiæ ac societatis vinculum.

539 *præfero*] Ejusmodi cœtum hominum, qui vivido ingenio, & facetissimi salis argutiis plurimum valent, quibuslibet splendidioribus matronarum congressibus antefero. Quin autem anteferat, qui sapiens sit?

Ida, tuis si lata foret sententia silvis,
Argolicis nunquam cecidissent Pergama flammis.

ENAR-

540 *sententia*] Si pastor ille *idalius* (*Paris*) hac mente fuisset, neque se in celebri trium dearum de venustate immiscuisset judicio, non ea, quam tulit, sententia ultimum Trojæ suæ peperisset excidium. Vid. *enarration.*

ENARRATIONES

IN SATYRAM XVI.

1 *Jane*] Janum pro Joannem se ipse appellabat *Philodemus* ad sæculi XIV. & XV. morem apud eos præsertim, qui ex *Pontani* hæresi erant, ut Cl. *Xaverius Matthaius* scribit in vita *A. Jani Parrhasii*, h. e. Joannis Paulli *Parisii* consentini, ejus *quæsitis per epistolam* præposita, *edit. neapol. novissima* 1771. Sic *Janus Nicius Erythræus* est Joannes Victorius Rossius, *Aonius Palearius* Antonius Pagliarius, *Petrus Crinitus* Petrus Riccius &c. Qui tamen mos, cum veri nominis ignorationem posteritati injiciat, nescio an videatur probandus.

Bion] Sub hoc *Bionis Cratei* nomine sermonem ediderat Philodemus *Endymioni* appositum; de quo pluries in Satyris.

Philodeme] nomen a nostro Satyrico impositum: de quo in *Sat.* 2.

Opice] nomen pastoritium, sive arcadicum, h. e. *Opicus Erimantheus*.

7 *sportula trujugenum*] Hieronymum hic omnino audias Lagomarsinium *orat.* 5. *de schol. public.* 2. *pag.* 126. *edit. rom.* 1753. = *Unum tamen illud dicere non omittam, hoc vulgo in magistris sive privatis sive publicis conducendis accidere, ut, qui liberales in eos munificique esse vellent, ferme non possint; qui possent, nolint oppido. Nec vero nonnullorum etiam querelis non aliquando interfui, qui secum valde illiberaliter,*

 & cer-

& certe non ut pro sua opera atque in erudiendis pueris labore æquum erat, agi a parentibus dicerent. Quos quidem ita consolari consuevi, ut præteritorum memoriam temporum repetens, haud aliter in omni ætate cum magistris actum esse a parentibus doceam: soleoque illos ad luculentum sane auctorem Juvenalem (sat. 7. 186.) *rejicere; qui, commemoratis insanis hominum, sua tempestate locupletissimorum, sumptibus, ita de eorumdem in filiorum magistros parsimonia avaritiaque testatur:*

Hos inter sumptus, sextertia Quintiliano,
Ut multum, duo sufficient . . . . .

tum ad extremum, non sine quodam fatidico mentis instinctu, quo non suam modo, sed consequentes etiam ætates nostramque hanc adeo complexus est, egregius vates ac plane vates exclamat:

. . . . Res nulla minoris
Constabit patri, quam filius . . . .

15 *Lucretia*] Lucretii fil. *Collatini* uxor, ita apud *Liv. l.* 1. *Horat.* 1. & *Ovid.* 1. *Fast.* 2. a v. 680. ad v. 852. pudicitia insignis, ut jam *Lucretia* pro pudicitiæ nomine habeatur. Val. Max. 6. 1. 19 de ea = *dux romanæ pudicitiæ, cujus virilis animus errore fortunæ muliebre corpus sortitus est.*

16 *Porcia*] Catonis uticensis fil. primo *Bibulo*, post *Bruto* illi, qui *Cæsarem* interfecit, nupta; cujus fortitudinis simul & conjugalis amoris singulare exemplum habes apud *Valer. Max.* 3. 2. 15. & *Plutarch.* in *Bruto*.

27 *sambucistria*] De sambuca Pers. *sat.* 5. 95.

Sambucam citius caloni aptaveris alto.

Buleng. *de theatr.* 2. 47. Voss. *Lex etymol.* Turneb. *adv.* 20. 1. Liv. 39. 6. = *Luxuria peregrinæ origo ab exercitu asiatico invecta in Urbem est: tum psaltriæ, sambucistriæ, & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis &c.*

37 *testudine*] In allato horatianæ odis versu, quæ *Mercurio* est inscripta, septem chordæ ejus cytharæ affinguntur: sed veteres, si *Macrobio Saturnal.* 19. credamus, tetrachordum *Mercurio* attribuerunt. *Testudo* autem inde dicta, quod *Mercurius* musicum illud instrumentum ex testudine fecit, quam in littore decrescentis Nili repererat. *Philostr.* in *Amphione*. Voss. *lex etymol.* Buleng. de *theatr.* 2. 37.

77 *mundi*] Muliebrem *ornatum* & *mundum* differre, habemus ex *Ulpiano Dig. lib.* 34. *tit.* 2. *leg.* 26. ubi = *Ornamenta muliebria sunt, quibus mulier ornatur, veluti inaures, armilla,* (bracciali) *viriola*, (braccialetti) *anuli* (*præter signatorios*), *& omnia, quæ ad aliam rem nullam parantur, nisi corporis ornandi causa: quo ex numero etiam hæc sunt, aurum, gemmæ, lapilli, qui aliam nullam in se utilitatem habent. His adde vittas, mitras, semimitras, calanticas, acus cum margarita, reticula, crocuphantia* (ornamenti di color giallo sotto la rete.) *Mundus vero muliebris est, quo mulier mundior fit. continentur eo specula, matulæ, unguenta, vasa unguentaria, & si quæ similia dici possunt, veluti lavatio, riscus* (cesterella pe' panni donneschi ad uso de' bagni), *argentum balneare, sella balnearis*. Hinc formulæ illæ apud *Paull. ibid.* leg. 33. = *Uxori meæ vestem, mundum muliebrem, ornamenta omnia, aurum, argentum, do, lego*. Alia vero ratione distinguit *Tertullianus de hab. mulier. cap.* 4. = *Habitus*, inquit, *feminæ duplicem speciem circumfert, cultum & ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant: ornatum, quem immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro, & argento, & gemmis, & vestibus deputatur: iste in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitutionis*. Ubi *mundum muliebrem* dicit, quem JCti *ornamen-*

mentum; & *ornatum*, quem illi *mundum*. Quæ tamen discrimina non semper servant scriptores; & *mundum* sæpe dicunt quidquid ad muliebrem ornatum pertinet. *Liv. l.* 34. *c.* 7. *Munditia, & ornatus, & cultus, hæc feminarum insignia sunt: hunc mundum muliebrem appellarunt majores nostri.*

Sed erat hic imprimis afferendus *Isaias*, qui suæ ætatis muliebrem mundum minutatim recensere non dedignatur *cap.* 3. 16. *& seqq.* Propheta non minus sanctitate, quam eloquentia clarissimus; ut a *Grotio* cum *Demosthene* comparetur, a *Robertio* autem *Demostheni* merito anteferatur. = *Pro eo quod elevatæ sunt* (fastu, vanitate, luxuque tumentes) *filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo* (quales semper vidimus) *& nutibus oculorum ibant*, (oculis stibio, nigrove pigmento oblitis) *& plaudebant pedibus suis*, (gestantes circa crura stridentes circulos) *& composito gradu* (quasi ad numerum, & brevi mollique incessu) *incedebant*, *decalvabit* (denudabit verticem capitis) *Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit* (omnibus detractis ornamentis. Mulierum vanitas, maxime quæ est in comendo capite, contremiscat.) *In illa die* (captivitatis, multoque magis mortis) *auferet Dominus* (*Dominus*, tertio iterat, non *Nabuchodosonor*: nam non est malum in civitate quod *Dominus* non fecerit) *ornamenta calceamentorum*, (caligas magnificas pretiosasque) *& lunulas*, (dimidiatas, torquibus appensas) *& torques*, *& monilia*, (e margaritarum quasi guttis) *& armillas*, (manicas aureas argenteasve &c.) *& mitras*, (eminentia ac tremula capitis ornamenta) *& discriminalia*, (vittas crinibus intertextas, vel mitræ redimicula) *& periscelidas*, (compedes argenteos, æneos &c.) *& murenulas*, (catenulas aureas simul argenteasque annulis intextas, coloris flavi, & albi varietate murenas imitantes) *&*

ol-

olfactoriola, (vel arculas unguentarias, vel bullas cordis figuram referentes, pectori præfixas) *& inaures* (aurium ornatum, nos: *orecchini*,) *& annulos*, *& gemmas in fronte pendentes*, *& mutatoria*, (multiplicis generis vestes, vel pallas, sive femoralia, quibus utebantur) *& palliola*, (pallia seu peplos, quibus caput obnubebant) *& linteamina*, (pepla, seu vela amplissima, quibus ceteras vestes protegebant,) *& acus*, (vel ad pingenda producendaque supercilia, vel ad capillos mitrasque, quasi capitum turres, tanquam fulcris, sustentandas) *& specula*, (vestes tenues ac pellucidas, quæ *vitrea toga* Varroni) *& sindones*, (tunicas interiores) *& vittas*, (pepla vel fascias, quibus tota obnubebatur mitra feminarum in publicum prodeuntium) *& theristra*) palliola æstiva, quibus obvolvebantur feminæ æstivo tempore in publicum prodeuntes). *Et erit pro suavi odore fœtor*, *& pro zona* (cingulo, quo vestium luxuries apte coercebatur) *funiculus*, *& pro crispante crine calvitium* (sive morbo crinibus sponte defluxis, sive doloris vi avulsis, sive ad luctus significationem rasis) *& pro fascia pectorali* (ab utroque humero dimissa & ante pectus decussata) *cilicium*. (quod cum sacco, dum res tristes essent ac luctuosæ, adhibebatur.

85 *dactylotheca*] Dactyliothecas integras in templis ideo veteres sacrasse puto, quod cum insano luxu ita delectarentur, ut gemmis digitos oneraverint, illum etiam diis communicare voluerunt. *Plin. lib.* 37. *c.* 1. *edition. lugdun.* 1561. = *Gemmas plures, quod peregrino appellant nomine dactyliothecam, primus omnium habuit Roma privignus Sylla Scaurus; diuque nulla alia fuit, donec Pompejus Magnus eam, qua Mithridatis regis fuerat, inter dona in Capitolio dicaret, ut M. Varro aliique ejusdem ætatis auctores confirmant, multum prælatam Scauri. Hoc exemplo Cæsar dictator sex dactylio-* the-

thecas in æde Veneris genitricis consecravit. Marcellus Octavia genitus in palatina Apollinis æde unam.

87 *specularibus*] Per *specularia*, ut nos per vitreamina, lumen ac solem in ædes admittebant veteres. Plin. *ep.* 2. 17. 4. Martial. 8. 14. 3.

Hibernis objecta notis specularia puros
Admittunt soles, & sine face diem.

Plin. 36. 2. Fortunæ ædem a *Nerone* e phengite constructam describit. Sed e vitro etiam antiquitus fiebant *specularia*; unde vitreum specular in *tit. ænigm. Sympos.* quod fusius a Plin. *ibid.* describitur. Adhibebantur & in balneis ex Senec. *ep.* 87 Iis denique lecticæ claudebantur ex Juven. sat. 4. 21.

Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.

88 *Sunt miri artifices*] Juvenal *sat.* 11. 120. *& seqq.* ejus generis luxum sua quoque ætate bacchantem describit.

At nunc divitibus cœnandi nulla voluptas:
Nil rhombus, nil dama sapit: putere videntur
Unguenta atque rosa, latos nisi sustinet orbes
Grande ebur, & magno sublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,
Et Mauri celeres, & Mauro obscurior Indus,
Et quos deposuit nabathæo bellua saltu,
Jam nimios capitique graves. Hinc surgit orexis,
Hinc stomacho vires: nam pes argenteus illis,
Annulus in digito quod ferreus . . . .

Ubi vides eburneos mensarum pedes tum temporis majore in pretio fuisse, quam argenteos.

93 *Heliadum*] Heliades solis fil. ex *Ovid. metam.* 2. 340. casum fratris *Phætontis* in Padum tamdiu flevisse dicuntur, ut mortuæ in alnos seu populos conversæ sint; quibus arboribus adhuc lacrymantibus, in electrum lacrymæ illæ vertuntur,

tur: quare crassum electrum in pocula excavatum *Heliadum crustas* dicit *Juven. sat.* 5. 38. *Martial.* 4. 31. de ape electro inclusa:

Et latet & lucet phaetontide condita gutta.

& 58. de vipera pariter electro inclusa:

Flentibus Heliadum ramis dum vipera repit.

94 *hispana comedit*] Morem illum hispanarum mulierum argillam comedendi ad pallidum colorem ciendum, sic hispanice vertit quidam *Sectani* interpres:

Los quales (buccheri) *de comer tien mucha gana*
Por pareçer a l'ombre y linda y hermosa
De amarilio color muchacha espana.

97 *Bruti puerum*] Martial. 2. 77.

Et puerum Bruti dixeris esse brevem.

Puer Bruti parvæ admodum staturæ fuit, cujus multa sigilla ex fictili opere aut æneo: inter quæ præclarissimum illud, quod statuarius *Strongylion* (non *Sillanion*, ut male *Domitius* in allatum *Martialis* versum) fecit, ex Plin. *l.* 34. *cap.* 8. *de antiq. statuar.* = *Item fecit puerum, quem amando Brutus Philippeensis cognomine suo illustravit.* quare *Martial.* 14. 171.

Gloria tam parvi non est obscura sigilli:
Istius pueri Brutus amator erat.

Lagona vivum] *Lagon & Caius* pusilla statura celebres apud historicos; uti & *Canopas* duorum pedum & palmi, deliciæ *Juliæ* neptis Augusti; *Andromeda* Juliæ Augusti liberta; *Lucius*, minor bipedali mensura, immensa voce; *Sysiphus* M. Antonii pumilio &c. *Lyciscus* (statuarius) *Lagonem puerum* (fecit) *subdole ac fucata vernilitatis*: (in atto buffonesco) refert *Plin.* in eod. *cap.* 8. *lib.* 34. *Vivum* autem dicit, h. e. affabre elaboratum vel ductum, ut animatus videatur.

98 *Caie-*

98 *Caiolos*] Statium alii cum *Turnebio* ita legunt:

Molles caseoli lucunculique.

Quæ lectio non videtur rejicienda: cum & casei essent inter dona saturnalitia, ut id. Stat. *silv.* 4. & *lucunculi*, ut apud Apul. *asin. lib.* 10. essent inter bellaria & cupedias. Vid. Scholiast. ad eum *Stat.* versum *edit. hackiana* 1671. *Lugd. batav.* Hic certe *Caioli* sunt statura pusillorum imagunculæ.

119 *carchesia*] *Carchesium* accurate describit Macrob. *Saturn.* 5. 21. *procerum est, & circa mediam partem compressum, ansatum mediocriter, ansis a summo ad infimum pertinentibus*. Vofs. *lex etym*. Buleng. *de conviv.* 4. 17. Bruyer. *de re cibar.* 3. 9.

237 *cautelaque Ubaldi*] Cautela ejusmodi, qua nil frequentius apud Forenses, ab *Angelo Ubaldio* ducta a §. *si rerum alias super rebus* L. a *Divo Pio* Dig. *de re judicat.* opponitur a creditore, cui potiora sint jura super debitoris bona, ut aliunde petita illorum bonorum adjudicatio aut venditio impediatur: ut in uxore agente pro sua dote in bona viri obærati, quæ sibi creditores obnoxia esse apud judicem contendunt. *De Luc. de Judic. disc.* 40. *n.* 19. & *seqq.* Dicitur autem *cautela* a *cavere*: ea quippe sibi cavet uxor a viri creditoribus pro sua dote. Angelus *Ubaldius* perusinus *Baldi* germanus frater, iisdem, quibus ille usus præceptoribus, vicesimo ætatis anno causas agere cœpit, vicesimo autem quarto Jurisconsultus factus docuit in patria, mox Romæ, exinde Florentiæ, demum Patavii cum *Alberto Guidelloccio* pariter perusino. *Urbanus VI.* Romanus Pontifex insignis viri doctrinæ eam dedit honoris significationem, ut illum, non ad pedis, ut alios, sed ad pacis osculum admiserit. Florentiæ eodem, quo *Baldus*, anno 1409. decessit, fratremque *Petrum*, tertium ex *Francisci Ubaldii* liberis superstitem reliquit.

172 *ge-*

172 *gothorum*] Quintilian. *Instit.* 1. 5. *Plurima gallica* (vocabula) *valuerunt*, ut rheda ac petorrita; *quorum altero Cicero tamen, altero Horatius utitur*: Gell. 15. 30. qui Varronem affert *rer. div.* 14 De *essedis Prop.* 2. 1. 86.

Belgica vel molli melius fert esseda collo.

175 *pilenta*] Describit Isidor. 20. 12. *pilentum vel petorritum contectum quatuor rotarum vehiculum*. Nam duplicia erant *petorrita*: alia aperta, eaque vulgaria; alia contecta, eaque nobiliora; quæ proprie *pilenta*: quare bene distinguit *Horat. epist.* 2. 1. 192.

Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves.

Pilentum proprie erat matronarum, iccirco delicatum & molle. *Virg. æn.* 8. 666.

. . . . pilentis matres in mollibus . . . .

Ubi Servius: *mollibus, pensilibus, ut molle feretrum, & oscilla mollia*: &: *pilenta sunt vehicula, quibus nisi casta matrona uti non poterant*. Colore primis temporibus veneto, post russato pingebantur. Serv. *ibid.* ut ex illo *Isidor.* 20. 12. *Pilenta sunt vehicula, sicut nunc basternas videmus. Erant tunc veneti coloris, non, ut nunc sunt, russati.*

182. *sestertia*] Neutro plurali numero *sestertia*, nisi apud poetas, ut Hor. *epist.* 1. 7. 80. Martial. *epigr.* 6. 20. Juven. *sat.* 4. 15. nullibi inveniri; *sestertium* autem singulari neutro numero apud neminem, contendit *Hotoman. antiq. rom.* 4. 2. 19. & quidem poetas metri caussa per metaplasmum *sestertia* dixisse putant nonnulli. Nescio an utrumque satis vere. Litem enim sic componendam puto. *Sestertius* semper adjectivum est: si masculino utaris, subauditur *nummus*; si neutro, *pondus*: illum *parvum sestertium* dico; hoc *magnum*: illo quarta pars denarii; hoc duæ argenti libræ cum semisse indicabantur. Cum autem ita se res haberet, quid

quid erat, cur, qui prosa scriberent, non possent æque ac qui carmina, *sestertia* neutro numero dicere? & quid, cur metri caussa sæpius eo numero usos esse poetas affirmemus? Videsis *Beverinium* nostrum: *Syntagm. de ponder. & mensur. edit. neapol.* 1719, *pag.* 79. *& seqq.* quæque ibi addit *Sebastianus Paulius*: ac præsertim *Suetonii* in *Cæsare* & *Macrobii lib.* 2. *saturn.* eadem de re scribentium locos inter se collatos attendas: *Gronovium* pariter *de pecun. veter.* 1. 3. adeas, qui varias de *sestertiis* eruditorum sententias complexus est: denique *Eisenschmidium*, qui ea de re ex recentioribus fere ultimus scripsit.

Centum hic *sestertia* utique *Sectanus* indefinite posuit pro ingenti summa: quam si omnino definite accipere malis, cum *sestertium* (utar neutro singulari numero, quandoquidem ex unitate ceteri numeri profluunt) parvos *sestertios* mille haberet, *centum sestertia* idem sunt quod *centum mille sestertii*, ideſt aurei nostri *bis mille quingenti*. Nam *sestertio*, seu *mille parvis sestertiis*, respondent aurei nostri *viginti quinque*, ex *Beverinii* aliorumque supputatione, posita pro *sestertii parvi* unius pretio *quarta julii parte*. Quod autem *sestertium* haberet *mille sestertios*, luculentissime ex *Juven.* constat *sat.* 4. 15.

. . . . . . mullum sex millibus emit
Æquantem sane paribus sestertia libris.

Neque enim mullus potuit esse pondere sex millium librarum. Fuit igitur librarum sex, æquavitque libris *sestertia*; quia idem est *sestertia sex* quod *sex mille sestertii*. Scholiast. in *Juven. edit. hackiana* 1664. *Lugd. batavor.*

194 *radio contexta*] Ovid. 6. *metam.* 55. belle textoriam describit.

Te-

Tia jugo vincta est: stamen secernit arundo:
Inseritur medium radiis subtemen acutis;
Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum
Percussi feriunt insecti pectine dentes.

224 *Altera nam prelis*] Mart. 2. 46. 3.

Sic tua suppositis pellucent prela lacernis.

Claudian. *in epithal. Pallad. & Celer.* 101.

. . . . prelisque soluta
Mira dionea sumit velamina tela.

Senec. *de tranq. anim. c.* 1. = *Placet non ex arcula prolata vestis, non mille ponderibus aut tormentis splendere cogentibus pressa, sed domestica & vilis.*

250 *latiaque calendae*] Inter latias calendas olim martiae erant solemnes romanis matronis: iis enim *matronalia* celebrabant (de quibus Ovid. 3. *fast.* 170. *& seqq.*) & munera invicem missitabant, & a viris accipiebant, servis coenas ponebant, similiaque iis faciebant, quae viri per *saturnalia*.

255 *ipse Cato*] M. Porcius Cato antea *Priscus*, postea *Major* appellatus, ex tusculano municipio primus Romam se contulit amicitia & suasione *Valerii Flacci*. Fuit *Africani* superioris & *Q. Fabii Maximi* aequalis: summa severitate censuram gessit, unde *Censorius* dictus. Annos natus 86. obiit U. C. 604. ant. Chr. 149. Ex ejus scriptis, quae saepe laudat *Cicero*, maxime in *Bruto* c. 18. solus superest lib. *de re rustica*. Is ceterique *Catones* ea gravitatis atque integritatis laude floruere, ut, quicunque post vir gravis, severus, constans, integrisque moribus esset, *Cato* dictus sit.

Heraclitus] vel, graeca diphtongo, *Heracletus*, philosophus fuit ephesius, *Blysonis*, vel (ut alii malunt) *Horacini*, vel, ut apud Laertium, *Horacianis* fil. 69. olymp. ante Chr. circiter an. 500. floruit; celebris perpetuo fletu, quo res huma-

nas prosequebatur: quare *tenebricosus* dictus, & *plorator*: & quidem *tenebricosus*, non tam ex tristi ejus ingenio, quam ex obscura involutaque ejus doctrina.

266 *tanta quod quaritis arte*] Guarinius in fabula, cui titulus: *Pastor fido* pag. 57. edit. venet. 1602.

O come è indegna e stomachevol cosa
Il vederti talor con un pennello
Pinger le guance, ed occultar le mende
Di natura e del tempo; e veder come
Il livido pallor fai parer d'ostro,
Le rughe appiani, e 'l bruno imbianchi, e togli
Col difetto il difetto, anzi l'accresci.
Spesso il filo incrocicchi, e l'un de' capi
Co' denti afferri, e con la man sinistra
L'altro sostieni, e del corrente nodo
Con la destra fai giro, e l'apri e stringi,
Quasi radente forfice, e l'adatti
Sull'inegual lanuginosa fronte:
Indi radi ogni piuma, e svelli insieme
Il mal crescente e temerario pelo
Con tal dolor, ch'è penitenza il fallo.

306 *acerra*] Thuris & acerræ usus in sacris perantiquus ut ex divinis litteris, multisque præterea poetarum locis Vid. *Pitisc. v. thus*. Erat autem apud veteres, teste Festo *acerra* aliquando ara, quæ ante mortuum poni solebat, qu odores incenderentur: & lege XII. tabular. octava cavebatur uti *ne acerra adhiberentur*: aliquando erat arcula, in qu thus reponebatur, ex Ovid. *de Pont.* 4. 8. 39. & Hora *od.* 3. 8. 2. Meurs. *de funer. c.* 6. Guther. *de jure man.* 1 16. August. *ad leg. XII. tabular.* §. 43. Voss. *lex. etym*
Cau-

Causæus (*La Chausse*) *inscript. Pontif. Max. tab.* 8. Stuck. *de sacrif. p* 81.

401 *urgere veredum*] Procop. *de bello persic.* 11. *Equis publicis vectus, quos* veredos *appellant*. Erant velocissimi cursus *veredi*, qualibus utebantur veteres in venatione, ex Martial. 12. 14. 1.

Parcius utaris moneo rapiente veredo,
Prisce; nec in leporem tam violentus eat.

Turneb. *advers.* 18. 1. Buleng. *de equis c.* 8. Inde veredarius, (*postiglione*) qui equis certo loco positis (unde *posta*) maxima quamcelerrime itinera conficit. Quare Paullinus lepide initio *epist.* 9. *ad Severum* = *Vector epistolarum nostrarum veredarius pedes, aut bipes veredus*.

410 *multitia candida*] De *Cretico* judice delicatissimis vestibus induto Juven. *sat.* 2. 66.

. . . . *cum tu multicia sumas,*
Cretice . . . .

443 *Cornelia*] Fuit P. *Cornelii Scipionis Africani* superioris fil. *Ti. Sempronii* autem *Gracchi* uxor, *Tib.* & *Caii Gracchorum* mater: cui (teste Plin. 34. 6.) statua Romæ in publica *Metelli* porticu posita fuit cum inscriptione: *Cornelia Mater Gracchorum*. Ejus ingenium laudatur, latinique sermonis nitor in epistolis, quæ in manibus habebantur, a Cicer. *in Bruto c.* 58. & Quintiliano *l.* 1. *cap.* 1. quarum epistolarum particulæ duæ leguntur inter Cornel. Nep. fragmenta. De illius in calamitatibus constantia Senec. *de consol. ad Marc. c.* 16. Utinam nostræ matronæ hujus *Corneliæ* aliquid haberent: quæ (uti *Valer. Max.* l. 4. c. 4 narrat) *cum campana matrona apud illam hospita, ornamenta sua illo seculo pulcherrima ostenderet, traxit eam sermone, quousque e schola redirent liberi; & hæc, inquit, ornamenta mea sunt*. Filios au-

tem (Plutarch. *in Tib. Graccho*) *tanto studio educavit, ut cum in confesso sit neminem romanorum iis bonitate ingenii praestitisse, melius tamen instituti, quam nati ad virtutem existimentur.*

445 *aquilas*] Aquilæ effigies ex argento vel auro, summæ perticæ insistens, alis expansis, alteroque pede fulmen aureum tenens, erat totius legionis, atque adeo romani imperii signum. Lipf. *de milit rom.* 4. 3. Causæus, alias *la Chausse*, de *sign. milit.* apud Græv. *thes. ant. rom. vol.* 10. *pag.* 1528 Quare *aquilifer* alius erat a legionis signifero, qui propriæ legionis signa portabat.

signa] Signum primis rom. reip. temporibus fuit fœni manipulus perticæ colligatus; post vero fuit hasta, cujus in vertice transversum ligneolum, quasi ad crucis formam, ut passim in nummis monimentisque. Sæpe manus eminebat, quæ certe veteris *manipuli* vocem in memoriam revocaret. Infra crucem autem adnexi erant orbiculi quidam, seu clypeoli, qui deorum primo, imperatorum deinde virorumque principum, imagines referebant. Fuit aliquando in summa hasta pila vel globus. *Signa* cohortium & manipulorum fuerunt: *vexilla* verò (quæ erant quadrata, auro purpuraque contexta, longoque conto suspensa, in iisque principis nomen vel forte imago, stante autem republica animalia depicta) olim non nisi equitum. Pitisc. v. *signum*, & v. *vexillum*.

450 *Pacorum*] *Orodis* parthorum regis filium, qui, una cum *Monæsi* illustri ex ea gente potentique viro, post *Cæsaris* necem turbata rep. bis clade romanos affecit: quorum alter tandem a duce *Ventidio* fusus interfectusque; alter cum *Phraates*, occiso *Orode* patre fratribusque, crudelissime imperaret, ad *Antonium* transfugit. *Horat. l.* 3. *od.* 6. 9.

Iam

Iam bis Monæses, & Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus
Nostros . . . .

Ubi Scholiast. *edit. backiana* 1670. *Lugd. batav. & Roterod.* male scribit *Monæsim Orodis* filium ac *Pacori* fratrem. Habes enim ex Plutarcho in *Antonio*, & *Appiano de bello parth.* fuisse unum e parthorum ducibus, non autem regis filium. *Postquam autem* (ita Appian.) *Phraates, Orode patre necato, regnum invasit, non pauci profugerunt, quorum unus Monæses vir illustris ac potens ad Antonium se contulit.*

Pyrrhumque] Epirotarum regem, qui pro tarentinis quadriennio contra romanos strenue pugnavit: cujus illa vox apud Flor. *l.* 1. *cap.* 18. *n.* 18. = *o quam facile erat orbis imperium occupare, aut mihi romanis militibus, aut me rege romanis!* De tarentino bello cum *Pyrrho* rege *Liv.* 12. 13. 14. *Plutarch. in Pyrrho. Agell.* 17. c. ult. *Iustin.* 18. 1. aliique.

451 *Et cui bellaces*] De *Hannibale* verissime dictum: quintum intra diem post cannensem victoriam epulari in Capitolio potuisse; *si quemadmodum sciret vincere, sic uti victoria scisset*: &, *Capuam Hannibali Cannas fuisse*: &, *cum victoria uti posset, frui maluisse*. Flor. l. 2. c. 6. de *sec. bell. punico*. Liv. tota *dec.* 3. Plutarch. in *Fabio, Scipione, Marcello, Hannibale*. Sectanus certe hic ad *Valer. Max. lib.* 8. *in extern. n.* 1. locum illum respexit: *ac tum demum fracta & contusa punica feritas est, cum* seplasia *ei & albana castra esse cœperunt*. Ea enim vigilantissimum ducem, atque exercitum acerrimum, dapibus largis, abundante vino, libidine, unguentorum fragrantia ad somnum & delicias evocavit.

452 *lallaret*] Proprie nutrix *lallare* dicebatur, cum næniam canens puero somnum conciliaret: quod nos: *far la*

nanna. Nam sæpe ingeminabat *lalla lalla lalla*, quod erat *lallum* facere. Perf. *sat*. 3. 18.

. . . . . . *& iratus mamma lallare recusas*.

Ubi *mamma* aliis est dandi casus, ut qui ad *iratus* referatur, aliis gignendi, qui ad *lallare*. Utrum que placet: potest enim bene legi: *iratus mamma*, & *lallare mamma* h. e. lallum mammæ, seu nutricis, idest somni conciliatricem næniam. Sed & *lallare* dicebantur pueri, cum *lalla* imitari vellent, sed perfecte non possent: quem ad sensum accedere potius videtur *Sestanus*. Pitisc. v. *lallare*.

462. *bullatus*] Jam diximus *bullam* auream aut argenteam nobilium puerorum prætextatorum fuisse insigne, collo ante pectus suspensum, quod non in cordis formam erat (ut nonnulli *Macrobium Saturn*. 1.6. male interpretati affirmarunt) sed cordis effigiem sculptam, vel alio quovis modo expressam, habebat. Scheffer. *de torquib*. *c*. 5. Prætextam an. æt. 16. deponentes *bullam* diis domesticis consecratam affigebant, ut nupturæ virgines Veneri suas pupas.

495 *bellua gaetula*] Turrito elephante in præliis veteres utebantur. Elephantos (scribit *Plin*. 8. 6.) *Italia primum vidit Pyrrhi regis bello, & boves lucas appellavit in lucanis visos ann*. U.472. Romani ejusmodi bestias in bellum primum eduxerunt bello philippico *P. Sulpitio Galba*, *C. Aurelio Cotta* Cofs. an. U. 553. ex *Liv*. 31. 36 Ante aciem collocabant ad perturbandos & perrumpendos hostium ordines, aliquando vero ad tergum, ut incœpta pugna, patefacta per ordines via, immissi subito aspectu hostes & equos perterrefacerent, *Appiano* teste de *hispan. bell*. In circum quoque introductos esse an. U C. 502. *L. Cæcilio* C. fil. *Metello* Pont. Max. & *C. Furio* C. fil. *Pacilio* cofs. habet *Plin*. 8. 6. Et quod magis mirere, funambuli dati sunt in spectaculis *Neronis* tem-

pore,

pore, ex *Sueton.* in *Nerone* 11. & in *Galba* 6. *Xiphil.* 61. *Plin.* 8. 2. ubi = *postea & per funes incessere* = & *cap.* 3. = *mirum maxime, & adversis quidem funibus subire, sed regredi magis utique pronis*. Ex antiquo autem numismate intelligitur, elephantos, cum divaricata nescirent in uno funiculo colligere crura, duabus chordis parallelis incedentes duxisse choreas.

531 *Et per Junonem*] In viris per *Junonem jurare* erat effœminata mollitie diffluere: ut apud *Juvenal. sat.* 2. 98.

Et per Junonem domini jurante ministro.

Ubi servus adeo mollis est, ut (more sui domini) juret, tamquam ancilla, per *Junonem*. Sic *Quartilla* apud Petron. *Junonem meam iratam habeam, si &c.* Varallus igitur *Sectano* est mollis & effœminati nomen.

541 *Ida, tuis si lata foret sententia silvis*] Notissima *Paridis* historia, seu potius fabula; qui *Priami* atque *Ecuba* filius, furtim nutritus a pastoribus in monte *Ida*, quod in dirimendis controversiis æquissimus haberetur, orta inter deas *Junonem*, *Palladem*, & *Venerem* disceptatione de forma, propter aureum pomum a Jove cœlitus demissum, in quo scriptum erat = *detur pulcherrima* = ab eis judex constitutus, secundum *Venerem* pronunciavit, quæ pulcherrimam ei fœminarum promiserat, neglecto regno, quod *Juno* pollicebatur, & contemta, quam *Pallas* offerebat, sapientia. Quare Virg. æn. 1. 31.

. . . . *manet alta mente repostum*

Judicium Paridis, spretaque injuria forma.

Quo ex judicio, raptaque a græcis *Helena*, bellum trojanum secutum est, Trojæque tandem excidium.

SATYRA XVII.

ARGUMENTUM.

Quatuordecim satyras cum scripsisset Sectanus, en tibi in Urbe typographus, qui, eo prorsus inscio, pessimis typis committit, & ,supra quam credibile sit, mendosas evulgat. Qua ille injuria exasperatus imperitum impudentemque bibliopolam acri stilo appetit, eique meritas temeritatis pœnas imprecatur. Mox, laudata veterum scribendi ratione, commemorat quæ typographicam consecuta sint incommoda ex immoderata libidine qualiacunque scripta edendi, plerunque inepta ac ridicula, sæpe etiam perniciosa. Immani perterritus librorum numero, qui in diem emittuntur, a gallis præsertim, græcos, latinos, italicos ad vernaculum sermonem transferentibus, tria tantum volumina, quæ si verses nocturna diurnaque manu, vere doctus fieri possis, Sacra Biblia, Tullium, Virgilium, legenda proponit. Luxum deinde sumptusque procerum in exornandis bibliothecis, chartarumque sarcinas & verborum merces irridet, quæ a batavis gallicisque institoribus in Italiam importantur. Non a librorum congerie, sed a recta conscientia doctrinam sibi plane aliam a Deo immortali auspicatus, lascivos poetas & amatorias cantiunculas perstringit. Theologos quoque aliquos morum doctrinam tradentes insectatur; quod, de re conjugali maxime agentes, sordibus cœnoque fluant, legesque, in reipublicæ perniciem, & animarum offen-

fendiculum, conjugibus imponant. Caufidicos præterea, & Juris Interpretes, quaque utuntur, vocabulorum barbariem vellicat. Neque facere poteſt, quin eos vituperet, qui divinarum precum, pſalterii, ſacrique faciendi volumina in hæreticorum officinis excuſa ſibi comparant. Denique ad Innocentium XII. P. M. ſe convertit, eique ſuadet, ut omni cura ac ſollicitudine typographos librarioſque eliminet. Excitata enim de Confucianis ritibus controverſia, tam multis utrinque editis libellis, offenſionem imperitis, ac de religionis veritate dubitationem creari poſſe putat; neque librorum copia opus eſſe, ut doctrina noſtris e cathedris puriſſima proficiſcatur. Elegans profecto ſatyra, rerum ubertate admodum copioſa, & pulcherrimis fontibus derivata. Vides quid quantumque inepto typographo debeamus, qui novæ ac vivaciſſimæ ſatyræ cauſſam & argumentum obtulerit.

BIbliopola, mihi tecum res. Dic age: natas
Forte tuas poſita ſi quis diſcurrere palla

Co-

1 *bibliopola*] Quatuordecim *philodemicas* Satyras, *Sectano* prorſus inſciente, typographus quidam Romæ dederat in lucem an. 1694. ſed ſenſibus, verbis, metro, ortographia, typis, charta, (ut videre eſt) vitiàtiſſimas. Vid. *enarrat.* Multa eſſe in hac ſatyra vel mutata, vel addita vel expuncta, in anteceſſum monemus.

2 *palla*] propria veſte ac decente. Latinis *palla*, græcis *peplum*, erat exterior feminarum veſtis, quaſi *pallium*, quam ſupra tunicam, ſeu ſtolam, induebant, ejuſque parte in humerum ſiniſtrum rejecta, altera ſiniſtro brachio ſubducta, in rugas contrahebatur, ſed tamen ad talos deſcendebat. *Serv.* in *Virg.* æn. 11. 576. *Palla proprie eſt muliebris veſtis deducta uſque ad veſtigium.*

Cogeret, & latiæ nudas ſe oſtendere plebi,
Nonne jecur ſubita tibi bile tumeret, & atrox
Jam delata foret Prætori injuria? Credo,
Si quicquam cordis, minimumque pudoris haberes.
At mihi bis ſeptem fuerant de conjuge muſa
Prognatæ, teneræ ætatis, timidæque puellæ,
Præcipue incomptæ: neque enim criſpare capillos,
Aut medicare genas, nuptis didicere latinis.
Simplicitas erat in pretio; formoſaque forſan
Progenies poterat, donec latuiſſet, haberi.

Hanc

3 *latiæ*] romanæ. *nudas*] feminudas, male veſtitas. *Nudus* enim non ſemper ſonat quod *omnino nullus*. Virg. 1. *georg.* 299. *Nudus ara, ſere nudus* ...

4 *nonne*] nonne irarum plenus rem ad judicem continuo deferres?

6 *cordis*] boni ſenſus, & amoris.

7 *bis ſeptem*] Puellarum nomine quatuordecim a ſe ſcriptas Satyras ſignificat allegoria prorſus eleganti, qua pulcherrime immoratur.

8 *teneræ ætatis*] paucis ante annis natæ. nam *Sectanus* XIV. illas Satyras intra decennium ante ann. 1694. dederat. Quare quod, non modo nondum bene formatæ eſſent ac limatæ, verum etiam, partim auctoris celeritate, partim exſcriptorum incuria, mendis ſcaterent, ideo *teneras*, *timidas*, præſertim vero *incomptas* belle dicit; publicamque propterea lucem reformidantes.

9 *præcipue*] Bene *præcipue*: nam vanis feminis extremum fere malorum eſt, ſi incomptæ cogantur prodire. *neque enim*] Occaſionem præbet allegoria romanas nuptas carpendi, quæ multæ erant in capillis comendis, & facie fucanda.

12 *donec latuiſſet*] Idem de carmine dicendum, quod de fœmina: aliud eſſe, ſi domi ſe contineat; aliud, ſi in publicum prodeat.

Hanc ego sollicitus, quin & secretus, alebam,
Ut confirmato tandem per compita gressu
Iret, & innumeros vultu torqueret amantes.
Neve patri officeret proles incesta, docebam
Virginei sanctæ leges servare pudoris,
Fingebamque rudes. At tu temerarius ausus
Filiolas patriis laribus divellere, frustra
Clamantes, nigri prostare ad scrinia *Corvi*,

Et

13 *alebam*] Jam tum *Sectanus* Satyras sollicitus secretusque limare ac perpolire cœperat, ut perfectum ad unguem castigatæ in lucem venirent; quales, multis sive mutatis, sive additis, ex novissimo *autographo* tandem aliquando, magno reip. litterariæ bono, nunc primum veniunt.

14 *confirmato*] & ad puellarem elegantiam composito. Vides enim quotidie, quanta sit fœminarum vanitas in molli fractoque incessu.

15 *innumeros*] & sine numero haberent amatores. Habuerunt medius fidius, semperque habebunt, dum litteræ in honore erunt, hominibusque sapiet palatum.

16 *neve patri*] Cum *Sectanus* poetico furore percitus Satyras aliquando fudisset potius, quam scripsisset, eique propterea, quod minus castum videretur, aliquid excidisset, statuerat, ne sibi dedecori damnoque essent, depurgare : quod quidem fecisse constat. Vid. *enarr.* [*incesta*] h. e. Satyræ alicubi forte impudentiusculæ minusque pudicæ.

18 *fingebamque*] vel ornabam, vel metaphorice a belluis, quæ lingua catulos, pullosve suos formant.

19 *patriis laribus*] paterna domo, ubi, me jubente, se in occulto continebant, repugnantes rapere, h. e. Satyras nondum bene tornatas, invito auctore, evulgare ausus es.

20 *prostare*] venum vili pretio expositas in libraria taberna Romæ celebri sub signo *Corvi* : unde librarius ille alibi *Corvinus* dictus.

Et vili mercede jubes vulgare pudorem.
  Infelix ſoboles multum dilecta parenti,
O quam te aſpicio! Fluxerunt ore lepores;
Et decus, & niveæ ſuccisa eſt gratia frontis.
Vos minus odiſſet forſan Philodemus, & ipſe
Naſica; obſtipus quamvis ſimiliſque jubenti
Ambulet, & domina feriat mihi lumina gemma.
  Talia non patiar, noſtræ propola camœnæ,
Nec pretio lætus furtiva peculia chartis

Au-

22 *infelix ſoboles*] Perſtat in amœniſſima aptiſſimaque allegoria.

23 *o quam*] Ea *Trifonis* editione, uti diximus, nihil profecto fœdius, minuſque *Sectano* dignum excogitari poteſt.

25 *vos minus*] Philodemus ipſe, ejuſque amici, præſertim Naſica, (*Creſcimbenius*) ſi minus deformes vidiſſent, minus forte odiſſent.

26 *obſtipus*] quamvis tranſverſo, deſpiciente, imperioſoque ſupercilio incedat. Videtur certe *Naſica* ex iis fuiſſe, qui *Sectani* Satyras contra graviſſimorum virorum judicium, quod & poſteritatis fuit, ſemperque erit, aſpernabantur. Vid. *enarr.*

27 *domina*] Naſica Arcadiæ Cuſtos ſibi placens, annulo (uti alibi) pellucidam gemmam geſtabat, omniumque oculis ingerebat: quam *dominam* dicit, quod ejus in Arcadia dominatus index eſſet. Vid. *enarrat.*

28 *propola*] noſtræ camœnæ, h.e. noſtrorum carminum, ſeu Satyrarum, viliſſime venditor. Nam proprie *propola* eſt, qui minore pretio empta majore poſtea divendit, nobis: *rigattiere*, *rivendugliolo*: cujus generis ſunt, qui in triviis atque in foris libellos habent venales, atque alienis laboribus proficere ſtudent; iidem fere, qui a *Statio* 4. Silv. 9.21. *libelliones* dicti = *de capſa miſeri tabellionis.*

Augebis. Pereat clausa tibi nummus in arca;
Aufugiatque tua male parta pecunia dextra;
Aut, turbæ immixtus cum publica sacra frequentas,
Illa crumenisecis pateat; vulnusque latentis
Pelliculæ attonita contrectes, improbe, palma.
Seu potius mentito Principe & ære reperta
Te laqueo addicat, petasusque obnubat hetruscus,
Dum traheris lenta vulgi inter murmura rheda.
Atque utinam solus quererer, crimenque pusillum
Sola foret nobis scribendi caussa; libenter

Ista

30 *pereat*] Male avido propolæ male precatur.

32 *cum publica*] Occasionem crumenisecæ (*borsajuoli*, *tagliaborse*) nummos surripiendi captare solent in sacris anni celebritatibus, tum cum frequentissimus sese populus urget.

33 *vulnusque*] Elegante tropo significat pecuniam corrasam; quasi pellicula, h. e. crumena e pelle, fuerit vulnerata.

34 *attonita*] Nam ut quisque, præsertim si tenuis sit fortunæ, crumenam sentit esse imminutam, aut inanem, attonitus tremulusque crumenam ipsam, vix sibi credens, contrectare solet.

35 *seu potius*] Adulterata pecunia tuo in loculo deprehendatur; atque inde reus criminis plusquam capitalis in crucem rapiaris.

36 *petasusque*] Florentinorum sodalitio stipatus ad laqueum funesto curriculo, lentoque gradu veharis. Nam de S. *Joannis* florentinorum societate, qui capite damnatos comitantur, eorumque expansis pileis, quibus infelices quasi obnubunt, iterum iterumque alibi diximus.

38 *atque utinam*] A typographo ad universam typographicam stilum satyricum convertit. Leve (ait) est hoc, quod queror: multo graviora sunt, de quibus, quod rempublicam attingant, pro merito satis conqueri nequeo.

Iſta darem, patererque meas quocunque mereri
In trivio ſatyras, crebraque in corpore menda.
Sed quis erit, doctæ placeant cui Palladis artes,
Qui non litterulas doleat didiciſſe, velitque
Quod piſtor ſapere, aut lanio, gelidæque magiſter,
Cum videat tantis laxari pulpita libris,
Quorum vix titulis ætas humana legendis

In-

40 *mereri*] Vides, unde ducta ſit metaphora. Senſus eſt: paterer meas Satyras in triviis & angiportis fœdatas plurimis mendis proſtare.

42 *ſed quis*] Quemnam doctum hominem vel prima elementa didiciſſe non ita pœniteat, ut piſtoriam, lanienam, gelidaſque aquas miniſtrandi artem arripuiſſe malit, quam litteras, ſi viderit, quæ typographicam conſequuntur incommoda? Quod quidem ſatyrica prorſus emphaſi dictum accipias.

44 *gelidæque miniſter*] qui gelidam, h. e. nive concreta ſorbilla, conficit, vel miniſtrat: nos: *ſorbettiere*.

45 *cum videat*] Ingentem librorum numerum minime ferendum putat *Sectanus*. Quid ſi per hoſce annos viveret, eumque numerum, in tanta typographiarum acceſſione, fere infinitum videret, ut omnino opprimamur? Quam vere, quam ſapienter ille! *Initio noſtri hujuſce ſæculi maxima librorum copia prodire cœpit: utinam, quos tradidit antiquitas, legeremus.* Nam innumera quidem volumina: quota vero quæque, aut rei novitate, aut reip. bono, commendanda emittuntur? Contra vero quam multa ſive inutilia, ſive, quod deterrimum eſt, pernicioſa! Ea forte eſt propria ſæculi noſtri labes, quod pro ingeniorum libidine tam multa hodie vulgentur, quæ errores furoremque, maximo bonorum omnium dolore, mentibus injiciendo, peſtem reip. moliuntur. Pudeat ſæculum, in tanta, quantam oſtentat, litterarum luce, non dicam laudare, ſed aliquantulum ferre (cetera ut omittamus) *Voltærianas* nugas. Vid. *enarrat.*

Integra sufficeret? Felicia sæcula! tunc cum
Scriptor in arabico sudabat cortice; & alte
Littera ceratis hærebat fida tabellis;
Palmarum foliis tunc cum crescebat Ulysses
Mæonius, damnoque gregis: nam pellibus agnæ
Tradidit historiam Priami, teucrumque labores

Cæ-

47 *felicia sæcula!*] Illorum temporum felicitatem laudat, tunc cum neque ita facilis erat, ut nunc, scribendi ratio, neque nisi doctissimi scribebant. Varias autem attingit vetustissimas scribendi rationes. Vid. *enarrat.*

48 *arabico*] Poetice potius quam historice: nusquam enim invenire est, solos apud arabes aliquod fuisse arboris genus, cujus in cortice scriberetur. *sudabat*] non sine multo labore scribebat. *cortice*] Pernegant *Maffeius* & *Martorellius* in arborum corticibus scriptitatum unquam esse. Sed distinguendum. Si pro *cortice* exteriorem crassioremque accipias arboris tunicam, jure pernegant: si vero interiorem tenuissimam, quæ est inter corticem & lignum, qualis præsertim in *tilia*, qui negent, si vox *liber*, quæ initio hanc ipsam interiorem tunicam proprie significabat, translata etiamnum viget?

49 *ceratis*] Per ceratas tabellas scriptionem raro fuisse in usu strenue confirmat *Martorellius*, etiamsi *tabellæ* & *stilus* &c. passim in scriptoribus maxime latinis occurrant, raro *calamus*, & *atramentum*.

50 *palmarum*] Remotioribus ætatibus in palmarum aliarumve arborum foliis litteras mandatas esse legimus. Quod & hodie fit in *Ceylano*, & *Maldiyis* insulis. *Chamberſius dizion. univer.* &c. vol. 2. v. *carta*.

51 *Mæonius Ulysses*] Homeri *Odissea*, sive da *Ulysis* erroribus. *Mæonius*, seu *Mæonides*, a *Mæone* patre dicitur Homerus. *damnoque gregis*] ovium caprarumve. Nam aliquando in belluinis pellibus, maxime ovillis, (unde *cartapecora*) scripserunt veteres; quæ pelles ad id concinnatæ post *pergamenæ* dictæ: Vid. *enarrat.* 47.

52 *historiam Priami*] Homeri *Iliadem*, sive de bello trojano.

Cæcus adulator. Quid enim? perrarus & idem
Maximus audebat verſus tunc pangere vates.
Scribere nam caro conſtabat; paucaque odoro
Digna videbantur ſervari carmina cedro,
Et quibus excifa ploraret ſilva cupreſſu.
At poſtquam didicit ſollers induſtria linum
Frangere, & infuſis macerare induſia lymphis,
Inque leves abiit bis trita ſubucula chartas,
Quemlibet inſanum ſcribendi urtica momordit.
Nam pennæ anſeribus vulſæ, minimoque paratur,

53 *cæcus*] Homerus, de cujus cæcitate in *Sat.* 12. *enarrat.* 255. [*adulator*] Nam græcus poeta nimium græcis illa in *Iliade* adulatus eſt. *perrarus*] Noſtra vero ætate, ſi habendi ſint, qui ſibi videntur eſſe, poetæ fungorum inſtar naſcuntur.

55 *caro*] non modo pretii, ſed etiam laboris, habita ratione.

56 *digna*] immortalitate. Hor. art. poet. 332. = ... *ſperamus carmina fingi* = *Poſſe linenda cedro, & levi ſervanda cupreſſo?* Nam ſuccus cedrinus cariem, cupreſſus blattas tineaſque arcebat.

57 *exciſa*] ad capſulas cupreſſinas conſiciendas.

58 *poſtquam*] ex quo chartæ e lineis ſcrutis maceratis pinſiſque diſtendi cœperunt. Vid. *enarr.*

59 *induſia*] Induſium interior veſtis, carnibus adſtricta, nunc e lino vel cannabe, *Varroni*, non ab *induo*, ſed ab *intus*, *intuſium*. Forte fuit olim propria aliquando mulierum, ut *ſubucula* virorum: nos: *camicia*.

61 *urtica*] prurigo ac libido. *Scribimus indocti doctique*, ait *Horat.* 2. epiſt. 1. 117. Ne dubites addere: *ſcribimus inſani ſanique.*

62 *pennæ*] Anſerum aliarumque avium pennæ *arundinibus*, ſeu *calamis* ſcriptoriis, ſucceſſere: Vid. *enarration.* [*minimoque*] pretio.

Quæ nigris folium percurrat, ſepia, guttis:
Mox ſtimulos animo & fatuæ calçaria menti
Præſtavere typi. Vanos, hac arte reperta,
Quiſque ſuos audet paſſim vulgare labores,
Proque uno cudit mille exemplaria verſu,
Quæ videant ſeros, quamvis indigna, nepotes.
Hinc eſt quod creſcunt numeroſa volumina, & ipſæ
Pondere rumpuntur capſæ, pluteique fatiſcunt.

Gra-

63 *ſepia*] atramentum : de qua voce vid. *ſat.* II. 48. Ad multa ſane ſcriptitanda nil re commodius noſtris chartis, calamis, & atramentis, nil etiam pretio vilius.

64 *mox ſtimulos*] Inſanam ſcribendi libidinem multo deinde magis extimulavit artis typographicæ percommodum hoc & admirabile inventum. Vid. *enarr.*

65 *typi*] fuſæ litteræ, vulgo *characteres*, in quibus typographicæ ſumma eſt. *hac arte reperta*] quo tempore, & a quo reperta, vid. *enarrat.*

66 *labores*] Quicquid plerique ſcripſerint, ſæpe vanum; vel quod ſine ſucco ſit, ſine delectu, ſine pondere; vel quod ſit crambe male repetita : unde rei litterariæ atque hominum generi commodi admodum nihil accedat.

67 *mille exemplaria*] Tunc cum libri manu exarabantur, quod maxime operoſum erat, haud ita facile propagari poterant: ſed inventa typographica vides, quot quantaque celeritate prodeant & circumferantur exemplaria. Optime ita quidem eorum perpetuitati conſultum eſt: utinam vero plurima volumina nunquam primam quidem lucem aſpexiſſent. Ante typographicam improbus fuit plurimum cœnobiticorum hominum labor libros exſcribere : quare multa iis habenda gratia, ſi præclariſſima veterum ſcripta ab interitu vindicata ad nos pervenere.

Gratulor ingeniis, & noſtro gratulor ævo,
Quod tantum crevit librorum annona, typiſque
Formandis miſſo non ſufficit Anglia plumbo.
Nam veluti docto ſorderent ſcripta palato,
Quæ veteres olim donarunt luce latini
Atque itali auctores, cunctos ſibi mater adoptat
Gallia, & invitos multo molimine cogit
Non ſua verba loqui. Gallus Plato, gallus Homerus,
Et Cicero, tuſcumque rigat tibi Sequana Dantem.

71 *gratulor*] Ironica gratulatio, noſtræ huic ætati millies iteranda. Duodecim hoſce verſus non habes in editis.

72 *annona*] vox a re cibaria ad litterariam eleganter translata.

73 *plumbo*] Nam typi, ſeu *charactéres*, duobus præcipue metallis conflantur, *ære* & *plumbo*, cum viginti aut vigintiquinque *æris* pondo, facta centum *plumbi* admixtione. Conflandi rationem videſis apud *Chamberſium Dizion. univerſ. vol.* 4. v. *Fonderia di lettere*. Plumbo autem maxime abundat Britannia.

74 *ſorderent*] veluti gallis hominibus, qui docti ſint, inſipida & inſuavia eſſent veterum latinorum, noſtrorumque italorum ſcripta.

77 *Gallia*] Vellicat immoderatum gallorum ſtudium exteros ſcriptores, quam poſſent plurimos, ſuum in ſermonem transferendi: ut omnes veluti Galliæ adoptivi gallico loquerentur. *invitos*] Multa ſiquidem ſunt, quæ, niſi ſit peritiſſimus interpres, ad alienam linguam ægerrime veniunt. *multo molimine*] multa violentia. Nam ſæpe non vertunt interpretes, ſed vi detorquent. Vid. *enarrat.*

78 *gallus Homerus*] O miſerum Homerum, ſi gallice ita redditus eſſet, ut hetruſce a *Salvinio* duriſſimo interprete!

79 *rigat*] poetice dictum, ut ſignificet *Dantem* noſtrum gallice verſum. Nam *Sequana* (*Senna*) fluvius Lutetiam pariſiorum interfluit.

Quin etiam sacris divina oracula chartis
Tradita in exoticas voces conversa leguntur;
Collisæque Deum fauces garrire laborant.
Ecquis erit calamo tandem modus? Undique libris
Obruimur; stringuntque oculos, jugulantque legentes.
Rara olim fuerat, tamen hæc satis ampla, supellex
Vix duo, vel tres codiculi, sed pollice multo
Attriti, longoque usu, testisque lucernæ,
Conspicui fumo. Circum mea tempora laurus

Ab-

80 *quin etiam*] Sacra ipsa Biblia ad suam linguam transferunt, h. e. ad *exoticas*, seu peregrinas, voces. Vid. *enarrat.*

82 *collisæque*] Vocem *Deum* in gallicam *Dieu* conversam ægre collisis e faucibus mittit, maxime qui aut gallus non sit, aut pronunciationem illam non calleat; ut iccirco quasi garrire videatur. Lepide in gallicæ vocis sonos vides jocari.

83 *ecquis*] Tantæ scribendi imprimendique libros libidini ac furori quis, quandoque tandem, ponetur modus?

84 *stringuntque*] vel lædunt, vel pro *perstringunt*: nos: *offuscano*, *confondono*: præsertim si (ut nostra hæc scholia) minutis typis sint excusi.

85 *rara*] Pauci olim, iique exiguæ molis, libri; sed qui diu noctuque contrectati vere doctum efficerent. *Plinii* enim illud (*lib. 7. epist. 9.*) immotum animo sedebat: *Tu memineris, sui cujusque generis auctores diligenter eligere. Ajunt enim*: multum legendum esse; non multa. = quare cessit in proverbium: *unum qui attrivit librum, ne provoces*.

86 *codiculi*] diminut. a *codice* pro volumine. Donabis *Sectano* novam voculam. Nam pro parvo *codice*, seu *tabella*, latini habent *codicillum*.

87 *lucernæ*] cum vel de nocte evolverentur.

88 *circum*] Qui sequuntur, viginti quinque versus non habent edita exemplaria. Sensus est: nulla me to-

Abſint, & tituli: tamen hæc ſi vana placerent,
Æquaret libros ſolus mihi Tullius omnes,
Quos immenſa tenent doctæ tabulata Minervæ.
Hic etenim latiæ fulgent miracula linguæ,
Hic leges, magnumque ſophos, cauſiſque tuendis
Grande latus roburque, & vena perennis honeſti;
Romana ut mirer quonam reſpublica fato,

tenet titulorum ambitio: ſed ſi poeta dici cuperem, aut orator, ſoli mihi ſufficerent *Cicero*, *Virgilius* &c.

90 *æquaret*] Eſſet mihi inſtar omnium Cicero.

91 *quos immenſa*] libros omnes, quotquot continet Romæ ampliſſima bibliotheca *Minerviana*, alias *Caſanatenſis*. [*Minervæ*] A *D. Mariæ ſupra Minervam* dictæ, a veteri *Minervæ* templo, quam nonnulli *Chalcidicam* putant; quod a Cæſare Auguſto dedicatum eſſe meminit *Dio. lib.* 51. *pag.* 605. *edit. lugdun.* 1559. Bene *doctæ*; ubi litterarum litteratorumque celebre domicilium.

92 *hic etenim*] in *Tullii* ſcriptis. Ciceronem (de quo *Velleius l.* 2. *c.* 66. *Citius in mundo genus hominum, quam nomen Ciceronis cadet*) mirificam latialis linguæ elegantiam & dignitatem, ſummam legum peritiam, nervosiſſimamque eloquentiam, ſententias præterea honeſtiſſimæ ſaniſſimæque doctrinæ perpetuo plenas, jure ac merito collaudat; ut unum ſi legas, multæ ſcientiæ eſſe poſſis.

93 *magnumque ſophos*] acclamationes & plauſus Tullio cauſſas oranti datos, pro ipſis orationibus. De voce *ſophos* ſat. 3. 132.

94 *grande latus*] grandis & robuſta eloquentia. Nam in lateribus ſunt vires & robur. Cic. *de ſenect. cap.* 5. *ad fin.* = *Cum legem Voconiam voce magna & bonis lateribus ſuaſiſſem*. Quintil. *l.* 9. *c.* 2. = *Illa adhuc audaciora, & majorum, ut Cicero exiſtimat, laterum*. [*& vena*] perennis optimarum doctrinarum fons. *honeſti*] honeſtatis, *adjectivo*, ajunt grammatici, in *ſubſtantivum* abeunte: ut in *ſat.* 1. 15. & *ſat.* 10. 218.

Incolumi, potuit, tanto Oratore, perire.
Addo & Virgilium, pleno qui fonte fororum
Ore bibit; tenerum feu carmine mulcet Alexin;
Seu potius graviore tuba canit *Arma virumque*;
Aut cum fœcundæ committit femina glebæ.
Præterea pura divifas luce tenebras,

Stel-

96 *incolumi*] Cicero cum fummus effet & philofophus, & orator, & civis, in ejus unius incolumitate falus publica contineri videbatur. *Jul. Cefare* interfecto, propofita ἀμνηςία, quæ quantaque moverit, ut rempublicam reftitueret, ex hiftoria, ejufque maxime epiftolis habemus. quamquam nifi eo pereunte non periit refpublica: neque ignotum, quo fato perierit. Abjecta hinc legum fanctitate, luxuria illinc debacchante, qui ftare poterat? Ubi omnia corrupta fint ac depravata, quid fummus faciat orator, philofophus, civis? Aliquantifper torrentem fuftinebit; qui tandem aliquando victis aggeribus exundabit.

97 *Virgilium*] Poft *Tullium* oratorem ac philofophum, poetam fibi feligit celeberrimum *Virgilium*. [*fororum*] mufarum, quæ novem forores.

98 *tenerum*] Trinum indicat Virgilii carmen: *bucolica*, quæ III. *georgica*, quæ VII. *æneida*, quam XI. annis perfeciffe fertur: quare illud . . . . *cecini pafcua, rura, duces*. Primum de re paftoritia, humili ftilo; alterum de agricultura, medio; tertium, de Æneæ erroribus ac bellis, fublimi fcripfit. *mulcet Alexin*] In bucolicorum ecl. 2. *Corydon* paftor inducitur, qui *Alexin* ardet, ejufque animum demulcet.

99 *graviore tuba*] fublimiore ftilo, heroumque geftis conveniente. *arma*] Æneidos prima verba funt = *Arma virumque cano*.

100 *committit femina*] De fegetibus ferendique ratione agit in *georgicis*.

101 *præterea*] Poftremum ponit librorum omnium librum *Sacra Biblia*: quem tamen ceteris omnibus (quod neceffe erat) præponit: modo quippe fubdit: = *affiduo in primis ftudio verfare memento*. [*pura divifas luce*] divinam *Genefis* hiftoriam: ubi *cap.* I. v. 3. *divifio lucis a tenebris*,

Stellarum facies, atque incunabula mundi,
Et ſacro expoſuit quæcunque volumine Moſes,
Aſſiduo in primis ſtudio verſare memento.
Hæc fœcunda Deo ſaturabit pagina mentem;
Veraque ab hoc uno manat ſapientia fonte.
Eſſe quid hoc dicam? Vano perquirere niſu
Ducimur, an ranæ ſciſſo naſcantur ab ovo,
Seu putri: humanæ fuerit quæ mentis origo,
Qua noſtrum fragili conſtet compagine corpus,
Primaque ab aſtuto mulier decepta colubro,

103 *& ſacro*] & alios, quos *Moyſes* ſcripſit libros, cum *Geneſi* quinque, ideoque *Pentateuchum* dictos: videlicet, *Geneſim*, *Exodum*, *Leviticum*, *Numeros*, *Deuteronomium*.

105 *ſaturabit*] Nihil ſaturat mentem, niſi veritas. Iis autem, quæ *ſacris* in *bibliis* continentur nihil verius.

106 *veraque*] In ſacris Scripturis non philoſophus aliquis, ſed Deus docet. Veriſſima igitur ſapientia, ubi ipſa loquitur Sapientia.

107 *eſſe quid*] Quid iſtoc rei eſt? inutilia quærere; ſcitu digniſſima ignorare: quæ ſunt extra nos, ut multa in phyſicis, inveſtigare; quæ autem intra nos ſunt, noſve proxime attingunt, negligere; ut pleríque neſciant utriuſque noſtræ ſubſtantiæ originem, naturam, concretionem, concordiam; quaque de cauſſa primi noſtri parentes à Deo defecerint, atque a beatiſſimo illo innocentiæ ſtatu exciderint.

108 *an ranæ*] Vilia quædam animantia, maxime vero vermiculi, ex ovo ne, an ex putri, gignerentur, inter phyſicos diſceptatum eſt. Ex ovo naſci credo jam omnes perſuaſum habere.

111 *primaque*] Heva à ſerpente decepta, ut eſt in *Geneſi*: unde malorum origo & colluvies. 2. *Corinth.* 11. 3. = *ſerpens Hevam ſeduxit aſtutia ſua.*

Plerique ignorant. Codex tibi sufficit unus:
Ultra quo tendis? Vixit sapientia quondam
In tegete & baculo, vilique legumine. Nudi
Doliolum Cynici, veluti Dodona, superbo
Ductori responsa dabat. Nunc splendida solis
In

112 *unus*] qui non potest esse nisi *sacrorum bibliorum* volumen: ex quo duo illa, a quibus cetera pendent, maxime assequimur, divinam potentiam, divinamque voluntatem. Neque vero unum putes esse *Sectanum*, qui unum hunc librum proponat. Sed & pro librorum, eadem etiam de re dissserentium, copia sua sunt argumenta. Vid. *D. Aug. de Trinit. l.* 1. *c.* 3. & *Barth. de libr. leg. differt.* 1. *pag.* 8.

113 *vixit sapientia*] Admodum paucis contenti erant veteres illi philosophi, præsertim Cynici de *Antisthenis*, & *Diogenis* hæresi; quorum supellex teges (*stuoja*) & baculus, cibus legumina.

114 *tegete*] ex *Juven. sat.* 9. 140. = *A tegete & baculo . . .* h. e. a mendicitate: ubi *teges* est casa mendici e tegetibus scirpeis, vel sparteis. Alias *teges* (a *tego*) proprie est straguli genus ex ulva, palma, scirpo, sparto &c. in lodicis (*coltre*) similitudinem, quo viliores utuntur. *nudi*] male vestiti.

115 *Cynici*] Diogenis, de quo ad *sat.* 12. *enarr.* 161. Sensus est: *Diogenes*, etsi summa in paupertate viveret, tantæ tamen erat auctoritatis, ut ejus, e dolio illo testaceo, in quo habitabat, responsa pro dodonæis oraculis habuerit M. ille *Alexander*. [*Dodona*] oraculum *Jovis dodonæi*. Vid. *enarr.*

116 *ductori*] Alexandro M. *nunc*] Contra nostris temporibus doctus esse non posse propemodum videtur, qui pecuniosus non sit, copiosamque iccirco non habeat bibliothecam, & sumptuose exstructam, & eleganter dispositam, suis cum voluminibus nitide vestitis, aureisque litteris a tergo inscriptis. Ubi vides procerum, maxime romanorum, in bibliothecis exornandis luxum falso deridiculo esse.

In loculis habitat facundia. Longa librorum
Ordinibuſque decem compacta catena decorum
Oſtendat tergum, quibus aurea littera ſignet
Auctoris titulum, rauco ſi murmure vulgi
Tangeris. Hinc procerum domibus ſpectanda videbis
Hæc duo, chartarum ſeriem, inſtructamque culinam.
Nempe putat famam numerumque augere virorum,

Gran-

117 *longa*] ſi plauſus famamque tibi apud vulgus (imperitum) conciliare velis, fac magnificam domi habeas bibliothecam.

118 *ordinibuſque*] pluteis: nos: *ſcansie*, *ſcaffe*.

120 *auctoris*] Libris compactis, vulgo, *alla franceſe*, aureis litteris inſcribitur a tergo nomen auctoris. *rauco ſi*] ſi vulgi admirationem cupis.

122 *hæc duo*] bibliothecam, & culinam: quibus tertium addas equile. Sed hoc ſæpe diſcrimen: quod culina & equile maximi ſint & plus quam quotidiani uſus, bibliotheca vero aut nullius, aut certe quidem rari.

123 *virorum*] Septem in Græcia virorum, qui conſenſu omnium *Sapientes* appellati: iique *Thales* mileſius, *Solon* athenienſis, vel ſalaminius, *Chilon* lacedæmonius, *Pittacus* mitylenæus, *Bias* pirenæus, *Cleobolus* lindius, *Periander* corinthius. Septimum vero locum alii *Anacharſidi*, alii *Eumenidi* tribuunt. Vid. *Auſon.* in *Ludo Sapient.* Senſus eſt: ſi quis multa pecunia transalpinis voluminibus comparatis bibliothecam inſtruxerit, is ſibi tandem, ſi diis placet, *ſeptem Sapientum* numero addendus videtur. Ubi *Sectanus* (quod vulgo fit) *ſapientiam* pro *ſcientia* uſurpare videtur: quæ tamen duo longe ſunt diſſimilia: ut optime enarrat *Matthæius* noſter in *v.* 9. *pſ.* 110. *Initium ſapientiæ timor Domini.* Eſt quippe *ſapiens*, qui probus eſt; *ſciens*, qui doctus. *Hæc eſt enim veſtra ſapientia* (ita *Moyſes Deuter.* 4. 6.) *& intellectus*

co;

Grande quibus fecit temeraria Græcia nomen,
Si quis trans alpes, & multis millibus, emit
Scripta, peregrino tantum vulgata labore.
Delectant tituli nimirum, & margine largo
Littera, purpureæque notæ, crebræque figuræ,
Quas curvus graphii ſculpſit moderator in ære:
Quodque videretur patribus fugienda latinis

Bar-

coram populis, ut audientes universi præcepta hæc dicant: en populus ſapiens & intelligens.

124 *temeraria*] Quaſi temere ſeptem illos viros *Sapientis* nomine ornaverit. Reſpexiſſe videtur ad *Stoicorum* doctrinam (quibus *Sapiens* erat alter quaſi deus, unuſque beatus, iſque non geometra, non phyſicus, non orator ſummus, ſed optime moratus homo, ſibique omnino imperioſus) & ad *Cic. lib.* 3. *de offic. c.* 4. = *Nemo enim horum ſic ſapiens, ut ſapientem intelligi volumus: nec ii, qui ſapientes habiti ſunt & nominati, M. Cato, & C. Lælius, ſapientes fuerunt; ne illi quidem ſeptem* . . . . & *de amic. cap.* 2. = *Qui ſeptem appellantur, eos, qui iſta ſubtilius quærunt, in numero ſapientum non habent.* Cicero autem ex *Stoicorum* doctrina differit.

125 *peregrino . . . labore*] exteris typis preliſque.

127 *tituli*] voluminum frontes, nobis: *frontiſpizj*: qui tituli ſæpe grandia falſo promittunt. Plus igitur, quam res ipſæ, delectant librorum ornamenta.

128 *purpureæque notæ*] litteræ verſuſque aliquot ex minio. *figuræ*] in ære inſculptæ, quas iccirco dicimus: *rami*.

129 *curvus*] ex *Juven.* ſat. 9. 145. = *Sit mihi præterea curvus cælator* . . . . Cælator enim dum operi incumbit, ſe incurvat: vel *curvus*, qui aſſiduus in opere ſit. *graphii*] Graphii moderator eſt qui nobis: *inciſore*. *graphium* proprie fuit ferreus ſtylus, quo ceratis in tabellis ſcribebant veteres: valet hic ſcalpelli genus, quo quis in ære ſculpit, quod *Plinio* eſt *viriculum*, nobis: *bolino*, vel *bulino*, vel *ceſello*.

Barbaries, decus eſt pretiumque nepotibus. Ergo
Quærimus hoc unum, cellas implere capaces
Codicibus chartiſque novis, quas Gallia mittit
Sedula nugarum cultrix, atque arbitra luxus;
Vel quas hollandis mercator callidus undis
Invexit Romam, ceu piſcis dolia ſalſi,
Alecíſque cadum. Mutantur opuſcula, tanquam
Rugoſum piper, atque Aſiæ bombycina. Littus
I pete tyrrhenum: jam portat nautica pinus
Verborum merces. Scripto tibi ſacculus auro
Si crepat, evades Cicero, Plato, Virgiliuſque,
Et quicquid cupies: at ſi jejunus anhelat

Ju-

134 *nugarum cultrix*] Ex Gallia enim ad nos plurimum quotidie veniunt nova vanitatis, præſertim femineæ, inventa; quæ certe nihil ſunt niſi nugæ.

135 *callidus*] Bene *callidus*, qui transalpinos libros, ſæpe inutiles, vel Romæ tam facile diſtrahit, quam aſellum ſalitum, & aleces: *il baccalà, e l'aringhe*.

137 *mutantur*] Mutare merces ex *Hor.* 1. ſat. 4. 29. & *Virg. georg.* 3. 307. eſt quod nos: *cambiare*, *negoziare*. Sæpe enim mercatura ſit merces permutando.

138 *bombycina*] proprie *ſerica*: vocem nonnulli & ad goſſipium (*bambagia*) extendunt.

139 *i pete tyrrhenum*] ubi Centumcellarum (*Civitavecchia*) portus; unde mari advectæ merces Romam aſportantur.

140 *ſcripto*] Si multæ tibi ſint permutationis litteræ, vulgo: *cambiali*, vel *lettere di cambio*: h. e. ſi bene nummatus ſis, ut multa emere poſſis volumina, doctiſſimi tibi famam comparabis: perinde quaſi libris abundare idem plane ſit atque doctus fieri. Continens ironia.

142 *at ſi*] Contra, ſi nihil habeas in loculis, illitteratus indoctuſque eris quam qui maxime. *anhelat*] Perſ. 2. 54. *ſuſpirat*.

Julius, atque animam ducit moriturus in arca,
Protinus ignoras vel prima elementa; tibique
Figitur ignavæ cervix aurita tabellæ,
Victaque Carthago. Miſeris facundia nulla eſt;
Semper & indoctus pauper. Nam divite cenſu
Eſt opus, ut terra natus videare pelaſga,
Conducaſque ædes amplas, luciſque benignæ;
Duraque pro tenui ſolvenda eſt penſio ſole;
Ne ſuperimpoſitis digeſta volumina tignis
Blattarum fiant epulæ. Multum quoque oportet
Ut caveas rimas, queis ſe de pulvere Romæ
Inſinuat caries, librorum occulta ſenectus.

Præ-

143 *julius*] argenteus nummus: reſpondet italico: *non hai un giulio in ſaccoccia:* ubi eleganter *julio* actionem tribuit hominis animam jam jam efflantis; ut pecuniæ anguſtias ſignificet.

145 *ignavæ*] Alicubi in ſcholis tabella caput aſini repræſentans craſſioris minervæ diſcipulis affigi ſolet, ut eo pudore affecti excitentur. *ignavam* dicit tabellam; quod ignaviæ ſignificatio ſimul & pœna ſit.

146 victaque *Carthago*] Duo quoque in agmina, romanorum & carthaginenſium, partiti diſcipuli inter ſe decertant: qui victi ceſſerint, in eos appenditur titulus: *Carthago victa*.

148 *natus*] ut græce doctus videaris, tanquam in Græcia natus eſſes.

149 *benignæ*] ædes multa luce illuſtres.

150 *duraque*] cara: ædes quippe, vel pro ſitus natura, majore aut minore pretio conducuntur. *penſio*] quam nos: *pigione*.

153 *Romæ*] Ut pluvialibus diebus ſtercore, ita ſiccis pulvere Roma eſt infamis.

Præcipue fœdo vigilet mufcipula lardo,
Decipit occulto cupidos quæ carcere mures:
Nam fecus ad pictam membrana exefa *Carinam*
Ibit, *marmoreumque Pedem*; delataque nunquam
Ad caros poterit doctrina migrare propinquos.
Hoc quoque divitibus præftat fortuna, tabellis
Scilicet extremis virtutem tradere natis
Cognatifque fuis. Miranda potentia nummi!
En fapit infanus lurco, madidufque popino
Fit rhetor, Scribæ cum teftamenta refignant.
At fannæ interea hæredem rifufque fequuntur,
Cum

155 *vigilet*] Semper contenta in murium perniciem.

157 *Carinam*] pro *Navim*. nam in Urbe *Navis*, a depicta navi, & *Pes marmoreus*, loca celeberrima, ubi libri venales. Senfus igitur eft: alias libri corrofi venum ibunt; neque ad hæredes transmitti poterit doctrina. *delataque*] Sunt nimirum magnates, qui bene inftructam filiis bibliothecam relinquentes, eos putent in magnos eruditofque viros ftatim evafuros, licet plerumque fint ineptiffimi.

160 *tabellis*] teftamento. Divites libris quidem inftructos, fed imperiffitimos diverberat; qui cum voluminibus doctrinam legari poffe credunt.

161 *virtutem*] fcientiam.

162 *miranda*] Ironice miratur tantum pecuniæ miraculum.

163 *en fapit*] Urget falfa ironia. en fubitum prodigium exprimit. *lurco* & *popino*: nos: *ghiottone*, *taverniere*, *crapulone*. Quin cum crapula doctrinæ focietatem mireris? *madidufque*] vino madidus.

164 *Scribæ*] qui nobis: *Notari*: ad quos pertinet teftamenta tum fcribere, tum refignare: *aprire*.

Cum tenet inversa speciosum fronte libellum;
Nec satis agnoscit nigrum quid distet ab albo.
Quam speculo cæcus gaudet, quam pectine calvus,
Quam sonitu surdus, pastor mare, navita aratro,
Tam Flaccus libro. Cujum, mi Flacce, volumen,
Quod teris? Inspiciam titulum. Nondum tibi visus?
Non sane: quid enim? præstat suxisse medullas
Auctorum: titulos aliis nomenque relinquo.
Belle equidem: dic saltem, num sermone soluto
Ambulet, an certis numeris oratio constet.
Nugaris, si vana hæc & puerilia credis
Me novisse. Papæ! satis est: tibi dexter Apollo
Hoc, Flacce, ingenium semper fortunet; & illud
Assequere, ut scriptum manibus teneasve matellam
Igno-

169 *mare*] pro *mari* est in latinis.

170 *Flaccus*] Nomen commentitium nobilem quemdam juvenem designat, cui copiosissima forte relicta fuerat bibliotheca: atque ita margaritæ porco projectæ. *Cujum*] Belle dialogum instituit, quo *Flacci* ejusque similium crassum stupidumque ingenium describitur.

174 *num sermone*] num prosa, num versu, scriptus sit liber.

176 *nugaris*] Quid ad *Flacci* stoliditatem jam amplius addi posse videtur?

177 *papæ!*] admirantis vox. *satis est*] Inscitiæ monstrum tandem dimittit *Sectanus*, eique Apollinis favorem per ridiculum precatur, quo possit eo scientiæ venire, ut matellam & librum minime discernat, h. e. litterarum nihil admodum sciat.

Ignores. Justa posthac se temperet ira,
Si poterit, quisquam, videat cum nullius usus
Librorum sumptus, &, tanquam pendula muro
Serica, vel tabulas pictas, & frigida signa,
Servari a domino. Accipiat quicunque vocatus
Ex testamento doctrinæ turbidus assem,
Et dives mediis sedeat ficulneus Argis.
At mihi si Superi vellent indulgere precanti,
Non hæc obveniat septem signata sigillis
Doctrina, & totidem succensis cauta lucernis.

Cor

180 *justa*] Quis non jure irascatur, tantam librorum vim tanta pecunia comparatorum apud imperitissimum hominem esse, ideoque nullius omnino usus, vel, ut maxime, ad ornatum, non secus ac aulæa, (*parati*) tabulæ, (*quadri*) mutaque signa, (*statue*).

184 *accipiat*] Qui doctrinam ita ex testamento, quasi hæreditatis assem, h. e. totam summam, accipit, divitiis quidem *turbidus* erit; sed inter doctos sedebit stipes, nec qualiscunque, sed ficulneus.

185 *turbidus*] arrogantia elatus, superbiaque tumens. Virg. æn. 10. 648....... *animo spem turbidus hausit inanem*.

186 *ficulneus*] h. e. truncus ligni, quale est ficulneum, maxime fragilis, nullamque ad rem utilis. *Horat. l.* 1. *sat.* 8. 1. = *Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum*. = [*Argis*] pro tota Græcia; hæc autem pro doctorum virorum cœtu.

187 *at mihi*] Mihi quidem, si Deus maxime propitius esse velit, nunquam ejusmodi doctrinæ hæreditas obveniat.

188 *septem*] Septem sigilla, septemque ardentes candelæ pertinent alicubi ad testamenti solemnitatem.

189 *cauta*] constituta. nam latinis *testamento cavere* est testamento jubere, constituere.

Cor docile imprimis, & corporis incola sani
Mens bona contingat, nullique obnoxia culpæ.
Dent quoque ab invidia tutum, & formidine mortis
Fortuna majorem animum. Dent vivere parvo,
Et

190 *cor docile*] quod a Deo petiit *Salomon* 3. Reg. 3. 9. = *Dabis servo tuo cor docile*, h. e. obediens præceptis ac legibus Domini. Quibus ex votis vides, qualis fuerit *Sectanus*, & ut a natura & institutione comparatus. Hominem quippe vides rectum, generosum, fortem, sibi fortunæque imperitantem, vitiorum hostem, & candidi pectoris, veræque sapientiæ amatorem. *sani*] Juven. *sat*. 10. 356. = *Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano* = Vid. *enarrat.*

191 *mens bona*] Bona mens est sana recta & justa, perfectus rationis usus. Senec. epist 10. = *roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis*. Pers. sat. 2. 8. = *Mens bona, fama, fides, hæc clare*, (a diis petuntur) *& ut audiat hospes*. Simile *Horatii* votum l. 1. od. 31. 19. .... *at precor integra* =. *Cum mente nec turpem senectam* = *Degere, nec cithara carentem*. = Vid. *enarr*. [*nullique*] h. e. bona conscientia; id quod ad mores pertinet, & ad vitæ integritatem. *Bonam mentem* vides meminisse *ethnicos* illos; bonam conscientiam non item.

192 *dent quoque*] Det mihi Deus animum a vitiis liberum, præsertim ab invidia, quæ ut est hominum societati infensissima, ita & invido ipsi teterrima: nam, ut *Hor*. 1. *epist*. 2. 58. = *Invidia Siculi non invenere tyranni* = *Majus tormentum*. [*formidine mortis*] animum præterea, qui nec fortunæ injuriis, nec mortis timore frangatur: *Juven*. sat. 10. 357. = *Fortem posce animum, mortis terrore carentem*.

193 *vivere parvo*] idest mediocri fortuna contentum esse; vel vita frugali & sobria uti. *Hor*. l. 2. *sat*. 2. 1. & 110. & l. 3. *od*. 16. 13. *Vivitur parvo bene*: h. e. bene beateque vivit, qui parvo contentus, & ab omni cupiditate liber, tenui victu, & modico apparatu sustentatur. Nunquam enim in magnis opibus ac po-

Et coluisse pares, & responsare superbis.
Hæc me delectat sapientia cordibus alte
Scripta Dei digito, quam nec librarius udas
Ad statuas vendit, tacitum nec devorat ævum,
Nec metuit scombros. Abaci, pluteique, valete,

potentia otium & tranquillitas. *Senec.* epist. 123. *Necessarium est parvo assuescere*. Nostræ ergo nos cupiditates miseros faciunt.

194 *coluisse pares*] Ad hominis in hominem officia pertinet *pares & æquos colere, iisque benefacere*. Sæpe apud latinos hæc duo *colere & amare*, seu *diligere*, conjuncta sunt. Est autem *colere*, aliquem cura, studio, obsequio prosequi; id quod fine amore fieri ex animo non potest. *responsare*] adversari, obsistere, repugnare: ut *Horat.* 2. sat. 7. 85. *responsare cupidinibus*: & 1. ep. l. 68. *fortunæ responsare superbæ*. Viri boni, qualis esse cupit *Sectanus*, responsant superbis non ex pravo animi impetu, vel ulciscendi studio, sed ut se ceterosque pares a superborum supercilio, violentia, vexationibus defendant.

195 *sapientia*] scientia, quæ vere sapientem esse docet.

196 *scripta*] nobis natura congenita, ideoque *lex naturæ* dicta: quæ scientia non a librariis emitur, neque subit chartarum fatum, quæ vel falsamentis vestiendis sæpe damnantur, vel carie corroduntur.

197 *ad statuas*] Prope celebrem *Bernini* fontem in foro agonali, ubi insignes statuæ, veneunt libelli: vulgo: *a' banchetti di Piazza Navona*.

198 *metuit*] pœnam obvolvendi scombros, sive salsos pisces, quam subeunt libri nullius pretii, nulliusque usus. *abaci*] Poetice abacis pluteisque, h. e. libris, vale dicit: non quod litterarum studia, quæ *Sectanum* impense coluisse constat, hic reprehendat: sed quod librorum sæpe perniciosorum, sæpissime inutilium, lectionem vituperet: quod colligere est ex illorum, quos mox nominat, genere & natura. Libros ergo non omnes abjiciendos, sed diligenter deligendos suadet.

In quibus insanit studiorum cura, diesque
Perdimus, & longas brumali tempore noctes.
Num melior fiam? crescet num parvula cordis
Uncia, si toto vellem pallere decembri?
Pande librum, mediam qui nobilis occupat arcam,
Et nitidis tunicis & lævi fronte superbit.
Quæ nos ille docet? Miserum insanire. Furores
Cypridis, & laceros morientis *Adonidis* artus
Explicat, & fœdo marcescit pagina luxu.

Hinc

201 *cordis*] sapientiæ: nam *cor habere est sapere, sapientem esse*. Cic. 2. de Fin. 2. 8. = *Hoc est non modo cor non habere, sed ne palatum quidem*.

203 *pallere*] librorum lectioni incumbendo per totas, easque longissimas, decembris noctes.

203 *pande*] Exemplum affert eorum librorum, quos rejiciendos putat. *qui nobilis*] qui bene polita beneque ornata membrana vestitus superbire videtur.

205 *miserum*] misere insanire, miseram insaniam.

206 *Cypridis*] Veneris: quæ cum *Adonidem* unice adamaret, vicissimque adamaretur, Mars rivalis ferum aprum in eum immisit, a quo dente petitus, dum venaretur, laceratusque est. Inde Veneris *furores*; inde laceri adolescentis *artus*. Ovid. *metam.* 10. Macrob. *Saturn.* 1. *c.* 21. Quam fabulam Joannes-baptista *Marinius*, insignis ille neapolitanus poeta, idemque translatorum audacia styli corruptor, italicis versibus descriptam *Ludovici XIII.* gallorum regis nomine Lutetiæ parisiorum primum edidit: cui titulus = *l'Adone*. Hunc primo libellum notat *Sectanus*. Nat. *Marinius* xv. cal. novembr. 1569. ob. Neap. VIII. cal. april. 1625.

207 *marcescit*] Fœda in *Adonide* regnat verborum sententiarumque mollities: quare merito libellum S. R. E. proscripsit.

Hinc teneros *Paſtor* modulatur *Fidus* amores.
Diſcordes ſenſus & duplex *Cælia* vulnus
Illinc corde fovet. Scatet abdita peſtis ab omni
Syllaba, & enervi titillat carmine lumbos.
Sed demus hanc veniam peccandi impune Poetis,
Et cui præcipuus labor eſt, ut corda legentis
Pelliciat, blandaque lue contaminet aures.
Illud majori rhoncho dignumque putarem

208 *Paſtor*] Notiſſimam deinde vellicat Joannis-baptiſtæ *Guarinii* ferrarienſis fabulam inſcriptam: *Il Paſtor fido*. Nat. 1538. Venetiis obiit 1613.

209 *diſcordes*] diviſo inter duos, *Niſum* & *Amintam*, amore. Fabulam paſtoritiam tertio carpit Guidonis Ubaldi *Bonarellii* urbinatis, quæ *Phyllis ſcyria* : h. e. *Filli di Sciro* : cujus maxima pars eſt *Cælia* æquo in *Niſum* & *Amintam* amore flagrans, quod æqua utriuſque ope ac periculo fuerit a *Centauro* liberata. *Bonarellius* nat. VIII. cal. januar. 1563. obiit Fani v. id. januar. 1608.

210 *ſcatet*] Omnis fere ſyllaba illis in fabulis mollitiem redolet, qua male ſana pruriunt corda, & ad laſciviam proritantur. *abdita*] ſub verborum teneritudine.

211 *enervi*] molli, effœminato.

212 *ſed demus*] A Poetis ad noſtros *Moraliſtas* tranſit. Cum vero dicit *demus veniam*, non ideo dicit, ut eam veniam poetis vere dandam putet; ſed ut ſignificet, id, quod vituperat, multo turpius eſſe in lis, qui *theologi* appellantur.

213 *cui præcipuus*] Non quod præcipuus eſſe debeat, ſed quod miſero poeſis, divinæ artis, fato, ac pravo quorumdam poetarum more, præcipuus eſſe videatur. Vid. *enarrat.*

215 *illud*] Qui de moribus ſcribunt, quod obſcœnis verbis obſcœna pandant, multo magis ſatyra verberandum, atque adeo publica cenſura & pœna notandum puniendumque, *Sectano* videtur. *rhoncho*] irriſione: de qua voce alibi.

Judicio, & trochlea plectendum forte perun&a;
Scilicet obscœna chartas implere sagina
Illos, humanæ qui vitæ exempla daturi
Frontibus inscribunt: *Censura & regula morum*.
Est sacer hic titulus: Scriptori plaude: sed intus,
Si caute inspicias, quantum carbone notandum,
Quantaque repperies, quæ casto tincta rubore
Audiat ipsa Thais, ne dicam filia virgo,
Ingenuusque puer! Quasdam, lascive, figuras
Hic melius disces, quam si.... sed mittere præstat.

Scri-

216 *trochlea*] nos: *carrucola*, *gigella*, quæ ut celerius fune circumacta feratur, perungi solet. Sæpe Romæ fontes trochleæ & funis pœna plectuntur, vulgo: *la corda*.

217 *sagina*] Obscœna verba itali dicimus: *parole grasse*.

218 *illos*] Scriptores illos, qui vulgo: *Moralisti*. [*vitæ exempla*] qui integerrima tum vivendi tum scribendi ratione optima vitæ exempla, pro sua conditione, ceteris hominibus debent.

219 *inscribunt*] Plurimum illorum volumina inscribuntur: *Theologia Moralis*: qui titulus sane sacer, quo scribere solent, fœtido stylo parum certe convenire videtur. Vid. *enarrat.*

220 *sed intus*] multa sunt ita obscœne dicta, ut ansam inde, perverse quidem, *heterodoxi* homines arripuerint nos nostraque irridendi, Vid. *enarrat.*

223 *Thais*] infamis alexandrina fœmina.

224 *quasdam*] Bene *quasdam*: nam vel nominare pudet.

225 *sed mittere*] omittere, vel *mittere dicere*. Prudente reticentia sententiam abrumpit, ne, quod vituperat, id ipse peccare videatur. Sed quid sit, quod silentio premit, conjectare licet ex *Sergardii* epist. XIV. ad *Couccium*, quæ est in hoc ipsum argumentum. En tota sententia: melius in

Scriptores morum, calamo quo tenditis? & quid,
Dicite, quid tandem spurca hæc facundia confert?
Aut quid proficitis tanto molimine? Nempe
Ut pedicas subeant & mille pericula nuptæ;
Utque pater nemo posthac sine crimine fiat;
Atque exspectato sterilescant pignore lecti.
Non hercle hoc vestro Decios fortesque Camillos
Jure olim & Brutos matres peperere latinæ;
Nec sic audaces genuit Cornelia Gracchos.
Tunc etenim sancte valuerunt jura mariti;

in quorumdam *Moralistarum* libris obscœna disces, quam si lascivas veterum statuas, tabulasque contemplareris, aut loca olfaceres exsecrandæ libidinis plena.

226 *Scriptores*] Ad *Moralistas* nescio quos iratum sermonem convertit: & quid (ait) vobis consilii est? quid animi in *obscænis* subtiliter pertractandis? quid inde commodi? quid fructus? quid tanta *de matrimonio* voluminum mole proficere posse putatis? Nempe ut nuptis mille dubitationum scrupulos & laqueos injiciatis; quibus propterea res plena periculi sit conjugium, sterilisque thalamus fiat. Vid. *enarr.*

228 *tanto molimine*] tanto nisu, tantaque *disputationum*, *tractatuum*, *quæstionum*, *sectionum*, *capitum*, *articulorum &c.* congerie.

230 *sine crimine*] A quibusdam enim non bene cordatis Theologis passim peccandi timor injicitur.

232 *non hercle*] Excandescens romanas olim matronas tanto fœcundiores ideo fortissimos viros peperisse affirmat, quod non isto aliquorum *theologorum* jure, idest opinionum sententiarumque triciis, tenerentur.

234 *nec sic*] h. e. ex vestris placitis. Sensus est: nec audaces *Gracchos* genuisset *Cornelia*, si ad vestram doctrinam conjugio usa esset.

235 *sancte valuerunt*] Poetice potius dictum, quam historice,

Nec tunc uxori diſtentum oſtendere ventrem
Dedecori fuerat, torto nec fune plandum
Conjugium. Hæc ſoboles primi trans flumina Nili
Imperium tibi, Roma, dedit; populumque potentem
Nutribas fœcunda ſinu: nunc legibus iſtis
Orba gemis; nuribuſque tuis præbere Luperco
Quan-

vel de aliquibus, non de plurimis. Ut enim veteres de conjugii caſtitate ac fide inviolate ſervanda ſalubres leges ſanxiſſent; eas tamen in leges ſæpiſſime peccatum eſt, tenebricoſiſſimis illis temporibus, quibus cum cætera vitia, tum maxime libido debacchabatur. Ut multo igitur melius, ex chriſtianæ religionis inſtitutis, de matrimonii ſanctitate cautum eſt; ita multo plures inter noſtros ſunt, qui, divina ope, conjugii jura ſancte cuſtodiant.

236 *nec tunc*] Inſipientiſſimam carpit quarumdam nuptarum levitatem; quas ventrem Dei munere plenum geſtare pudet; quod formæ atque elegantiæ periculum timeant.

237 *torto*] tormento aliquo in conjugii pœnam decreto.

238 *hac ſoboles*] Ejuſmodi fortes viri ab ejuſmodi conjugiis progeniti romanum imperium bellica virtute amplificarunt. *primi*] Ægyptum invaſerunt, expugnato primum *Canopo* inſula & urbe ad primum *Nili* oſtium: ſeptem enim ſunt ejus fluminis oſtia: *canopicum*, quod primum ab occaſu occurrit, *bolbiticum*, *ſebeniticum*, *phanniticum*, *mendeſium*, *taniticum*, *peluſiacum*.

240 *legibus iſtis*] doctrinis quorumdam *Moraliſtarum*, quibus conjugii jura coarctantur. Quamquam non una hæc infœcundi aut infelicis ventris cauſſa. Multo plura, multoque graviora ſæculi vitiis, noviſque moribus tribuenda ſunt: in quibus latiſſime ſatyra exſpatiari potuiſſet.

241 *orba*] ſine natis, ſine propagine: *nuribuſque*] tuis nuptis. *præbere Luperco*] h. e. ſteriles omnino ſunt, abſciſſa fœcundita-

Quantumvis palmas vani est jactura doloris.
Quod si post septem tandem vix concipit annos
Torquati Flaccique uxor, quas projicit offas!
Lucinam accusat genitrix, queriturque pudendum
Sanguinis hæredem, quem Curatoris egere
Edixit Prætor. Lippum, & talis male fultum,
Et simum videas, calvumque, & dente carentem.
Si sapit, & cœtus fugiat, nec multa loquatur:

R 4 Nam

tatis spe. *Juven. sat.* 2. 142. = *Nec prodest agili palmas præbere Luperco*: = Nam *Lupercis* (qui *Luperci*, græce *Panis Lycæi* erant sacerdotes) per urbem discurrentibus steriles fœminæ palmas scutica cædendas offerebant, credentes ea verberis superstitione fieri posse fœcundas. Vid. *enarration.*

242 *vani est*] frustra dolorem a *Luperci* verberibus perfers: semper siquidem sterilis es, & infœcunda.

343 *post septem*] si tandem aliquando concipiat, fœtum dat miserum ac male tornatum.

244 *Torquati*] Nobiliores ut indicet romanas familias, veteres illas *Torquatorum* & *Flaccorum* nominat. *offas*] non fœtum bene formatum, sed informis quasi carnis frustum, h. e. infantulum male effictum, inelegantem, vitiosum. *Juven.* sat. 2. 33. de *Julia...., & patruo similes effunderet offas*.

245 *Lucinam*] quam puerperii præsidem diximus *sat.* 2. 186.

246 *sanguinis*] familiæ successorem, a quo fit generis propagatio. *Curatoris*] Qui rei suæ administrandæ sunt inepti, iis Curatores, judicis edicto, decerni solent.

247 *lippum*] Ejusmodi filium describit, oculis, pedibus, naso, capite atque ore fœde vitiatum: *male fultum*] distortum: *sciancato*.

243 *simum*] simis, h. e. pressis & repandis naribus, quales habet simia, ita inde dicta.

249 *si sapit*] Utinam hoc multi ejus generis stipites saltem saperent, ut cœtus vitarent, & in sermonibus ne quidem hiscerent.

Cor-

Nam corvi melius, picæque, & missus ab indis
Psittacus eois reddet tibi verba. Quid ultra
Quærimus? ignavo torpescens sanguine nescit
Se præstare virum. Sic longo stemmate clarum
Occidit Æmilium nomen, Brutique propago;
Et Licinus, gravibus centum quæ findit aratris,
Jugera, jam sterilis fieri patrimonia cernit
Relligiosa domus. Fasces sellamque curulem

Ac-

Corvorum enim, picarum, psittacorumque cum vix habeant loquelam, deridiculo sunt.

250 *corvi melius*] Romanos plerumque blæsos (*scilinguati*) fama fert.

252 *ignavo*] Caussam affert, cur tam male comparatus parum possit ad sobolem procreandam. *nescit*] frequens nimium per ea tempora romanæ juventutis vitium.

253 *sic longo*] Ita fit, ut generis antiquitate & gloria nobilissimæ familiæ, ingenti reipublicæ damno, ad interitum veniant; earumque propterea bona opulentissima (qualia locupletissimi illius romani *Licinii*, aliis *Stolonis*, aliis *Crassi*, fuere) ad ea, quæ dicimus *Loca pia*, transferantur. Ubi familiarum potius fatum dolet *Sectanus*, quam dominii commutationem, novosque possessores. *longo stemmate*] longa majorum serie.

256 *jugera*] amplissima prædia multis aratris scindenda. *sterilis*] domus. Ad *sterilem domum* bona venire dicimus, quotiescunque ad *Loca pia* veniant: cum enim hæc perpetuo vivunt, atque successionis spem omnem abscindunt, tum penes ea bona quasi moriuntur: unde vulgo *mani morte* esse dicuntur.

257 *religiosa*] refertur vox ad *patrimonia*. [*fasces*] h. e. primas dignitates, quarum apud romanos insignia erant *fasces* & *sella curulis*. Queritur *Sectanus*, nobilissimis familiis extinctis, vilissimi generis homines ad amplissimos honores irrepere: quod est alterum maxime reipublicæ incommodum.

Accipient posthac lenones & parasiti;
Illotaque manu moderabit fræna Quiritum
Institor e media jussus prodire taberna.
Hæc numerosa typi pepererunt damna, supino
Judice, & attenta populis palpantibus aure
Censores, dubioque ortas a crimine leges.
Nec minus irascor tibi, barbara Curia, (quamvis
Majestate nova videam splendere Tribunal,
Et sanctis augusta palatia moribus æques)

Cum,

260 *institor*] nos: *ministro di bottega*.

261 *typi*] typographiæ: quibus qui præsunt severius agere deberent, ne libri in animarum perniciem ederentur. Utinam & in moralibus fecissent. *supino*] negligente & incurioso.

262 *& attenta*] Credulum sæpe hominum vulgus quorundam, quos vere *theologos* putant, attentis auribus opiniones excipiunt, ac pro legibus dubium crimen pro certo statuentibus habent; atque adeo auctores plaudendo venerandoque palpant: quod quidem malum minus late sine typographica pervagare potuisse arbitratur *Sectanus*.

263 *Censores*] morum, h. e. quosdam *Moralistas*: quorum aliqui, nescio quo fato, nimis augent, alii nimis minuunt peccatorum numerum.

264 *nec minus*] Transit ad *Curiæ*, h. e. Fori, & Jurisconsultorum in explicandis legibus causisque tractandis barbariem: de qua *satyr.* 7. 249. & *sat.* 13. 279.

265 *majestate*] Indicat *Curiam Innocentianam* in monte *Citatorio* (de qua ipso in initio *satyræ* 14.) non multo ante ab *Innocentio* XII. exstructam.

266 *& sanctis*] Judices *Innocentianæ Curiæ* laudat, eorumque morum sanctitatem, quam splendidissimarum, ubi sedent, ædium majestati parem esse, magnifice affirmat. Quæ tamen laus ad Optimum Pontificem *Innocentium* præcipue pertinet, qui vitiosas judicio-

cio-

Cum repeto miſeri tot commentaria Juris,
Audaceſque manus, quæ gloſſas margine toto
Micturiunt, ſpurcantque tuas novitate rubricas.
Jam nulla a calamis ſecura eſt ſanctio; nulla
Effugit indoctos jam Clementina cucullos.
Pontificum decreta ſacris veneranda papyris
Tenduntur, veluti morſu cerdonis alutæ;
Pluſque ſapit, qui plus audet corrumpere leges.
Auribus o longe noſtris *authentica* = *Res quæ*,

Ca-

ciorum corruptaſque conſuetudines emendavit.

267 *Cum repeto*] Quoſdam vellicat legum Interpretes, qui tota commentariorum & gloſſarum volumina in leges ſcripſerunt, & novis cavillationibus leges ipſas ſpurcarunt potius quam illuſtrarunt: quare miſerum *Jus* dicit.

268 *gloſſas*] Gloſſa quid jam fuerit, quidque nunc ſit, diximus ad *ſatyr.* 6. 88. [*margine*] Gloſſas ſive interpretationes, italice *chioſe*, libri ſeu *textus* margini apponere ſolebant Interpretes.

269 *micturiunt*] Eleganti metaphora feſtinationem, temeritatem, confidentiamque ſignificat. *rubricas*] leges, aut legum titulos. Vid. *ſatyr.* 7. 252.

270 *a calamis*] ab interpretationibus, quibus aliquando verus legum ſanctionumque ſenſus male habetur.

271 *clementina*] Conſtitutiones Clementinæ pro toto Jure pontificio: quod *Sectanus* queritur *a cucullatis* maxime hominibus cavillando detorqueri. Verum ne putes id commune fuiſſe eorum hominum vitium. Nam fuere, noſtraque ſunt ætate, & in hoc ordine prudentes Juris pontificii Interpretes, quos, quod notiſſimi ſunt, nominare prætermittimus.

273 *alutæ*] ex italico: *tirar la pelle, o la bazzana co' denti*: quod ſolent ſutores, translato ad Interpretum cavillationes.

275 *authentica*] Uſitatiores formulæ, & poſitiones paſſim a *Pragmaticis* uſurpatæ. *Authentica*,

quæ

Caſtrenſis documenta tui, *cautelaque* Ubaldi:
Nec ferar invitus toties audire = *vocati*
Cenſentur poſiti ſub conditione nepotes.
Quid mihi vobiſcum ſcelerata vocabula? Quare
Cauſidicus dici nequeo, ſi forte latine
Eloquar? An non & cauſas divinus agebat
Tullius, & denſis placuit facundia Roſtris?
Credo equidem: tamen hæc migravit ab aure voluptas,

Ro-

quæ incipit = *Res quæ* = eſt in *Cod. Commun. de Legat.* qua ſtatuitur, quod *res, quæ reſtitutioni ſubjacent, poſſint aliquando irrevocabiliter alienari*.

276 *Caſtrenſis*] Documenta *Caſtrenſis* ſunt quæ vulgo: *requiſita* Paulli *de Caſtro* ad lucrum ceſſans, & ad uſuræ labem removendam pertinentia. Sunt autem 1. *mora debitoris*: 2. *præſens occaſio pecuniam occupandi debitori denuntiata*. 3. *quod creditor fuerit lucrari ſolitus*. De *Caſtrenſi* vid. *enarrat.* [*tui*] vox *tui* refertur vel ad Curiam, ad quam *v.* 264. ſermonem convertit, vel ad Cauſidicum, quem ſe compellare fingit.

277 *vocati*] Contra Gloſſam in *L. Lucius Dig. de hær. inſtit.* ſtatuto Urbis firmatum eſt, quod filii ac nepotes, a Teſtatore in conditione poſiti, ejus ultimæ voluntatis vi ad hæreditatem vocati cenſeantur.

280 *Cauſidicus*] Poteſt hercle & Cauſidicus, abjecta barbarie, latine eloqui, & ſcribere: ſed latini ſermonis vim nitorem elegantiamque callere multæ eſt operæ: quam quotuſquiſque non faſtidit?

282 *denſis*] plurimo auditorum numero confluente. *roſtris*] Quid romanis *roſtra*, diximus *ſatyr.* 8. 159. & *ſat.* 9. *enarr.* 105.

283 *voluptas*] Quid ſane auribus jucundius, quam rotundi Oratoris vox, ac priſcæ illius eloquentiæ magnificus ille numerus? Contra vero quid inſuavius, quam, quibus quotidie obtundimur,

Roma, tua, poſtquam Cautores & Legulei
Civica tot nugis fœdarunt jura, decuſque
Bis ſenis Tabulis Rabulæ eripuere forenſes.
Diſce novas artes; nec Procurator haberi
Amplius ipſe velis, librorum millia quinque
Si non emiſti. Quicunque noviſſimus exit
In pretio Auctor erit. Multum Deciſio confert
Illa volans, & dummodo cuſa recenter. Habere
Eſt opus in promptu compendia longa Sabellj

Et

mur, barbararum formularum vocabulorumque hiulca iſta congeries, quæ tam aſperum ſonat?

284 *cautores & legulei*] de quibus vocibus *ſat.* 13. 150.

285 *tot nugis*] verborum, cavillationum, formularum &c.

286 *bis ſenis*] Romanas ponit XII. *Tabularum* leges pro toto Juris corpore. Vid. *enarrat.* [*Rabulæ*] *Rabula* eſt vilis cauſidicus, loculejus, blatero, &, ut ait *Gell.* l. 19. c. 9. *clamator tantum, & facundia rabida jurgioſaque pollens*: vel ut eſt apud *Senec.* in *Herc. fur.* 172. *qui clamoſi rabioſa fori jurgia vendens improbus, iras, & verba locat.*

287 *novas artes*] decipiendi, imponendique.

288 *librorum millia*] Ille ſæpe inter Cauſidicos negotioſior eſt, cui numeroſior ſit bibliotheca: perinde ac, quæ in libris dormit, aliorum doctrina doctum faciat.

289 *noviſſimus*] Mordet noſtros Juriſperitos, qui, ut quiſque recentiſſimus eſt auctor, ita eum maxime probant & ſequuntur.

290 *Deciſio*] Quæ a romano Judicum collegio (vulgo *Rota Romana*) ante decretoriam ſententiam *reſponſa* prodeunt, ſuis argumentis munita, *Deciſiones* appellantur, quæ foliis primum, ut ajunt, *volantibus* ſingulæ emiſſæ, poſt in volumina colligi ſolent.

291 *habere*] Pergit ironice docere, quid facto opus ſit, ut Cauſidicus imponendo nomen ſibi famamque conciliet.

292 *compendia*] Eſt operi titulus

Et Tuschj flores. Valeant Digesta vetusti
Codicis; aut gravidæ medicato sulphure chartæ
295 Festivas pariant centum per inane favillas,
Cum ferus accepta pallescit clade Tyrannus,
Expectatque Tibris Lunæ vexilla bicornis.

Sci-

= *M. Antonii Sabellii Mutilianensis M. E. Ducis Rotæ criminalis Auditoris Summa diversorum Tractatuum &c.* Lepide autem ac false dicit *compendia longa*, quod ut summatim a multis ICtis tractata complexus sit, tamen nisi quinque magnis voluminibus rem non expedierit.

293 *& Tuschj*] Dominicus Cardin. *Tuschius* regiensis, Episcop. tiburtinus, octo ingentis molis voluminibus, quoddam quasi (ut ajunt) juris *repertorium*, edidit ordine alphabetico, inditoque titulo = *Practicarum Conclusionum Juris in omni Foro frequentiorum*. Credo autem *Sectanum* false & ironice *flores* dicere quod verius *silvas* liceat appellare. Prope Regium in Insubris natus IX. cal. sept. 1534. Romæ decessit VI. cal. april. 1620.

294 *Codicis*] Codex *Justinianeus*, veterumque ICtorum responsa inter rancida & inutilia habentur; ut ex iis fieri possint chartacea nitrati pulveris involucra, (*razzi*) quæ festis quibusdam diebus Romæ e mole Hadriani accensa crepitare solent, vulgo: *la girandola*. [*medicato*] Variis rebus admixtis, pulvere *pyrio*, carbone, sulphure, ferrea scobe, &c. conficiuntur *pyroboli*, vulgo: *razzi*; quorum componendorum ratio ad *pyrotechniam* pertinet,

296 *Cum ferus*] Turcarum Imperator. Cum per ea tempora inter Christianos Turcasque teterrimo bello arderet Pannonia, si quid inde nuncii de accepta a Turcis clade afferebatur, statim per omnes fere Italiæ urbes festivis illis ignibus publica edebatur gratulatio.

297 *expectatque*] Insignem aliquam victoriam ubi nostri reportassent, captarum exuviarum aliquid, præcipue signorum, Romam gloriæ monumentum, mittebatur ad Romanum Pontificem, ut periculorum, ita & felicitatis, eo maxime participem ac socium, quod &

chri-

Scilicet hoc primum quærit nasutulus ille
Cirratusque Cliens, num sit tibi magna recensque
Bibliotheca domi. Curanda negotia nunquam
Mandabo, si rara tibi meritoria servit
Pagina, quantumvis Paulo sis doctior. Hoc est
Ætatis vitium, virtutem verba putare:
Cum virtus animo sedeat, non garrula chartis.
Sed graviora queror. Numeros, Regisque dolentis
Orga-

christiani nominis principatum teneret, & ingenti pecuniæ vi bellum illud sustentaret. Quare an. 1683. Vindobona liberata, *Joannes III.* polonorum rex maximum Turcarum vexillum ad *Innocentium XI.* perferri jussit. Vid. *enarr.* Mirum autem quanto studio partæ victoriæ argumenta illa nostri exspectarent, quantoque lætitiæ fremitu exciperent. *Lunæ*] Notissimum est Lunam bicornem idem esse Turcis, quod jam Romanis Aquila, h. e. imperatorium insigne.

298 *nasutulus*] nos: *saputello*, *saccentino*.

299 *cirratus*] coma nitens cincinnata.

301 *meritoria*] unde lucrum capias. Si multos habeas libros, multum tibi inde nominis, &, quod consequens est, lucri: secus vero si paucos.

302 *Paulo*] Julius *Paulus* celebris ICtus sub initio III. christiani sæculi, cujus responsa passim in *Pandectis* leguntur. *Lamprid.* in *Alex. Sever.* c. 26.

305 *graviora*] quippe quæ ad sacra pertinent. Queritur *Sectanus*, vehementerque reprehendit, *psalmodiam*, vulgo *Breviario*, sacrorumque librum (*Messale*) in *hæreticorum* typographiis excusum in ipsam religionis principem Urbem inferri, ac vulgo præ manibus haberi. Nullus jam a pluribus annis querimoniæ locus. Nam Venetiis, Romæ, Neapoli, novissime vero Senis, sacra isthæc volumina typis, & quidem nitidis, mandata habemus. *numeros*] *psalmos* græce, latine *cantus*, hebraice *hymnos*, numeris poeticis scriptos. *Regisque*] Da-
vi-

Organa, & attriti divina piacula cordis,
Non aliis recitare notis libriſque ſolemus,
Quam quos perjuris Baſilea infida papyris
Edidit. Hos ſacrum noſtras facturus ad aras
Myſta legit, totas batavo dictante rubricas.
Proh pudor! hollandæ pereant ſi forte tabernæ,
Noſtri deficiunt ritus, mutuſque Sacerdos
Non habet arma, quibus ſuſpendat Numinis iram;

Et

vidis regis, qui regius *Pſaltes*, ſeu *Pſalmographus*, per antonomaſiam dicitur, quippe qui potiſſimus fuerit *pſalmorum* auctor. *dolentis*] qui ſuis ſæpe in *pſalmis* admiſſa crimina dolet plorans coram Domino.

306 *organa*] *pro pſalmis*, quos ad muſica Inſtrumenta concinebant. *Organum* enim valet muſicum inſtrumentum. *attriti*] In aliquibus pſalmis, iis maxime, qui *pœnitentiales* dicuntur, contritum pœnitentia pectus regius *Pſaltes* œſtro prorſus divino enuntiat ad culparum expiationem.

308 *perjuris*] ideo *perjuris*, quod inde plures prodierint libri contra *catholicæ* religionis veritatem: quam qui oppugnant chriſtiani, merito perjuri habentur, quod pejerando a Fide deſciſcant.

Baſilea] urbs in helvetiis.

310 *Myſta*] Sacerdos. græca vox ſonat ſacrorum aut myſteriorum peritum. *batavo*] Nam & a batavis, ſeu *hollandis*, typographis ſacra ejuſmodi volumina excudebantur. *rubricas*] ſacri faciundi ordinem, qui rubris typis diſtingui ſolet: quare quicquid ad ſacros ritus pertinet, *rubricam* dicimus.

311 *tabernæ*] typographicæ.

312 *noſtri*] Vides, qua poetica hyperbolicaque vi rem lamentatur.

313 *arma*] inſtrumenta. Optime: nam præcipua divinæ iræ placandæ ratio eſt incruentam immaculati Agni victimam offerre, deinde preces ad Deum ſundere, quæ *contriti* & *humiliati* cordis ſint gemitus.

Et cælum tacita fruſtra demulcet acerra.
Interea ſapiens Rullus, Calaberque modeſtus
Quidquid delirat vita donare perenni
Nititur, & ſolidis nugis, taboque cerebri
Torcular auſonium, romanaque prela fatigat.
Quin olitor, cuſtoſque nucum pannoſus, & ipſe
Præco cucurbitulæ, redeunt cum feſta quotannis,
Ridiculis properant ſua nomina tradere faſtis
Majori ſpecioſa nota, quam *Claudius*, & quam
Con-

314 *tacita*] nullam inter thura adolenda precationem pronunciando, quæ, *ſicut incenſum, in conſpectu Domini dirigatur*.

315 *Rullus*] En tibi ex improviſo *Rullus* & *Philodemus*; quorum alterum *ſapientem*, alterum *modeſtum* ironice dicit. Redeunt tamen quaſi ſponte in ſatyram, quippe qui eſſent quicquid ſcriberent typis edendi avidiſſimi.

316 *quidquid*] *Rulli* & *Philodemi* ſcripta poetice *deliramenta* eſſe dicit, *ſolidas nugas, tabum cerebri*.

317 *ſolidis*] quæ meræ, ſive omni ex parte, nugæ ſint: quod nos: *frottole*, aut *ſpropoſiti maſſicci*. [*taboque*] quaſi tabidi corruptique cerebri putidis fœtibus.

319 *olitor*] Magna Romæ ſalariorum, olitorum, & fructuum herbarumque venditorum celebritas in templo Deiparæ Virginis, quam vocant *ab horto* (*S. Maria dell' orto*) in regione tranſtiberina, ubi olim (ut ferunt) *prata Mucia*, ita dictæ ab illius depicta imagine, quæ ſupra proximi horti oſtium erat. Ibi feſti curatores, *i Feſtajuoli*, homines diobalares majuſculis litteris inſcribuntur. Vid. *ſat.* 18. 345.

320 *redeunt cum feſta*] Redeunt VI. id. ſemptembr. die Deiparæ natalibus ſacra.

321 *ridiculis*] faſtis, h. e. tabellis: ubi, non ſine riſu, infimorum hominum nomina tanto titulorum faſtu inſignita oſtentantur.

322 *majori*] Sua nomina proponere gaudent prægrandibus litteris excu-

Conſpicuus legitur phariis *Agrippa* columnis.
Hi *Domino* Umbricio meriti ſolvuntur honores,
Hi *Domino* Antullæ. Dum bacchanalia fervent,
Si quid feſtivo ructat turba improba plauſtro
Judicis ante fores lauri diſtincta corona,
Mandamus veſana typis dicteria, menſe
Auguſti obſcœnis latura incommoda muſcis,
Dum levibus permiſſa volant impune flabellis.
Scilicet his tricis meliores frangimus horas

cuſa, quanta (hyperbolice) non ſunt, quæ veteribus in lapidibus leguntur, ut puta CLAUDIUS, AGRIPPA &c.

313 *phariis*] ægyptiis, h. e. ab *Ægypto* advectis. Indicat *S. Mariæ Rotundæ* (olim *Pantheon*) porticum, cujus in fronte: M. AGRIPPA L. F. COS. TERTIUM FECIT.

324 *Domino*] Rideas. Ejuſmodi in tabellis tenues pannoſique homines honoris cauſſa *Domini* titulo ornantur. *Umbricio*] Nomina ſunt duorum ejus generis hominum *Umbricius*, & *Antulla*.

325 *dum bacchanalia*] Diebus bacchanalibus romana plebs agitat ludicra, plauſtro vecta (ut in *ſatyr.* 13. 33.) gerraſque mille ac triſcurria (*groſſe buffonerie*) effutit; quæ poſt typis mandata in æſtivis flabellis leguntur.

127 *Judicis*] Ante prætorianas ſedes ludicra illa inchoari jam ſolita. *lauri*] Plebecula bacchatur lauro coronata.

329 *obſcœnis*] immundis. *latura*] flabellis agglutinata muſcas abactura.

330 *impune*] Quod typis flabelliſque commiſſa dicteria illa, ſæpe turpia, circumferrentur, impune non eſſe debuiſſet. *permiſſa*] Superiorum permiſſu.

331 *tricis*] Nugis, quas nos: *baje*, *fraſcherie*. [*meliores*] quæ libris, utilibuſque rebus agendis dandæ eſſent. *frangimus*] terimus, conſumimus. *Frangere diem* Horat. 2. *od.* 7. 6. eſt actiones curaſque intermittendo diem ve-

lu-

Continuosque dies. Testis quicunque supinus
Volvit anagnini ridenda poemata Rauli,
Atque Adriani rhythmos, historicamque poesim.
Hæc sunt romani non ultima gloria preli,
Queis nostrum cochlea desudat torcular uncta:
Talia nec vigili prohibentur Judice monstra

Paf-

luti rumpere, & genio poculisque indulgere = . . . *sæpe diem mero* = *Fregi* . . . . . . quod 1. *od.* 1. 20. dixerat: *partem solido demere de die*.

332 *continuosque*] quod est hominum nihil omnino agentium, quos hic vellicat. *supinus*] oscitans, desidiosus, otio diffluens.

333 *Rauli*] *Raulus* anagninus, & *Adrianus* notissima erant per ea tempora duorum, non poetarum, sed scurrarum nomina; quorum insulsissimi versus, & durissimi rhythmi (*rimacce*) apud plebeculam celebres.

334 *historicamque poesim*] Solent plurimum ineptissimi ejusmodi versificatores facinus aliquod persæpe crimine supplicioque horrendum pessimis carminibus narrare: popellus autem attonitus legit, memoriæ mandat, & cantitat.

335 *hæc sunt*] Ejusmodi dicteria & nugæ. *non ultima gloria*] ironice. *preli*] romanæ typographiæ. *Prelum* diximus torcularis esse partem; trabem nempe, quæ depressa comprimit: tametsi interdum promiscue ponuntur.

336 *cochlea*] Typographicum torculum describit; cujus potissima sunt *prelum*, & *cochlea*. A similitudine testæ, seu conchæ, qua tortili & turbinata notum animal est inclusum, dicitur *cochlea* lignum teres in torculari erectum, canaliculis circum oblique cavatis striatum, quod in similiter cavatum lignum immissum, dum vertitur, *prelum* vel attollit, vel deprimit: ut autem facilius molliusque circumagatur, oleo aliave re perungi solet. Lignum hoc erectum & versatile italice dicitur: *vite*: quod vero manet immobile: *madrevite*. In typographico vero torculari, primum est ex ferro & chalybe, alterum ex aurichalco: *d' ottone*. [*desudat*] laborat, exercetur.

337 *vigili*] vigilante, attento. *monstra*]

Passim luce frui. Non est quod Roma queratur,
Si mordent italas feriuntque diaria musas,
Lipsia quæ cudit, braccataque Gallia. Nautæ,
Credite, plus sapiunt batavi, flavique sicambri,
Celtiber, & potus de sanguine sarmata equorum,
Quam nos, quos cæli nutrivit bacca latini,
Albanæque jecur lavimus dulcedine testæ,
Atque Orbis domina sanctaque moramur in Urbe,

stra] nugarum, quæ typis passim committuntur.

338 *non est quod*] Sensus est: cum talia a romanis typographiis edantur, immerito queritur Roma, si transalpinæ *ephemerides*, præsertim *lipsienses*, & *gallicanæ*, mordent italicum nomen; quod apud nos insulsissima carmina prodeant.

340 *braccataque*] quæ & narbonensis. *nautæ*] non docti homines, sed vel ipsi nautæ.

341 *plus sapiunt*] Quia nimirum apud exteras transalpinasque nationes ejusmodi nugæ in lucem edi prohibentur. Indignatione æstuans plus sapere dicit remotas illas, neque ita, ut nunc, excultas gentes, batavos, theutonos, celtiberos, sarmatas, quam nos, qui in ipsa litterarum parente & altrice Italia, atque adeo in ipsa orbis terrarum principe Urbe, ac sanctitatis sede, nati sumus atque enutriti. *sicambri*] Vid. *sat.* 5. 15.

342 *celtiber*] qui nunc: *aragonese.* *& potus*] Vid. *sat.* 12. 206.

343 *bacca*] h. e. fructus & cibi latini, ex *Juven.* sat. 3. 84. *Usque adeo nihil est quod nostra infantia cælum = Hausit Aventini bacca nutrita sabina?* idest: nihil ne juvat, quod Romæ nati atque educati romanum aerem hausimus?

344 *albanæque*] & albanum bibimus vinum dulce ac generosum. *Testum*, vas olim fictile vinarium, pro vino ponit; & *jecur*, more græco & latino, pro *corde*, quod vino exhilaratur. *lavimus*] a *lavere* horatianum est, & præsentis hic, non præteriti temporis.

Sinarum audaces populi, rituque profano
Impia & a noſtro penitus gens diſſita mundo,
Vos primi hanc peſtem fonti duxiſtis ab arte
Ingenioque malo. In nitidas fluxiſſe patellas
Plumbea debuerat, quæ primum, littera, chartas
Torſit, & in nigrum ſeſe convertere theta
Figendum capiti auctoris. Fortaſſe doleres,
Roma, minus; Tameſiſque potens & flumina Rheni
Mi-

346 *Sinarum*] In ſinenſes (*Chineſi*) invehitur, ex opinione, quod ab eis typographica primum inventa ad nos uſque navigarit. Quam quidem artem apud ſinenſes multo eſſe vetuſtiorem ſatis conſtat: ſed a noſtra, qualem habemus, longe differt: tabellis ſiquidem ligneis ſculptis, non mobilibus nis typis, ut chartas luſorias telaſque, ita libros imprimunt. Et ut initio non videretur abſimilis; tamen, quando nullum omnino erat tum temporis europæorum cum ſinenſibus commercium, inde ad nos transferri non potuiſſe credimus. Qua de re copioſe *Chamberſius Dizion. univerſ.* vol. 8. v. *ſtampa*. [*rituque profano*] Eos forte reſpicit ritus Confucianos (de quibus paullo poſt) unde tantum in chriſtiana republica turbatum eſſe, omnes ad faſtidium norunt.

347 *diſſita*] Eſt quippe vaſtiſſima *Sinarum* regio in ultima Aſia ad orientem ſolem.

348 *hanc peſtem*] typographicam.

350 *littera*] h. e. primi illi typi metallis conflati.

351 *torſit*] Apte *torſit*, quod premente torculari chartæ quaſi torquentur, h. e. ſignantur. *nigrum theta*] apud græcos damnationis littera. Vid. *ſatyr.* 5. 170.

352 *capiti*] non nomini, quod græci ſolebant, ſed fronti illius figendum, qui typographicam invenit, ut ea nota inuſtus ad ſupplicium raperetur.

353 *Roma minus*] Sine typographica minus Roma quereretur tanto controverſiarum æſtu animos agitatos, publicamque tranquillitatem turbatam: multa ſiquidem ſcripta, peſſimi ſeditionum fomi-

Miſcerent ſocias patrio cum Tibride lymphas.
Magne Pater, mundi Præſes, qui proxima Divis
Jura tenes, regnumque tuum partiris olympo,
Cujus iuleæ capiti naſcuntur olivæ;
Et ſenium virtute levas potiore juventa;
Fas mihi non lubricos, te vindice, plectere mores:

mites, minus late pervagaſſent. *Tameſiſque*] Cum Romana *Eccleſia* britanni germanique homines, abjectis erroribus; forte convenirent, ſi tanta opinionum varietas atque contentio non ita res miſere permiſceret. Accedit etiam aſper ille atque inurbanus ſtylus, quo præfervidi ingenii ſcriptores quidam utuntur, illud ſecum minime reputantes, qui in tenebris & in umbra mortis ſedent, eos confutandos quidem eſſe, ita tamen, ut commiſerandos putes, non exaſperandos. *potens*] opibus, commercio, maritimoque imperio.

655 *Magne Pater*] Ad *Innocentium XII.* P. M. ſe convertit. *proxima Divis*] ex ſacratiſſimis ad Petrum JESU CHRISTI verbis *Matt.* 16. 19. = *Et tibi dabo claves regni cælorum; & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.*

357 *iuleæ*] regales, auguſtæ. Vid. *enarr.* Oliva olim tum victoriæ tum pacis ſymbolum. Ideo autem pacificas *Innocentii* capiti naſci dicit olivas, ideſt dignum eſſe auguſtum caput ut regali oliva coronetur, quod ſapientiſſimo illius conſilio Italiæ pax reſtituta fuerit an. 1696. *Murat. annal. Ital. ad an.* 1696.

358 *ſenium*] Annum enim primum ſupra octogeſimum agebat *Innocentius*.

359 *non lubricos*] qui, occaſionem præbendo in vitia erroreſque prolabendi, non ſunt lapides offenſionis. Totius ſententiæ ratio eſt: Pravos quoſdam mores, ſed qui tamen ceteris peccandi vias minime aperiunt, ſatyra plectendos tuo tutus patrocinio ipſe ſuſcipiam. Ad hæc enim vitia, quæ aut leviora ſunt, aut minus perniciosa, tuæ non eſt dignitatis oculos animumque convertere,

Non hæc digna tuos oculos mentemque morari,
Et rerum dominam curis urgere Tiaram.
Principe te majora petit tua Roma, manusque
Protendit lacrymans, & anhelo supplicat ore,
Ut fæcem immundam librorum, & codice multo
Exitium mentis latitans depellere cures
Urbe procul. Nostris de finibus exsulet impos
Scribendi rabies, aut ægro in corde senescat.
Nonne vides quantis miscetur pugna libellis
Con-

tuasque in ea gravissimas curas dividere. Illud vero tua providentia dignissimum est, si libris, qui veneno & insania pleni pestem inferunt, Urbem purgari jubeas, tamque immanem scribendi furorem coerceas: quod certe fiet, ubi typographica interdicta, haud ita facile tantus exemplarium numerus in vulgus manare ac serpere possit.

360 *non hæc*] quæ nos satyrarum scutica cædimus.

361 *Tiaram*] pontificiam istam dignitatem, in qua constitutus universo terrarum orbi præesse ac prospicere debes.

365 *exitium*] In tanto librorum numero, latet alicubi occultum virus, quo hausto mentes misere corrumpuntur, animique in perniciem ruunt. O si stricto flagello revivisceret *Sectanus*!

366 *impos*] insana.

367 *rabies*] impotens libido ac furor. *aut ægro*] aut in insana furiosorum scriptorum mente deficiat & contabescat; ut inde erumpere pestiferi sensus non possint.

368 *nonne*] Ut mali typographicæ usus exemplum afferat, & quidem præsens; de *finensibus ritibus* controversiam illam christianæ rei maxime incommodam proponit; qua fervente pugnaces ac seditiosi quotidie emittebantur libelli. *nonne vides*] Videbat utique Optimus Pontifex, & plus quam vellet videbat. *pugna*] Qua nescio an pertinacior alia umquam fuerit, in eo quorundam ani-

Confucii cauſſa? Damnat pars altera ritus,
Altera civiles reputat, ſtatuique tabellas
Inſcriptas *ſedes animæ* permittit ad aras,

S 4 Im-

animis atrociter obfirmatis, ut ſuperſtitioſos ritus illos cum chriſtiana religione per fas & nefas conſociarent.

369 *Confucii*] ad quem *ſinenſium* aliqui ritus ſingulariter pertinent. Vel pro univerſa *ſinenſium* gente ponit ſummum illum totius *ſinicæ* doctrinæ magiſtrum; qui an. circiter ante chr. 550. natus fertur. Controverſiæ illius, quæ ab anno 1645. exorta tantum negocii Romanis Pontificibus, ab *Innocentio X.* ad *Benedictum XIV.* faceſſit, longa nimis & moleſta hiſtoria. *damnat*] Et jure ac merito damnabat, quod Romani Pontifices, præſertim vero *Clemens XI.* Conſtitut. *Ex illa die* 19. Martii 1715. & *Benedictus XIV.* Conſtit. *Ex quo* 11. Jul. 1742. & Conſtit. *Omnium ſollicitudinum* 12. ſeptemb. 1744. poſtmodum damnarunt. Quibus in Conſtitutionibus totius moleſtiſſimæ rei ſeriem habes luculenter enarratam.

370 *altera*] Qui cæremonias illas minime religioſas, ſed mere civiles aſſerebant, ut cum noſtra religione convenire poſſent, citra omnem veritatem aſſerere audebant: iique iccirco erant, qui turpiter errantes, tot identidem emiſſis falſis protervisque libellis, typographica peſſime abutebantur.

371 *inſcriptas*] Inter cæteras *ſinenſium* ſuperſtitiones a S. R. E. damnatas ſunt tabellæ quædam in majorum ſepulcris, aut privatis in ædibus, ad illorum memoriam cultumque appendi ſolitæ, *ſinicis* notis inſcriptæ, quæ ſonant. = *Thronus*, ſeu *ſedes*, *Spiritus*, ſeu *Animæ*, N. *defuncti*. = Credunt quippe illorum animas evocatas ad ejuſmodi tabellas venire; ibique, veluti in throno conſidere, atque vivorum oblationes preceſque excipere, eorumque votis annuere. *Confucio* autem quæ ſacræ ſunt, tabellæ ſingulari inſcriptione diſtinguuntur = *thronus*, ſeu *ſedes Animæ ſanctiſſimi & ſuperexcellentiſſimi Protomagiſtri Confucii* [*permittit*] Qui pro ſinicis ritibus ſtabant, vides quid permitterent, nempe apertiſſimam ſuperſtitionem.

Imbuit obscœno quos victima fœda cruore.
Divide commissos calamos, & mutua bella
Verborum, nostras ne mentes occupet error,
Cæ-

372 *imbuit*] Indicat, quæ apud *sinenses* sit, primæ puellaris purgationis celebrationem. Videsis *Turnonii* Cardin. decretum sinicorum rituum damnatorium apud *Benedictum XIV.* in allata Constit. *Omnium sollicitudinum* in ejus *Bullar. rom. edit.* 1747. *pag.* 400. & *Lucinium* in libro (rom. edit. 1729. pag. 253.) cui titulus : *Esame e difesa del decreto &c. del Cardinale di Tournon.*

373 *divide*] Innocentium XII. hortatur, ut damnosissimam controversiam dirimat, ac pugnæ obstinatissimæ finem afferat: quod quidem faciebat vigilantissimus Pontifex; ut ex Constit. *Benedict. XIV. Ex quo.* Vid. *enarration.* [*commissos*] inter se concertantes. *calamos*] scriptores libellorum.

374 *verborum*] Digladiabantur utrinque scriptores, non de mero verborum sono, sed de vero illorum sensu ad *sinensium* mentem: ut inde posset certo definiri, an ulla subesset superstitionis & falsæ impuræque religionis labes. Exemplum proxime subjicit. *error*] dubitatio, quæ certe christianæ fidei esset injuriosa. Sensus est: quæstiones pontificia sententia abscinde, ne simplicibus imperitisque hominibus occasio injiciatur dubitandi, an cælum, an cæli Creator sit adorandus.

374 *cælumne*] Inter ceteras apud *sinenses* illa ferbuit quæstio: num permitti posset tabella inscripta *King Tien*, h. e. *Cælum colito:* aliis *idololatricam* esse affirmantibus, aliis vero negantibus. Sed damnavit *Clemens XI.* Constit. *Ex illa die*; ubi & vocem *Tien Chù*, h. e. *Cæli Dominus* ad verum Deum O. M. sinico vocabulo significandum, quando ibi europæo non potest, admittendam esse decernitur; nomina vero *Tien* (Cælum) & *Xang Tì* (*Supremus Imperator*) penitus rejicienda. Nam *sinensibus* vox *Tien* est quidem *Cælum*, sed hoc aspectabile & sensibile cælum, vel ad summum (ita enim dividunt) purior quædam cæli tenuior vividiorque materies, seu vis rerum omnium dominatrix, non vero invisibilis immensus æ-

ter-

Cælumne, an cæli Factor sit thure colendus,
Et dubitent vera de relligione pusilli.
Utque mali caussæ pereant, excinde nocentes
Ure typos, prelumque reum: *Navisque*, nigerque
Corvus de vacua meritoria signa taberna
Pendere incipiant: aut longum fallere tempus
Doctum molle cicer, vilis madidusque lupinus
Veneat hic potius: stomacho res ista nocebit,
Non animo. Quanto librorum rarior usus,
Tanto candidior populos lux alma beabit,
Puraque ab ausoniis veniet doctrina cathedris.

ENAR-

ternusque Cæli Creator ac Dominus. Purior autem cæli materies illa visque dominatrix est eis *Tien Xang Ti*, h. e. *Cæli Supremus Imperator*.

376 *& dubitent*] & pusillis, h. e. imperitis, dubitandi periculum creetur.

377 *utque*] Suam rem urget *Sectanus*.

378 *Navisque*] *Navis* & *Corvus* duo Romæ tabernarum signa, ubi libri venales. Sensus est: aut pendeant ante vacuas tabernas; aut ubi libri, ibi cicer lupinusque veneant.

379 *meritoria*] quæ emptores monendo invitandoque lucro sunt.

380 *fallere tempus*] Romæ cicer adhuc virescens suoque folliculo inclusum otiosis vendi solet, scurra venditore multum vociferante: *ceci spassa tempo*.

381 *molle*] vix maturum, ac nuper avulsum.

383 *quanto*] sententia prorsus vera concludit.

384 *lux alma*] veritatis.

385 *ausoniis*] italicis.

ENARRATIONES

IN SATYRAM XVII.

1 *bipliopola*] Ineptus ille typographus ita libellum inscripserat = *Q. Sectani Satyra nunc primum edita apud Trifonem bibliopolam in Foro Palladio* 1694. Ubi vides imperitissimum hominem vel nomen ipsum, quod sibi assumpsit, male scripsisse, *Trifonem* scilicet pro *Tryphonem* : quo nomine fuit bipliopola ille, ad quem *Quintiliani* epistola *Oratoria Institutioni* præposita. Quare & nos *Trifonem* tum hic tum alibi scribere necesse fuit, ut nomen, prout jacet, scriberemus. Ejus præterea aut impudentiam mirare, aut lucelli cupiditatem. Nihil *Sectani* non modo querela, sed ne flagello quidem motus, biennio post duas alias secundæ editioni 1696. nihilo minus deformi satyras subtexuit, quarum altera (quod vix credi posse videtur) hæc ipsa est in eum & in typographicam scripta.

12 *donec latuisset*] Horatius *art. poet.* 388. nonum in annum premi jubet quidquid scripseris. nam

Membranis intus positis delere licebit
Quod non edideris : nescit vox missa reverti.

Quam in rem vulgatum quadrat proverbium ex græco : *canis festinans cæcos parit catulos*. Extemporalia sunt immatura ; adhibendaque maturitas, ut res quasi longa mora concoquatur, nec edatur cruda. Ita *Nannius* in eum *Horatii* locum *edition. hackiana* 1670.

16 *neve patri*] Res, uti diximus in adnotatione, ita sese habuit. Nam cum plurima ultimis curis ultimaque lima addidit,

didit, tum nonnulla expunxit: quod videre est in novissimo autographo, & in exemplari editionis pseudocoloniensis 1698. ejus manu partim mutato, partim emendato: quæ duo exemplaria eadem omnino Auctoris manu scripta ab ornatissimo Viro *Lactantio* Marchione *Biringuccio*, qui idem est ac *Fabius Sergardius*, Ludovici nostri ex Fratre nepos, humanissime tradita sub oculos, dum hæc scribimus, nos habere sancte testamur.

26 *Nasica*] Nil mirum si Nasicæ (*Crescimbenio*) parum probaretur *Sectanus*; quando *Philodemus* amicitiæ caussa tantum *Nasica* tribuerat, ut dixerit: *Musas eo suaviores esse non posse*. Utcumque tamen de satyris senserit, facere non possumus, quin clarissimi Viri, si minus hac de re sententiam, at memoriam veneremur. Aliquot vero post annos in turbulentissima illa secessione, (de qua in *satyr.* 18.) quæ auctore *Philodemo* Arcadiam & Custodem *Crescimbenium* vehementer afflixit, ut scire vellem, quomodo *Philodemus* & *Nasica* essent alter in alterum animatus.

27 *gemma*] Eadem, credo, erat gemma, Arcadiæ insigne *syringam* septem cicutis compactam forte fortuna referens, quam in nobilissimo suo museo habebat *Leo Strozzius*, & *Crescimbenio* dono dedit. Placuit autem Arcadiæ ejusmodi insigne lauro pinoque coronatum assumere, quod Pastorum concordiam, geminamque poesim, heroicam & pastoritiam, belle significare videretur.

45 *cum videat*] Quam de eloquentia in ipso *de Inventione* libri primi limine attingit Cicero = *boni ne an mali plus attulerit hominibus & civitatibus copia dicendi, ac summum eloquentiæ studium* = eadem de arte typographica quæstio est instituta. Nos quid sentiamus ex eo intelligis, quod Cl. *Hieronymi Tirabos̄chii* Bibliothecæ Mutino-atestiæ Præfecti ipsa

hic

hic verba exſeribenda putavimus ex accuratiſſima elegantiſſimaque hiſtoria *de re litteraria italica vol. 6. parte altera*, *edition. neapol.* 1780.*pag.* 121. = *A me non ſi appartiene l'entrar quì a decidere la conteſa, ſe eſſa* (la Stampa) *ſia ſtata al coſtume non meno che alle ſcienze utile, ovver dannoſa: perciocchè io ſcrivo da Storico e non da Filoſofo. Dirò ſolamente, che chi a provare i danni, che la ſtampa ha recati, ci mette innanzi una patetica deſcrizione dell'abuſo, che di eſſa fanno non pochi, potrà provar ſimilmente, che dannoſo è il commercio, dannoſa l'iſtituzione de' tribunali, dannoſa ogni ſorta di governo, anzi dannoſa la libertà ſteſſa, e lo ſteſſo ingegno dell' uomo, e perfino dannoſa la religione; poichè di tutto ciò abuſano ſovente gli uomini; e non vi ha coſa ottima, che non poſſa, preſa ſu queſto aſpetto, comparir peſſima.*

De immodico librorum, plerumque inutilium, numero vetus querela. Nam Nicolaus *Perottius* pontifex ſipontinus (*di Manfredonia*), qui in Umbriæ oppido Juſico (*Saſſoferrato*) natus ſæc. xv. doctrinæ laude floruit, *Beſſarioni* Cardin. acceptiſſimus, quam ad Franciſcum *Guarnerium* in *Plinii* præfationem ad ſuos naturalis hiſtoriæ libros, arte typographica vix apud italos nata, ſcripſit, epiſtolam ita exorditur. *Volebam nuper ætati noſtræ gratulari, mi Franciſce, quaſi magnum quoddam ac vere divinum beneficium hac tempeſtate adepti eſſemus ob novum ſcribendi genus e Germania nuper ad nos delatum. Videbam enim tantum uno menſe ab uno homine hoc tempore imprimi litterarum poſſe, quantum vix toto anno ſcribi alias a pluribus potuiſſet. Quod uno verſu Campanus noſter* (Joannes Antonius a pago *Cavella* in Campania prope Galluſium, apud quem aperto in campo natus, *Campanus* dictus, & ipſe Beſſarioni Cardin. eximie carus) *aprutinus* (di Teramo) *pontifex elegantiſſime ſcripſit* = Imprimit ille die quantum

tum non ſcribitur anno = *Ex qua re tantam brevi tempore librorum copiam ſperabam, ut nullum ſuperfuturum eſſet opus, quod vel ab inope atque egeno homine poſſet amplius deſiderari. Hinc fore exiſtimabam, ut vigerent in dies magis ingenia hominum, & florerent ſtudia litterarum, omneſque ad capeſſendas præclaras artes tanta librorum commoditate allicerentur. Jam vero (o vanas hominum cogitationes!) longe aliter, quam ſperabam, video rem ſuccedere. Nam cum liceat unicuique pro libidine animi ſui quæcumque velit imprimere, fit, ut & omiſſis ſæpenumero, quæ optima ſunt, ea ſcribant placendi gratia, quæ obliterari potius ac deleri ex omnibus libris deberent; & ſi quid ſcribunt boni, ita pervertant atque corrumpant, ut melius ſit his libris carere, quam in exemplaria mille tranſcriptos per orbis omnis provincias mittere; ne ſcilicet ſtudioſis occaſio detur tot mendacia legendi. Quippe ſatius eſt vera ignorare* (aurea ſententia) *quam falſa diſcere; quemadmodum tacere verum minus peccatum eſt, quam mentiri.* Quid ſane hac epiſtola noſtro cum *Sectano* magis convenire poſſe videtur?

Ad noſtram quod proxime ætatem attinet, nullo modo hic prætermittendus *Lilienthalius* de *Macchiavel. litter.* §. 4. qui ſic habet. *Nimirum in fœcundo vivimus ſæculo, quo, ut non nemo lepide pronuntiavit*, eunuchi gignunt, & mulæ pariunt, *id eſt, ubi ſcribendi iſta prurigo multos adeo corripuit, ut ſibi perſuadeant, orbi erudito ingenti detrimento futurum, ſi cogitationes ſuas, quibus mire ſibi placent, privatorum parietum carceribus includant. Adeoque ſingulis fere menſibus concipientes ſe ipſos, nemine urgente, præcipitant, cæcoſque catulos pariendo in hoc ſolum gloriantur, nullis ſibi doloribus enixos fœtus conſtitiſſe: in hoc unice intenti, ut in officinis li-*

bra-

Arariis chartarum suarum faces, in catalogis vero librorum nomina sua infausta conspiciantur.

47 *felicia secula! tum cum*] De varia veterum scribendi ratione Goguetius (*Goguet*) italice redditus *edition. lucens.* 1761. vol. 1. *Delle arti e de' mestieri* lib. 2. cap. 6. a pag. 135. ad pag. 150: & Jacobus *Martorellius de reg. theca calamar.* qui eruditissimos quosque evolvit ea de re scriptores, *Pancirolium, Herman. Hugonem, Vossium, Calmetium, Eschembachium, Barissonium, Schwartium, Montfoconium, Jo. Clericum, Funcium, Trotzium, Salmasium &c.* ideoque omnino legendus. Neque legere pigeat Melchior. *Guilandinium* Medicum borussum de *membran. papyr.* seu *Comment. in tria* Plinii major. de *papyro* capita 11. 12. 13. lib. 13. *edition. venet.* 1572. & qui acerrime in eum scripsit, Josephum Justum, sive Julium, *Scaligerum* = *Animadvers.* in *Melchioris Guilandinii Commentar. &c edit. hamburg.* 1682. inter lectiones bibliothecar. memorabiles Rodulphi *Capellii*: denique Scipionem *Maffeium*, qui contra *Scaligerum*, *Vossium*, & *Harduinium* defendit *Guilandinium* in *art. diplom.* l. 2. *Biblioth. Ital. vol.* 2. *pag*, 248.

Nobis quidem tantum nos minime arrogamus, ut rem difficillimis quæstionibus implexam, & ab eruditissimis viris varie tractatam retractemus: præsertim quod ad *Sectani* verba sententiasque illustrandas supervacuum videatur. Satis sit ad rem nostram dixisse, in eo inter Scriptores convenire, ut dicant, primam, in qua homines scripserunt, materiem *saxa* & *lateres* fuisse, ex *Josepho antiq. judaic.* 1. 4. deinde quarumdam arborum (palmarum præsertim ex *Plinio* 13. 2. 11. qui M. *Varronem* affert, & *Isidoro* 6. 12. malvarumque) *folia*; unde nos membranas chartasque, seu duplicem plagulam, *folia* vocitamus: post arborum, (maxime tiliæ) corti-

cem

cem inter & lignum, tenues libros, h. e. interiores tunicas; teste præ cæteris *Plin* lib. 13. 12. = *In foliis primo scriptitatum, deinde quarundam arborum libris* = quare, vetustissimo nunquam abjecto nomine, volumina nostris ex chartis etiamnum *libros* tropice dicimus. Maxime vero in usu fuerunt *papyri* (quæ & Ægypti *biblus*, seu potius *byblus*) philyræ, h. e. membranæ tenuissimæ. *Plin.* 13. 11. de *papyro* = *Præparantur ex eo charta, diviso acu* (al. *scapo*) *in prætenues, sed quamlatissimas, philuras*.

Quandoque etiam in *ceratis tabellis* scriptitatum est, non ita tamen frequenter, ut vulgo creditum est. Multo enim communius fuit, vel a remotissimis temporibus, calamo potius & atramento, quam stilo & incisione, apud hebræos, ægyptios, græcos, romanos, scriptitare: ut optime confirmat *Martorellius* de *reg. thec. calam.* lib. 1. cap. 3. *de sueta scribendi materie &c.*

Adhibitæ etiam quamsæpissime sunt *membranæ*, seu pelles, plurimum ovillæ, ex quibus libri *Ulpiano l. 52. dig. de leg* 3. sunt libri *in corio*, contra ac sentit *Guilandin. papyrac. membr.* 3. *n.* 50. Dictæ etiam *pergamena*, non quod primus *Eumenes* (ut ait *Plin.* 13. 2. ex *Varrone*) Pergami rex, orta circa bibliothecas æmulatione, chartas *Ptolemæo* Ægypti rege supprimente, repererit; sed quod primus ingentem *membranarum* copiam, ad suæ bibliothecæ volumina, confici jusserit. Nam multo antiquiorem fuisse *membranarum* usum satis constat.

Memorantur & *plumbea volumina*, & *libri lintei*, qui tabulæ erant lintea tela inductæ; *libri elephantini*, h. e. ex secto elephanto, sive ebore; qui propterea *Ulpiano l. 52. dig. de leg.* 3. *codices eborei*. Sed ejusmodi scribendi ratio multo infrequentioris fuit usus.

Poste-

Posterioribus vero temporibus inter papyros & membranas (ut ita dicam) nostrasque has chartas locum habuit *charta lanea & bombycina* (*di bambagina*): de qua *Montfocon.* Palæogr. græc. l. 1. c. 2. p. 17. & *Maffeius Istor. Diplom. Bibl. Ital. vol. 2. pag.* 252.

Denique charta hæc nostra, vulgo *europea*, quæ fit ex maceratis pinsisque lineis scrutis, consequuta est, perpetuo, credo, apud omnes gentes ideo duratura, quod ea nihil aptius nihilque commodius excogitari posse videatur. Chambersium (*Chambers*) videas, si lubet, *Dizion. univers. vol.* 2. v. *Carta*; a quo cum plures habes, qui hæc de re scripserunt, tum multa scitu digna, præsertim quæ ad varias variarum chartarum præparandarum conficiendarumque rationes pertinent.

58 *at postquam didicit*] Chartas ex lineis scrutis circa XIV. sæc. medium inventas esse bene conjectat Cl. Hieronymus *Tiraboschius Stor. della Letterat. Ital. vol.* 5. *lib.* 1. *cap.* 4. *p.* 4. *edition. mutinens.* 1775. *pag.* 76. Primus autem inventor fuit (ut in patavina *Cortusiorum* historia eo ipso sæculo scripta ad ann. 134c. & in adnotationibus Andreæ *Redusii*), apud Patavium Tarvisiumque, *Pax* quidam *de Fabiano*. Quare ann. 1366. XIV. calend. septembr. Senatus Venetus decrevit = *quod pro bono & utilitate Artis cartarum, quæ fit in Tarvisio, & maximam confert utilitatem Communi nostro, ordinetur, quod nullo modo possint extrahi stratie a cartis de Venetiis pro portandis alio quam Tarvisium*. Vid. & *Chambers. V. charta*.

62 *penna*] Plin. lib. 16. 36. = *Chartisque serviunt calami, ægyptii maxime*, (qui Apulejo *nilotici*) *cognatione quadam papyri. Probatiores tamen gnidii, & qui in Asia circa anaiticum lacum nascuntur*. Erant autem junci, seu arundines quædam aquatiles. Quare *juncus scriba* in versione *Aquila* legitur, quod

quod in *psalm.* 44. 2. est *lingua mea calamus scribæ*. Bene Petrus Opmeerius (*Opmeer*) *init. Chron.* = *In pugillares scribebant stilis ferreis, in papyro autem arundineis calamis, & postmodum etiam avium pennis.*

65 *hac arte reperta*] Eruditissimus *Tiraboschius* superius enarrat. 45. allatus de typographica inventa hæc scribere pergit = *Io non debbo parimente entrare nella famosa quistione, a chi debbasi propriamente l'invenzione della stampa. E' certo che l'Italia non vi ebbe parte: e a me perciò è indifferente, se Magonza, o Harlem, o Strasburgo, ne debba esser considerata come la patria. Le Opere del Maittaire, del Chevillier, della Caille, del Marchand, del P. Orlandi, dello Schoepflin, e di altri, potranno in ciò istruire chi brami deciderne. Ma sopra tutto meritano di esser lette le Origini Tipografiche di Gherardo* Meermann *stampate all' Aja nel 1765. che più esattamente di tutti ne ha scritto, e che con prove assai convincenti ha dimostrato, che a* Lorenzo Costero *di Harlem deesi propriamente il merito di questa invenzione; ch' egli verso l' anno 1440. n' ebbe la prima idea; e che fu il primo ad usar caratteri mobili, benchè sole di legno; che poscia lui morto un famiglio involatosi segretamente di Harlem insiem co' caratteri fuggissene a Magonza; ove fu poscia perfezionata quest' arte col sostituire a' caratteri di legno que' di metallo; che il primo libro, che in caratteri mobili ivi si stampasse fu la Sacra Scrittura pubblicata nel 1450. della quale edizione tre copie sole si sono finora scoperte, una nella Real Biblioteca di Berlino, una nel Monastero de' Benedettini in Magonza, e una nel Collegio Mazzarini in Parigi ec. Che dall' Alemagna passasse prima in Italia, che in altre provincie è certo. Ma vi è contesa fra le Città Italiane, a quale di essa si debba in ciò il primato, Venezia, Milano, Subiaco, e Roma.*

La più antica Stamperia Italiana, di cui si conservino libri, è quella del Monastero di Subiaco in Campagna di Roma. Il primo libro stampato non fu Lattanzio, *come comunemente si crede; ma fu* il Donato, *o sia* la Grammatica *così detta; come prova chiaramente il* Meermann, *e come affermano i medesimi Stampatori* Sweinheim *e* Pannartz *nel memoriale a* Sisto IV. *l'anno* 1472. *premesso alla Chiesa di* Niccolò da Lira *sopra la Bibbia; ove annoverando i libri da lor impressi, cominciano da questo, ed affermano, che fu il primo* Donati pro puerulis, ut inde principium dicendi sumamus, unde imprimendi initium sumpsimus. *Al* Donato *succedette il* Lattanzio *compito a* 29 *Ottobre* 1465; *poi nel* 1467 de Civitate Dei *di S. Agostino; e finalmente i libri* de Oratore *di Cicerone. Nel* 1467. *da Subiaco passarono a Roma, e 'l primo libro, che vi stamparono, furono le* Lettere familiari *di Cicerone*. Vid. etiam, si placet, *Chambers. vol.* 8. *v. Stampa*.

77 *Gallia*] Tantum, credo, scriptores exteros in suum sermonem vertendi studium ideo gallos incessit, quod una lingua suos assequi posse putarent quicquid unquam ab exteris scriptum esset. Præclare quidem: sed apud eos multo majorem fuisse reor, quam apud nos, bonorum interpretum copiam. Quotusquisque enim nostrorum est (aliquos si exceperis, quos nostra hæc ætas protulit) qui quæ monet *Huetius* abrincarum (*d'Avranches*) pontifex *de optimo genere interpretandi*, & novem illas *Lestangii* leges (quibus decimam *cap.* 15. *part.* 2. *de Stud. Monast.* addidit *Mabillonius*) omnino sancteque servarit? Galli plurimum liberiores, nostri contra verborum servi. In alterutro si peccandum fit, malim cum gallis peccare. Quid enim *Davanzatius*? quid *Dulcius*? quid *Salvinius*? quem iterato Xaverius *Mattheius* noster jure carpit, in eoque homericos versus dicit voce catulliana, *inficeti*

rure

rure inficetiores. Habes ne ab eis *Tacitum*, *Ciceronem*, *Homerum*? an potius exilem quandam illorum umbram?

De Scriptoribus interpretandis bene fciteque differit Hieronymus *Carlius* fenenfis in Præfatione ad felectas *Tibulli*, *Propertii*, & *Albinovani* elegias a Francifco *Corfettio* pariter fenensi tanta elegantia translatas, ut pauci admodum interpretes cum eo comparandi videantur, anno autem 1745. Lucæ editas: ubi *pag*. xxi. Joannem *Lamium* affert in vita *Salvinii* commemorantem, Antonium *Maliabechium* non fine rifu affirmare folitum fuiffe, nullo modo fe ab exteris quibufdam eruditis hominibus obtinere potuiffe, ut *Salvinii* græcorum poetarum interpretationes non profa oratione, fed verfibus, fcriptas crederent.

80 *quin etiam*] Cavit *Ecclefia*, ne Sacra Biblia vernaculas in linguas verterentur, quod *haretici* pro arbitrio pravoque animo verterent. Cæterum exftant Biblia polonica ab Jacobo *Wiechio* juffu Gregorii XIII. translata, Cracoviæ autem, probante Clemente VIII. edita: exftant teutonica *Emferii*, & gallica *Sacy* (alias *de le Maitre*). Non enim improbat, quod chriftiani homines facram hiftoriam divinafque res commodius nofcant; fed jubet non circumferri verfiones, nifi fi ab *Apoftolica Sede* fuerint probatæ, aut annotationibus ab Ecclefiæ Patribus fanifque & catholicis Interpretibus defumptis illuftratæ. Quod & idib. januar. 1757. S. C. auctoritate Benedicti XIV. decrevit. Qua de re videf. Cl. *Matthaium* vol. 2. *Della Tradizione e Confervazione de' Libri Sacri, e dell' autorità delle Verfioni*, fub finem.

75 *rara olim fuerat*] Legenda omnino hanc ad rem elegans ac nervofa Hieronymi *Lagomarfinii* Oratio prima: quæ tota in eo eft, ut *multam dandam effe litteris, at non multis operam* confirmet. De immani librorum numero commode *Cham-*

berſius in *Dizionar. univerſ.* vol. 5. v. *libro*; *Schufnerius* Diſſert. acad. de *multitudine librorum*; & *Lauſſerius* Diſſert. *adverſus nimiam librorum multitudinem* apud *Jour. de Sav.* *vol.* 75. *p.* 572.

86 *vix duo vel tres codiculi*] Qui doctrinam non profiteatur, ei tres tantum libros proponit *Cardanus*; primum, qui clarorum ſanctitate ac virtute hominum vitas complectatur; alterum, qui poeticis venuſtatibus animum recreet; tertium, qui doceat quicquid ad civilem vitam bene inſtituendam pertinet. Fuerunt etiam, qui unum omnino *Sacrarum Scripturarum* volumen præ manibus habendum cenſuerint, ut Dei O. M. in rerum omnium creatione potentiam, in legibus voluntatem noſcas. Sed eſt modus in rebus. *Sectanus* autem noſter tribus tantum ſe libris contentum ſi ſerio dixerit, ad æquitatem eſt revocandus. Quamquam qui ſerio dicere potuit, cum quæ ſcripſit multos eum legiſſe ſatis oſtendant? Utique non librorum copia, ſed delectus doctum facit: delectus autem fieri nequit niſi in multorum numero. Cl. Joannes Vincentius *Gravina*, acri quo erat judicio, bibliothecam ſibi, non ita quidem contractam, ſed paucorum certe voluminum conſtituit. en tibi quæ quantaque erat.

SACRA BIBLIA

CORPUS JURIS CIVILIS.

Heſiodus	Plautus
Sophocles	Terentius
Euripides	Lucretius
Ariſtophanes	Virgilius
Pindarus	Horatius
Herodotus	Ovidius
Thucydides	Catul. Tibul. Prop.

PLA-

PLATO. HOMERUS. CICERO.

Xenophon	Cæsar
Ariſtoteles	Salluſtius
Demoſthenes	Nepos
Iſocrates	Livius

Divina quiſquis & ſtudet mortalia,
Velit loquela quiſquis omnes vincere
Civile Corpus Juris & Sacros Libros.
Platona, Homerum, Tulliumque *perpetuo*
Evolvat, illis & frequenter additos:
Doctos adibit ceteros per ocium.

91 *tabulata Minervæ*) Minerviana Bibliotheca, præclariſſimi *Prædicatorum* Ordinis, non tam litterariis opibus, quam doctiſſimorum per omnem ætatem virorum laude, percelebrata; *Caſanatenſis* poſt dicta eſt ab Hieronymo Cardinale *Caſanata* S. R. E. Bibliothecario, Neapoli nat. idib. jun. 1620. Romæ denat. 11. cal. apr. 1700. qui ſuam bibliothecam illi Ordini teſtamento reliquit.

115 *Cynici*] Philoſophi ab *Antiſthene* profecti, teſte *Cic.* 3. *de Orat. c.* 17. *Cynici* dicti ſunt a *Cynoſarge* gymnaſio, ubi ſectæ auctor verſabatur; vel a græco *κύνες*, *canes*, quaſi *canini* a canina mordacitate, qua in hominum vitia nullo diſcrimine invehebantur; ſive quod canum more omnia in propatulo facere non dubitarent. Hi Phyſica, Dialectica, liberalibuſque artibus, maxime Geometria & Muſica repudiatis, ſoli innitebantur Morali. Stoica inde hæreſis nata,

Dodona] urbs Epiri, juxta quam nemus glandiferum, & templum Jovi ac Veneri ſacrum. Circa templum immanis

erat quercus, ex cujus radicibus fons manabat, qui suo murmure, deorum instinctu, oracula reddebat, eaque anus *Pelias* interpretabatur. Multos annos oracula illa steterunt; donec, quercu ab *Arce* latrone illyrio excisa, conticuerunt. *Stenoiast. Virg. in æn.* 3. 466. *edition. hackian.* 1666. Alii putant, oracula illa petentibus dare consuevisse columbas de nemoris arboribus. *Scholiast. Virg. in Georg.* 1. 149. *ejusd. edition.*

190 *corporis incola sani*] Respexisse videtur ad totum *Juvenalis* locum *sat.* 10. 356. *& seqq.*

Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.
Fortem posce animum, mortis terrore carentem:
Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ; qui ferre queat quoscunque labores;
Nesciat irasci, cupiat nihil, & potiores
Herculis ærumnas credat, sævosque labores
Et Venere & cœnis & pluma Sardanapali.
Monstro, quod ipse tibi possis dare. Semita certe
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.

191 *Mens bona*] Bonæ menti opponebatur *mens mala*: quæ erat *insania*, *dementia*. Tibull. l. 2. eleg. 5. 103.

Et se jurabit mente fuisse mala.

Quem in locum J. Scaliger enarrat, *malam mentem habuisse*, fuisse formulam, qua veteres veniam petebant illatæ injuriæ. *Erat enim* (scribit) *in more positum antiquitus, ut si quis vel dicto vel facto contumeliam alteri flagitiumve fecisse argueretur, is, testificatione pænitentiæ præsentis, gratiam delicti fieri postularet sibi . . . . illud insuper verbis conceptissimis adjurans*, malam se mentem habuisse &c. *Senec.* 3. de *Benef.* 27. de *Ruffo* senatorii ordinis: = *cum malam mentem habuisse se pridie jurasset.*

209 *du-*

209 *duplex Cælia vulnus*] *Phyllidis Scyria act.* 2. *sc.* 2. edition. elsevir. 1678. pag. 67. ita *Serpilla Cælia*.

Invan, ti dico, invano
Tenti rimedio, ove 'l contende il cielo.
Egli è ben ver, che mentre
Fra i miei scuri pensieri
Vado talor fuor di me stessa errando,
Par che quasi di furto Aminta *o* Niso
A se tutta mi traggia.
Ma appena io dico allora,
Son tua, che di repente
Sorge l'altro, e mostrando
Per mia cagione anch'egli
Squarciato il petto e i panni,
A forza di pietà me li ritoglie.
Così in perpetua guerra
Alternando fra loro
Brevissime vittorie,
Non so a cui dar la palma:
Ma lascio ad ambidue
Povera preda ed infelice il core.

213 *præcipuus*] Non ideo inventa poesis, ut hominum pectora corrumperentur; sed ut ne aspera legumlatorum ac philosophorum præcepta ac monita ad vitam recte instituendam, carminum dulcedine mollita, fastidirent. Quare (ut egregie *Mabillonius part.* 2. *cap.* 15. *de Stud. monastic.*) *suo non caret fructu poesis, ea præcipue utentibus, quatenus speciosiores vividioresque veritates, quæ majoris sunt momenti, adumbrentur, virtutes illustrentur, vitiorumque horror egregiis imaginibus*, (quod eximie factum vides in hisce *Sectani* satyris) *figuris, vocibus, & periodis exprimatur: inquit enim Tullius*

primo Tusculan. o præclaram emendatricem vitæ poeticam! *Verum hoc opus, hic labor est &c.* Et sane, ex *Horatio Art. poet.* 343. ille præstantissimus poeta, qui dulcis pariter & utilis.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci
Lectorem delectando pariterque monendo.

Idemque *v.* 391. *& seqq.* belle memorat quomodo antiquissimi illi poetæ *Orpheus* & *Amphion* poesi usi sunt; qui præcepta moralia suis carminibus complexi, homines a cædibus victuque ferino ad communem civilis vitæ societatem cultosque mores blanda quasi fascinatione attraxerunt.

Utique ex eodem *Horatio* ad metam voluptatem quædam scribuntur carminum genera: sed voluptatem intelligas, quæ innocua sit, quæque nullam animis labem inferat. Cæterum quosdam christiani nominis poetas pudeat, *Virgilium* tam caute prudenterque versatum esse quibusdam in rebus, eumque vita, ore, & animo tam fuisse probum, ut vulgo, a virgineis moribus, *Parthenias*, seu *Parthenius* diceretur.

219 *censura & regula morum*] In tanto *moralistarum* numero, nil mirum, si non omnes pari scripserint judicii acumine, doctrina, prudentiaque; neque pari propterea auctoritate & fama floreant. Aliqui certe sunt (quid enim dissimulemus?) qui multo satius fecissent, si de moribus ne unam quidem quæstiunculam unquam attigissent. Multa apud eos fœde detorta; multa temere allata; multa subtilius, quam par esset, disputata; multa (quod *Sectanus* vituperat) obscœno verborum circuitu explicata. Serio autem hic *Sectanum* rem detestari colligitur ex ejus epistola XIV. *Victori Felici Couccio* data pag. 205. ubi vulgatissimæ excusationi respondet: quæ obscœne traduntur *Confessariis* esse necessaria, nec tradi ad eruditionem legenda. *Theologia*, (inquit) *quam* mora-

talem *vocant*, *eo*, *fatali quodam litterarum senio*, *redacta est*; *ut etiam atque etiam cavendum sit*, *ne illam probi adolescentes*, *aut integerrimi juvenes attingant*; *alioquin orationis lenocinio pellecti turpibus pedicis implicabuntur*, *& nomen dabunt improbitati*. *Quas enim fœditates morales auctorum libri*, *qua dedecora publice non exponunt*? *Qui unquam tam sordidi cantones*, *ut illorum paginas aquare possint*? ...... *Scio te responsurum Confessariis ista necessaria esse*, *non tradi ad eruditionem legenda*. *Quasi videlicet ante hoc saculum*, *in quo nata est hac sordida scribendi farrago*, *nullus esset pœnitens*, *nemo Confessarius*, *nullus concupiscentia fomes &c.* Neque minus vehementer J. V. *Gravina vol.* 2. *edit. Venet.* 1758. *pag.* 205. in opusculo inscripto = *Hydra mystica*, sive *de corrupta morali doctrina*. Afferre prætermittimus, quod clarissimi Viri libri obvii sint.

220 *sed intus*] Credo equidem ideo multa apud *moralistas* obscœna esse, quod minus latine sciat cum qui scribunt, tum qui legunt, multi; ut qui scribunt legentium ignorantia suam prætexant. Neque Augusti vivimus ætate, qua quidquid de quacumque re, etiam *didascalica* & morali, scriberetur, eleganter scribebatur, habita non tam sententiarum, quam verborum ratione. Res sententiasque maxime curandas prædicant nostri: verba, ac locutionis quasi vestem negligunt. At qui res niteant sine verborum lumine ac delectu? A Cl. *Antonio Genovesio* illud ipsi Neapoli accepimus = *ita plane*: *Scientia fiunt stilo venusta*: atque ut ipsa illius verba afferamus: *non c' è che dire*: *lo stile è quello che fa belle le Scienze*.

226 *scriptores*] Præclare admodum Theologi aliquot *de matrimonio* scripserunt, qui celebratissimi sunt. Nonnulli vero eam rem ita versarunt, easque leges nuptis imposuere, ut parum certe conjugiis publicoque bono profuerint, ne dicam obfuerint, eorum libri.

241 *Lu-*

241 *Luperco*] Luperci à *Lupercalibus* dicti. *Lupercalia* autem festa erant & sacrificia; quæ februantes romani juvenes *Pani Licæo* offerebant; vel ab *Evandro* ex Arcadia allata; ut *Liv.* 1. 5. & *Justin.* 43. 1. 6. vel à *Romulo* & *Remo* instituta propter factam sibi a *Numitore* avo potestatem condendæ Urbis in monte Palatino, ubi servati fuerant; ut *Val. Max.* 2. 2. 9. In iis *nobiles juvenes* (Plutarch. in Cæs.) *frequentes, & magistratus, nudi* (non tamen omnino, & cur nudi habet *Ovid.* 2. fastor. 283.) *per Urbem discurrunt, hirsutis scuticis obvios per ludum & jocum cadentes. Multa quoque principes fœmina ex composito offerunt se illis, ac manus ferientibus, sicut in ludo litterario, offerunt, creduntque id ad facile puerperium prægnantibus, & infœcundis proficere ad conceptum.* Quare *Ovid. Fast.* 2. 425.

Nupta quid expectas? non tu pallentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe fœcunda patienter verbera dextra,
Jam socer optati nomen habebit avi.

Ubi & originem habes, non ex *Evandri* adventu, sed plurimos post annos raptasque Sabinas moris in Urbe recepti. *Lupercorum* autem duo fuerunt ordines, *Fabianorum*, & *Quintilianorum* à *Fabiis*, & *Quintiliis*: quibus additus tertius *Julianorum* in honorem *C. Julii Cæsaris*, ut est apud *Sueton. in ejus vita*. Primo pastores fuere: paullatim nobilissimi civitatis, adolescentes præsertim, iis sacris initiari soliti sunt. Hinc *M. Antonium* fuisse *Lupercum* habet *Cic.* 2. *Phil.* 34. *Ita eras Lupercus, ut te consulem esse meminisse deberes.*

276 *Castrensis*] Paullus *di Castro*, ità a patria *Castro*, oppido in Faliscis (non in provincia hydruntina, ut male *Morerius*) dictus sec. xv. ita Jurisprudentiæ laude floruit, ut

de

de eo dicerent homines : *si Bartolus non esset, esset Paulus*. Florentiæ, Bononiæ, Ferrariæ, Senis, Patavii docuit.

286 *bissenis Tabulis*] Romanarum legum duodecim tabulis æneis nil celebrius. Annis fere viginti post exactos Reges, cum populus romanus incerto potius jure moribusque regeretur, quam certis legibus, postulante per suos tribunos plebe contra patriciorum dominationem arbitriumque, ut communis aliqua ferendarum legum ratio iniretur, Sctum, auctore *Tit. Romilio* viro consulari factum est, & plebiscito confirmatum; ut legati Athenas & Lacedæmonem, duos quasi Græciæ oculos, ceterasque in Græciæ civitates mitterentur, qui cognitis illarum institutis legibusque, exemplum inde caperent, ac Romam deportarent. Missi *Sp. Posthumius Albus*, *A. Manlius*, & *Serv. Sulpicius* ex Liv. *lib*. 3. *c*. 31. qui totum in legatione triennium consumpserunt. Placuit exinde Senatui post longam disputationem ac sententiarum varietatem, ut ex senatoribus Decemviri ferendis legibus crearentur, qui cum summa potestate essent; neque ab eis ad populum liceret provocare. Creati sunt an. U. C. 301. comitiis centuriatis; eorumque nomina refert *Livius lib*. 3. *c*. 33. Compositas tandem leges absolutasque, & decem (pro numero auctorum) tabulis æneis (eboreas vult *Pomponius*) scriptas maxima solemnitate promulgarunt, & comitiis centuriatis universi pop. rom. consensu confirmari curarunt: ut apud *Dionys*. 10. & *Liv. lib*. 3. *cap*. 32. 33. 34. Altero autem post hanc promulgationem anno iterum creati Xviri, qui duas novas tabulas addiderunt, ut ex x. fierent xii. quæ pro Rostris propositæ post in Capitolio asservatæ sunt. *Rittershus*. proleg. in xii. tabul. leg. *Manut. de* leg. rom. c. 2. *Augustin. de* legib. in thes. antiq. rom. Græv. vol. 2. Eas in leges qui aliquid scripserunt, ex *veteribus* fuere *Sext. Ælius*, *M. Porcius Cato*, *Serv*.

Serv. Sulpicius, *Antistius Labeo*, *Tit. Cajus*, *Sext. Pompejus Festus*, *M. Tullius Cicero.*; ex *recentioribus*, præter allatos, *Aymarus Rivallius*, *Joannes Oldendorpius*, *Valentinianus Forsterius*, *Franciscus Balduinius*, *Antonius Contius*, *Franciscus Hotomanius*, *Jacobus Ravardius*, *Joannes Crispinius*, *Joannes Rosinius*, *Stephanus Vinandus Pighius*, *Theodorus Marcilius*, *Franciscus Pithœius*, *Hadrianus Turnebius*, *Justus Lipsius*. *A Justo Lipsio*, *Ludovico Charondio*, & *Theodoro Marcilio* collectas exhibet *Demsterius*, *Paralipom. in Rosin. antiq rom.* 8. 6. His autem omnibus addas *Jacobum Gathofredium*, & *Joannem Vincentium Gravinam*, qui in secundo libro *Originum juris civilis* XII. *tabul. leges* interpretatus est.

Rabula] Vocem *rabula* latini grammatici, sive a *rava* voce ex nimio clamore contracta, sive a *rabie canina*, qua latrare potius quam orare videntur clamosi quidam vilesque causidici, sive a *radendo* (quod minus probabile) litigantium peculio, interpretati sunt. Sed primam eamque veram originem non ex latino, sed ex hebraico syrove sermone arcessit eruditissimus *Mazzochius* in *Vossii etymolog.* ad v. *Rabula*, *edit. reg. neapol.* utique legendus : qui & illud præclare animadvertit, vocem *rabula* causidicum certe qualemcumque significasse, sed, ex malorum causidicorum vitio, cœpisse in deteriorem partem sæpe accipi. Nam est apud *Cicer.* in *Bruto* = *Rabula sane probabiles* P. *Antistius*. Erant igitur *rabulæ* tam inepti quam probabiles causidici.

294 *gravida .... chartæ*] Pyrobolos, vulgo *razzi*, belle describit *Carolus de Aquino* in *lex. militar. part.* 2. *edition. rom.* 1724. *pag.* 222. quem afferimus = *Longe frequentior est hujus vocis usurpatio apud recentes scriptores pro genere ignium missilium, sed fere innocuorum, & erraticis suis flexuosisque motibus per aerem urbes exhilarantium, cum insigniores incidunt dierum*

rum

rum solemnitates celebrandæ. Papyracei autem sunt & cylindrici tubi, pyrio pulvere constipati, probe resticulis adstricti illigatique in capitibus. Exstat in longum prominens virgula arundinea, quæ lusorii jaculi iter per aerem dirigit. Applicito ad fomitem igniculo chartaceæ continuo evolant faculæ, scintillasque longo sulco evomentes, miris jucundisque per noctem & obscurum aerem flexibus & mæandris excurrunt. Ex iis simul adnexis machinæ, statuæ, & omnia figurarum genera conficiuntur. Incenduntur mox illæ admoto ordinatim igne: prorumpentesque subinde cum festivis fragoribus tubuli confertum populum lætissimo spectaculo detinent oblectantque. Razzi matti, girandole, fuochi artifiziati.

297 *vexilla*] Primarium illud *Turcarum* vexillum, quod *Joannes III.* polonorum Rex ad *Innocentium XI.* misit, arabicis litteris inscriptum, *Ludovicus Maraccius* lucensis Congreg. Matris Dei, qui fuit *Innocentii* a confessionibus, qua erat orientalium linguarum peritia, interpretatus est, edito Romæ *typis Komarekian.* libro 1683. *in fol.* cui titulus: *Lo Stendardo Ottomanico spiegato; ovvero Dichiarazione delle parole arabiche poste nello Stendardo Reale preso dal Serenissimo Re di Polonia Giovanni III. al Gran Visire de' Turchi, e dal medesimo inviato per tributo della sua pietà alla Santità di nostro Signore Papa Innocenzo XI.* Pluribus præterea docte diligenterque scriptis, ut qui græce, hebraice, chaldaice, syriace, arabice, & latine sciret (arabicæ iccirco linguæ professor in romano Archigymnasio ab Alexandro VII. P. M. an. 1656. designatus) præsertim vero *Sacrorum Bibliorum arabica versione*, *Alcorani* pariter *versione* & *censura*, & *Laminarum Granatensium* itidem *censura*, jussu Innocentii X. elucubrata, sui nominis memoriam æternitati commendavit *Marraccius* nat. prid. non. octobr. 1612. non. autem febr. 1700. denat.

357 *in-*

357 *iulea*] Vox *juleus* proprie valet aliquid ad *Julum* pertinens, vel ad aliquem e gente *Julia*, præcipue ad *C. Cæsarem*, aut ad *Augustum*: deinde vero universim ad quemcumque *Cæsarem* prolata est. Quare *Martial.* 9. 36. 9.

Cujus iulea capiti nascantur olivæ.

ubi *iulea* idem sonat ac *cæsarea*: sensus quippe est: scis cui Cæsar (*Domitianus*) daturus sit coronas. Nam (annotat *Domitius Calderinius*) *victores in quinquatriis albanis oleagina corona auro expressa Cæsar donabat.* Iterum *Martial.* 9. *epigr.* 102. 18.

Solus iuleas cum jam retineret habenas.

quem imitatus *Sectanus* sat. 15. 483 *iuleas qui non meditetur habenas*, h. e. imperium cæsareum seu romanum. Adrianus *Turnebius adversar.* 17. 9. *Lactantium*, in carmine *de phœnice*, canoros hujus avis modulos appellantem *iuleas voces* ita interpretatur, ut *musicas* & *canoras* intelligat; quales erant musicorum, qui ab Imperatoribus (quos *Iulos* interdum dicunt poetæ) in triplici certamine quinquennali Jovi capitolino instituto, gymnico, scenico, musico, (teste *Sueton.* in *Domitiano c.* 4.) committebantur: quod ut confirmet, allatum *Martialis* locum, & quidem, quo diximus, sensu profert.

370 *statuitque tabellas*] In funebri pompa apud Sinenses, jussu Imperatoris, Mathematico suo *Joanni Adamo Schaalio* (Schaal) christiano atque adeo sacri Ordinis homini celebrata, ei, præter splendidas oblationes ceteraque ad sinicum morem, tabella suspensa est, inscripta: *Sedes spiritus Patris Joannis Adami Schaal.* Elogium quoque additum; in quo defunctum ipse compellabat Imperator, hisque verbis concludebat: *& quando is es, qui etiam nunc percipis sensum animi mei, potes utique venire, & quæ offerimus suscipere.* Hæc ex gallico libello italice reddito, cui titulus: *Difesa del giudizio formato*

dalla

dalla S. Sede Apostolica nel dì 20. Novembre 1704. *&c. intorno a' Riti e Cerimonie Cinesi. In Torino* 1709. *Appendice prima, n°.* VII. *pag.* 99.

373 *divide commissos*] Ita Benedictus XIV. in Constitutione. *Ex quo* §. 5. *De his autem absurdis certior factus Innocentius Papa XII. Prædecessor noster, id muneris sui omnino esse putavit, ut perniciosis adeo dissidiis finis daretur: proinde exactam maximeque accuratam hujus controversiæ discussionem Sacræ Inquisitionis Congregationi commisit. Cumque nihil intentatum reliquisset, quo sinceram facti notitiam obtineret, firmata quoque fuerunt de illius mandato summa cum diligentia quæsita, quæ per eandem Sacram Congregationem resolverentur.* §. 6. *Quæsitorum illorum examen Innocentii Papæ XII. mors intercepit. Clemens autem XI. qui successit, Prædecessoris sui zelo plenus, coram se quæsitorum eorumdem examen fieri voluit &c.*

374 *calumne an cæli*] In Constitut. Clementis XI. *Ex illa die* hæc habentur decreta.

Cum Deus O. M. congrue apud Sinas vocabulis europæis exprimi nequeat, ad eundem verum Deum significandum vocabulum Tien Chu, *hoc est* Cæli Dominus, *quod a Sinensibus Missionariis & Fidelibus longo ac probato usu receptum esse dignoscitur, admittendum esse: nomina vero* Tien Cælum & Xang Ti, Supremus Imperator, *penitus rejicienda.*

Idcirco Tabellas cum inscriptione sinica KING TIEN, Cælum colito, *in Ecclesiis Christianorum appendi, seu jam appensas in posterum inibi retineri permittendum non esse.*

SATYRA XVIII.

ARGUMENTUM.

INnocentio XII. P. M. exstincto, gravioribus forte curis implicitus a satyris in novo regno diu Sectanus abstinuit. Singulari autem Clementis XI. beneficio factum tandem est, ut & ultimum hoc ederet clarissimi ingenii monumentum. Nam a quirinali ad vaticanas ædes Maximus ille Pontifex animi caussa cum venisset, Sectanum adhibuit; eique pomaria, porticus, statuas, & ambulacra a se regio splendore ornata ac restituta summa, qua solebat, benignitate perlustrandi copiam fecit. Itaque domum reversus secumque reputans eximiam clementissimi Principis humanitatem, sumptusque in Urbis decus & principatus majestatem positos, præclaram inde cepit scribendi occasionem. Tota igitur satyra in Clementis ferme laudibus versatur. Ac primo pietatem & leonianam facundiam in sacris inter Missarum solemnia orationibus habendis prosequitur. Deinde Raphaelis picturas in Sixti fornicibus, & aula constantiniana vetustate labefactatas, antiquum præterea Pantheon in pristinam pulchritudinem revocatum, additoque obelisco, aream exornatam, aliaque egregia opera tota Urbe sive excitata, sive opportune reparata, pro dignitate commemorat. Liberalium artium Academiam in capitolinis ædibus institutam laudat: Arcadiam vero ab insano turbulentorum furore vexatam ut suam in fidem recipiat, certaque attributa sede tuea-

tueatur, Pontificis liberalitatem obsecrat. Principum regumque facta, quantumvis magnifica & immortali nomine digna, temporis non voracitatem effugere; nec diu quicquam in hominum memoria duraturum, nisi ope ac præcipuo scriptorum præsidio. Quare Clementem hortatur, ut bonarum cultores litterarum præmiis fortunisque augeat, præsentique amplectatur patrocinio, si rerum gestarum perennitati consultum velit. Bellorum demum christianos inter reges incendia, Turcarum in nostram perniciem apparatus, ceterasque assiduas curas, quibus optimus Pontifex diu noctuque premebatur, commiseratus, prospera ei cuncta & fausta præsagiente animo vaticinatur. Habes uno in carmine duo inter se maxime diversa, satyram & panegyrim, tanta nexus concinnitate conjuncta; ut nescias virtus ne gravius copiosiusque commendata, an vitium acrius confossum. Scripta videtur satyra ineunte anno MDCCXVII. *cum Turcæ maximo bello, quod cum Cæsare & Venetis terra marique gessere, accepta ad Savum flumen clade, Temesvariam deditione amiserant, & a Corcyra in ionio mari insula obsidione premenda destiterant. Ut autem multa existerent manu exemplaria scripta, nunc tamen primum typis mandatam habes.*

Italiæ spes una, Deo vicina Potestas,
Magne Pater, mundi Præses, tutelaque rerum,
Cujus adoratis devolvor in oscula plantis,

Si

1 *Italia*] De hac Satyra ne pigeat legere *enarrat*. Postquam Turcarum classis ann. 1716. Corcyram obsedit, tota Italia trepidatum est. quare Clemens XI. P. M. ut a Venetis atque Italia formido-

Si pateris, solitæ torquebunt nablia chordæ;
Optatumque diu romanas carmen in aures
Descendet. Vitiis sancto sub Principe semper
Irasci tutum; verique assertor & æqui
Nil intermissum dubitet tractare flagellum.
Sed de fæce Numæ quamvis distringere mores
Ardor agat, latoque seges curvetur in agro;

dolosissimum bellum averteret, Cæsari persuasit, ut novo cum Venetis instaurato fœdere, arma Turcis inferret, Venetos classe, commeatu, quodque est præcipuus belli nervus, pecunia illos & Cæsarem juvit. Ejus hortatu complures christiani Principes naves, argentum, milites contulerunt. *Unam* propterea *spem Italiæ* Clementem dicit; cujus auctoritate consilio & ope nobilissima provincia teterrimi prædonis faucibus erepta fuerat. *Deo vicina*] Romani Pontificis, qui sacratissimas Christi vices gerit in terris, potestatem divinæ esse affinem, prima ipsa in Petro dignitatis institutio demonstrat.

4 *si pateris*] Principis animum demulcet; seque nisi bona cum ejus venia non satyras scripturum profitetur. *nablia*] reposuimus pro *cymbala*, ut in *Sat.* 8. 1.

5 *optatumque*] Quas sub Innocentio XII. vulgaverat, universæ Urbi satyræ placuere. Itaque diuturnum viginti circiter annorum silentium pati amplius non poterat, *optatumque diu carmen* efflagitabat.

6 *vitiis sancto*] Præclara optimi Principis laus, qui quam maxime virtutibus ipse excellit, tam maxime putat emendari oportere hominum vitia. Nullum igitur sibi periculum creat, qui bono sub Principe pravos hominum mores flagellet. Contra periculosum sub malis Principibus vitia reprehendere; quod male sibi conscii nihil non in sui contumeliam in satyris dictum suspicari soleant.

9 *de fæce Numæ*] romanorum mores, a *Numa* secundo eorum rege: *fæx Numæ* est romana plebs.

10 *latoque seges*] Pulchre vitiorum

Virtutes nomenque tuum divinaque facta
Præteriisse nefas. Lacrymis in limine regni
Suspiciant alii vittas madidamque tiaram,
Dum triduo immoti penderent vota Senatus;
Et magnæ attoniti stupeant novitate repulsæ.
Me potiora trahunt, tunc cum dicturus ad aram,
Et latio graioque simul spectandus amictu,
Pa-

late succrescentium luxuriam segetem, & quidem gravidam, dicit, satyrica falce quodammodo demetendam.

12 *lacrymis*] Constat, ad æternum Romanæ Ecclesiæ nomen & gloriam, *Clementem XI.* summo omnium *Cardinalium* consensu delatam sibi maximam potestatem a se, tanquam calamitatem aliquam suppliciumque, repulisse: sed frustra deprecantem, & mœrore gemitibusque ac macie toto triduo tabescentem, *Cardinalium* tandem constantia victum, lacrymis uberrime fusis, apostolici muneris onus, tum maxime grave, sustulisse. Vid *enarration.*

14 *dum triduo*] Ancipiti exspectatione arrectis animis, triduo cunctatum est; dum doctrina ac probitate gravissimi tres Viri (vid. *enarr.*) quos consulendos censuit, Joanni Francisco Cardin. *Albanio* responderent: num sine culpa & Numinis indignatione posset Pontificatum recusare.

15 *novitate repulsæ*] quæ tantam ubique excitavit admirationem, ut ipsi *hæretici* laudibus vel publicis extulerint, præsertim vero norimbergenses, qui eam ob rem numismata aurea & argentea cuderunt, eorumque aliqua illo ex *Claudiano* epigrammate apte inscripserunt. SOLUS MERUIT REGNARE ROGATUS. *Guarnacc.* in *Clem. XI. edit. rom.* 1751. *pag.* 3.

16 *me potiora*] Mirentur alii tuas illas lacrymas, tantamque repulsam omnium linguis & calamis celebratam: majora mihi sunt, quæ mirer; ac primo divina in *homiliis* facundia.

17 *& latio*] Augustioribus pontificiis vestibus ornatus inter sacrorum solemnia homilias recitabat
Cla-

Pascis oves docilemque gregem. Quæ copia fandi!
Quantaque flexanimis manat facundia labris!
Par quoque sermoni vultus; gestuque sequaces
Demulces animos, & majestate peroras.
Niliaca excisæ labentur rupe columnæ,
Signaque & æra cadent, & marmora longa Syenes,
Et quæcunque vides, quibus Urbs hæc alma superbit:
Non tamen occulto tentabit dente vetustas
Eloquii monumenta tui; ferosque nepotes
Institues dictis, longumque docebis in ævum
Pastor perpetuus, primaque e sede Magister.

 At

Clemens XI. quæ vestes ex latino simul & græco ritu, quales supremo utriusque Ecclesiæ Maximoque Præsidi conveniunt.

18 *pascis oves*] Homilias intelligit sacra eloquentia præclaras, quas pascendo gregi dixit in basilicis vaticana & liberiana.

20 *par quoque*] Tantus in *Clemente* fuit vultus bonor & dignitas, tam suavis aptaque pronunciatio, ut res ipsæ non magis oratione, quam oris majestate ac gestus concinnitate, commendari viderentur.

22 *niliaca*] h. e. ægyptia. Sensus est: marmoreæ atque æreæ statuæ, columnæ, atque obelisci e marmore ægyptio, aliaque ejusmodi Urbis ornamenta interibunt; homiliæ vero istæ tuæ æternum vivent.

23 *marmora longa*] obelisci. *Plin.* 36. 8. = *circa Syenen vero* (quæ fuit urbs Ægypti in finibus Æthiopum, hodie *Asna*) *Thebaidis syenites* (lapis) *quem ante pyrrhopœcilon vocabant. Trabes ex eo fecere reges quodam certamine, obeliscos vocantes Solis numini sacratos.*

28 *Pastor perpetuus*] tuis homiliis, litterarum immortalitati traditis, totam divino verbo pascis posteritatem; ideoque perpetuus vivis pastor ac magister.

At cui cor fervet, lævaque in parte mamilla
Rite ſalit paullum, thuſcis tua ſcripta camœnis
Commiſiſſe, & Pindi nugis temerata profanis
Ferre nequit; quamvis Cirrhæ de fontibus auctor
Delibaſſet aquas. Quoties te, Maxime Princeps,
Eſt audire datum (prohibent nam ſæpe cuculli
Denſi humeris) rapior ſupra mortale, tuoque
Pendet ab ore meæ quæcunque eſt portio vitæ:
Et voce & nutu mentis moderaris habenas.
Attamen inverſos tuſco dum carmine vultus
In-

29 *at cui cor*] qui bono utitur ſenſu. *Perſ. ſat.* 3. 111. *cor tibi rite ſalit* ... Vid. *ſat.* 10. 228.

30 *thuſcis*] Alexander *Guidius* in pluribus pertractandis majeſtate ac dignitate præclaris argumentis feliciſſima audacia magnaque cum laude verſatus eſt: ſed *Clementis XI.* homilias, hetruſca paraphraſi verſibus concinnata, reddidit impari laude.

31 *Pindi nugis*] Poeticæ venuſtates & floſculi præ ſacri illius eloquii gravitate ac majeſtate ſunt quaſi nugæ profanæ, quas illa quodammodo commaculatur.

32 *quamvis Cirrhæ*] Ut ex aganippeo fonte large biberit *Guidius*, h. e. egregius fuerit poeta, eum tamen reprehendit *Sectanus*, quod hetruſcorum carminum mollitie ſacras Pontificis Maximi orationes contaminarit.

34 *prohibent*] Agreſtem Cucullatorum morem notat, qui nullo ad quemquam vel primarium virum habito reſpectu, ultra quam par eſſet ſeſe inferre ſolerent, & commodioribus locis obſeſſis confertiſſimi ita anteſtare, ut *Sectanus* dicentem Pontificem tum videndi tum audiendi ſpe prorſus deſtitueretur.

38 *inverſos*] inverſas homilias, & quidem duplici inverſione, ſermonis & numerorum.

Intueor, notæque fugit me gratia formæ,
Exclamare libet: quæ tanta audacia fuco
Cœleſtis faciem matronæ obnubere? non eſt
Fas tibi ridiculas in templum adducere pupas,
Aut centum . . . . Cineri ſed parcat muſa ſepulto.
Quin tumulum ſpargam foliis, quæ Phœbus amavit,
Perpetuaque roſa; dum non tam dira cupido
Sollicitet manes, Torquato ut proximus eſſe

39 *notæque*] latinas non video, quales natæ ſunt, non minus gratia quam gravitate decoras.

40 *fuco*] Stomachatur pigmentis & fuco poeticæ ſuæ eloquentiæ inquinatum a *Guidio* ſplendorem, divinumque os cœleſtis matronæ poetarum meretriciis quodammodo coloribus illitum.

41 *non eſt*] Ad *Guidium* indignatus convertitur.

42 *pupas*] muſas intelligit, quas *Guidius* a ſe hoſpitio exceptas multis in locis ſuorum carminum glorioſius prædicavit.

43 *aut centum*] Mens erat dicere *centum* equos: ſed pulcherrima reticentia ſermonem abrumpit; ne cum *Guidii* memoria nimis aſpere agere videatur. Centum equos alis inſtructos ſibi præſto eſſe poetice gloriabatur *Guidius* (ut in *ſat.* 4. 222.) quorum ope heroas humo ſublatos in cælum laudibus tolleret. Reſpicit autem ad odem *Endymioni* præmiſſam, ubi: = *Cultor ſon io dell' altrui bella lode*, = *Cui levo in alto co' ſonori verſi*; = *Ed ho cento deſtrieri.* = *Sulla riva ec.* .... = *cineri*] Hæc dum ſcriberet *Sectanus* obierat *Guidius*. Negat propterea ſollicitandos manes Viri ceteroquin egregii; quem, etſi in eo erravit ut ſacras *Clementis* homilias calamiſtris inureret, debitis tamen laudibus fraudandum non putat, quas pulcherrimis aliis carminibus promeruit; dignumque exiſtimat, cujus tumulus roſis & lauro ſpargatur Phœbo dilecta.

46 *Torquato*] Jubente *Clemente XI.* Alexander *Guidius* in *S. Honu-phrii*

Carminibus, focioque velit contendere bufto,
Et paribus miferum titulis incidere faxum.
Sunt alii, qui grande putant operæ pretium, fi
Sermones græca ftudeant convertere lingua.
Ingenium laudo, quoniam jejunus aquai
Sum, fateor, nullaque trahor dulcedine kappa;
Nec ficulum aufoniis Diodorum exponere verbis
Ante ftolatarum cathedras nitor. Faciant hoc
Difcipuli audaces Jani calabrique Bionis,

As-

phrii templum in Janiculo tranflatus prope magnos (ut in votis habuerat) Torquati *Taffi* cineres conquiefcit, addito elogio, quo utpote lyricæ poefis cultor celeberrimus prædicatur. Hinc certe anfam fumfit *Sectanus* eum carpendi, quem tamen & *Clemens* ipfe XI. & alii præclariffimi Viri fufpexere.

49 *funt alii*] Fuere, qui eas homilias in græcum fermonem converterint. *Sectanus* putat longe fuiffe melius futurum ab ejufmodi verfionibus abftinere: græcam fiquidem linguam, dulcem illam quidem ac fuavem, non poffe romani fermonis vim & majeftatem repræfentare.

51 *jejunus aquai*] græcæ linguæ; ut *fat.* 13. 214.

52 *kappa*] quod eft græcum elementum, pro tota lingua.

53 *nec ficulum*] Diodorum ficulum pofuit pro quocumque græco fcriptore. Putidam quorumdam vanitatem vellicat, qui ut ad gloriolam vulgique famam fibi viam fternant, primum nobilium matronarum opinionem captant, & fi quæ fapientes videri velint, gravem fcriptorem aliquem græcum latinumve ad eas afferunt, legunt, enarrant, feu verius nugas ajunt. Vid. *enarr.*

54 *ftolatarum*] matronarum fellas, ut alibi. *faciant hoc*] Philodemum, ejufque difcipulos ea uti folitos arte iterum iterumque dixit in fuperioribus fatyris.

Assueti nebulis fumoque adsciscere pondus.
Certe ego putidulis quamvis lactatus iotis
A puero, mediisque forem nutritus Athenis,
Nil tale auderem. Quid tu, quem trita fatigant
Lexica? quæris opem, verboque moraris in omni:
At postquam duro versa est tibi syllaba nisu,
Non bene respondent numeri, junctura, modusque.
Et longe archetypo distans balbutit imago.
Nonne vides quanta se majestate latinus
Sermo ferat, quantaque fluat prædivite vena
Largus opum, tumidisque nihil mendicet ab Argis?

Hunc

56 *nebulis*] vanis verbis res levissimas inflare. *Hor.* 1. *epist.* 19. 42 .... *& nugis addere pondus*.

57 *lactatus*] etsi græcam linguam in Græcia natus cum lacte suxissem.

59 *nil tale*] Clementis homiliarum græcam versionem: quam qui aggreditur, postquam duro labore lexicorum ope verba verbis respondentia invenerit, quid tandem consequitur, si latini illi numeri, nexus, & colores desiderantur?

63 *& longe archetypo*] Duplici eaque pereleganti utitur metaphora. Versionem ejusmodi balbutientem dicit imaginem, quæ nec veram exprimat formam, nec expeditos reddat linguæ sonos. archetypæ homiliæ sunt quasi vox, versiones autem quasi vocis imago, (*eco*) sed imperfecta balbutiensque.

65 *sermo ferat*] Latinum si legas *Clementem*, regium quasi flumen habes; si vero græcum, habes quasi rivum inter saxa strepentem. Vides quid inter archetypum, & imaginem intersit.

66 *tumidisque*] nativa majestate grandis nihil mendicet a tumore græco.

Hunc ego, divini si porticus alta Platonis
Staret adhuc, legerem cunctis exemplar achivis.
Ecquis enim dubitet Romam præferre Corintho,
Vera ubi præcipuum posuit sapientia regnum?
Tempore non alio summa ad fastigia crevit
Gloria romulidum: neque enim facundus & idem
Maximus Orator bibulas tantum imbuis aures
Eloquio, & plenæ moderaris fræna coronæ;
Sed magno pulchras artes dignaris honore,
Amplexuque foves. Hinc alta palatia, sedes

Prin-

67 *hunc ego*] Clementis sermones ipsis græcis omnibus, vel si maxime eloquentiæ laude floreret Græcia, ut Platonis ætate, exemplar proponerem.

70 *vera ubi*] Ibi vera sapientia, ubi vera religio: veræ autem religionis præcipua sedes Roma, *civitas sacerdotalis & regia, per sacram beati Petri Sedem caput orbis effecta, latius præsidens religione divina, quam dominatione terrena*; ait D. Leo *serm. I. in natal. Apost. Petri & Pauli*.

71 *tempore*] Nunquam gloriosior feliciorque Roma, quam te regnante, qui non modo aurea eloquentia animos regis, verum etiam ingenuas pulcrasque artes honore afficis, patrocinio foves.

73 *bibulas*] te audiendi avidissimas.

74 *coronæ*] auditorum frequentissimæ.

75 *sed magno*] Litteras & artes, ut illius regni monumenta testantur, honoribus, præmiis, tutela tam *Clemens XI.* auxit, quam qui maxime.

76 *alta palatia*] Vaticanum palatium a multo jam tempore non habitabant Romani Pontifices: inde factum est, ut picturæ squalerent, parietes paullatim fatiscerent, viridaria, ambulacra, aliaque ejusmodi amœnitatis & magnificentiæ ornamenta dilaberentur. *Clemens XI.* pulcherrimas ædes

Principis, & longo paries consumptus ab ævo,
Urbinas olim quem delinivit Apelles
Prodigiis, senio exutus renovare juventam
Cernitur. Albani quamvis veterisque falerni
Plusquam mille cados sitiens pictura propinet,
Artifici multum tua se debere fatetur
Urbs æterna, cui famam & decora ampla tueris.
Cuncta nitent, meliorque dies, & purior aura
Ventilat immensas ædes urbemque secundam.
Ipse quoque Antinous, Cytheræa, & nudus Apollo
Lao-

ædes nitori suo restituit, picturasque *Raphaelis Sanctii*, vulgo *Urbinatis*, toto terrarum orbe clarissimas, pluvia pæne corruptas, turpi deterso situ, expoliri jussit.

79 *prodigiis*] Quot enim ibi *Raphaelis* picturæ, tot artis miracula & prodigia.

80 *albani*] & *falerni*, h. e. vini. Erst artifex eas picturas detergere jussus, eis in expoliendis tantum vini insumptum rationibus intulerit, quantum vix cuiquam credibile sit; plurimum tamen Urbs illi se debere fatetur ob artis miracula ab interitu revocata.

81 *plusquam mille*] Indefinite. Memoriæ autem pro certo traditum est, vinum illud in rationes inductum esse ad cados (*barili*) octingentos. *propinet*] Facete ait picturam artifici tantam vini vim propinasse: eamque sua largius præcordia, quam depictos parietes, proluisse non injuria suspicatur *Sectanus*.

84 *meliorque dies*] ab abstersis nitidisque parietibus lætior nitidiorque lux resultans meliorem facit diem.

85 *urbemque secundam*] Vaticanæ ædes justæ urbis magnitudinem æquant.

86 *Antinous*] Pulcherrima signa *Antinoi*, *Veneris*, *Apollinis*, *Laocoontis* ventos antea imbresque perpessa circa cavædium prope pa-

Laocoon, parioque rigens e marmore Truncus,
Relliquiæ Imperii, atque artis monumenta pelasgæ,
Quos animæ hibernæ, pluviæque, & tempora brumæ
Mordebant, priscæ revocant miracula formæ:
Et, quæ cæsareos minuit serpente triumphos,
Deformis nuper guttisque perennibus uda,
Insculpto gaudet solvi sibi carmine honores.
Ut sileant rigeantque, vocant te marmora patrem
Auctoremque novæ, rapiunt quam sæcula, vitæ.
Advena contractis miratur singula rugis,

Et

palatium vulgo *di Belvedere* (quod iccirco *cortile di Belvedere*) sua quodque in ædicula occlusum *Clemens* collocari jussit, ut consummatissimæ & admirandæ prorsus artis opera ab omni arcerentur injuria.

87 *parioque*] statuæ truncus quodvis superans pretium, vulgo: *il Torso di Belvedere*.

89 *animæ*] h. e. venti ex *Horat.* 4. *od.* 12. 2. = *Impellunt animæ lintea Thraciæ.* =

91 *& quæ cæsareos*] Cleopatræ signum, quam, ubi comperit se ad triumphum ab *Octaviano* Cæsare reservari, ne tantam pateretur ignominiam, sibi aspide admoto lethum conscivisse, notissimum est.

93 *insculpto*] Ubi longissimum in Vaticano ambulacrum confeceris, gradibus aliquot conscensis, arcus occurrunt duo, super quos lacunar suspenditur. Pilarum (*pilastri*) citeriorem arcum sustinentium dextra habet pulcherrimum de *Cleopatra* Balthassaris *Castilionii* carmen, sinistra Augustini *Favoritii* itidem carmen ejusdem argumenti non inelegans, utrumque Pontificis jussu marmore insculptum. Ulteriore sub arcu jacet exanimis *Cleopatræ* signum.

94 *ut sileant*] Quamvis elingues sint & rigentes statuæ illæ marmoreæ, tamen patrem te suum vocant, quod novam sibi dederis vitam.

96 *contractis*] contracto supercilio quod est admirantis.

Et tabulas ſtatuaſque attollit laudibus, & quas
Egregias ædes habitator maximus imples.
Sola dolet viridis maculiſque aſperſa lacerta,
Et vaticanæ juſſi diſcedere mures,
Attalica poſtquam longum regnavit in aula
Barbaries, multaque decorus cæde Tyranni
Marmoreum vidit Cæſar fumare caminum,
Avertitque oculos unctæ nidore culinæ.
Quid memorem excitum lembis navale ſabinis,

Fal-

99 *ſola dolet*] Magnificentiſſimis in ædibus cernere erat ſerpere lacertas, & mures diſcurrere, qui ſuam propterea dolent expulſionem.

101 *attalica*] aula, pro *Attali* opulentiſſimi regis ſplendore, exſtructa & ornata.

103 *marmoreum*] Erat in quirinali & vaticano certa quædam pars ædium eam ad rem aſſignata, ut qui Neapolim Regis vice functuri mittebantur, ſi Romam venirent, a Romano Pontifice hoſpitio exciperentur. Bilem profecto movet audire in ædibus toto terrarum orbe laxiſſimis nuſquam alibi culinam ejuſmodi hoſpitio inſtrui potuiſſe, quam in aula nobiliſſima, ubi admirabili opere ſummus ille pictor *Julius* romanus pugnam depinxit, qua *Conſtantinus* cum *Maxentio* ad pontem Milvium de Imperio dimicavit. Quare bene ait *Sectanus*, diu barbariem ea in aula regnaſſe. *Cæſar*] Conſtantinus, qui Tyrannum *Maxentium* ſuperavit.

104 *avertitque*] Poetice prorſus.

105 *excitum*] excitatum, exſtructum. Portus *Clementis XI.* juſſu ad ſepulcrum Cæſarum in Tiberis ripa, gradibus e tiburtino lapide in ſinuoſam formam flexis elegantiſſime inſtructus, qui nautis bajuliſque percommodum præbet adſcenſum, quo annona e ſabinis & hortana ora in Urbem exportata faciliime expeditiſſimeque exponitur; vulgo: *il porto di Ripetta*.

Falcatosque gradus stratumque e marmore clivum
Augusti ad tumulum, quo tam Tibris unda superbit,
Annonamque suæ securius invehit Urbi?
Atque utinam contis trabibusque atque aggere multo
Doctus iter cymbæ pateretur pondera dorso
Usque ubi fœcundos Augusta Perusia campos
Et pingues agitat glebas. Hæc gloria, Princeps,
Est ævo servata tuo. Post sæcula vesci
Altilibus liceat populo gentique togatæ;
Nec stomachum vappa nec putri semper aceto
Vexet, & invisis ponatur mensa lupinis.
Te non decipiant toga serica, flavus & idem
Pin-

107 *Augusti*] Fuit enim ibi *Augusti* mausoleum obelisco illo ornatum, quem confractum restitutumque in area Basilicæ Liberianæ *Sixtus V.* erigi jussit.

109 *atque utinam*] Ait se maxime cupere superiorem Tiberi navigationem ad Perusiam usque restitui: quod fieri posset, si aggeribus hinc inde flumen coerceretur.

111 *Augusta*] Id nominis vetustissimæ clarissimæque urbi inditum, ab instauratore *Augusto*; sub quo, post obsidionem & incendium, iterum quasi nata.

112 *pingues*] Perusinus ager frugifer & ferax.

113 *post sæcula vesci*] Si per superiorem Tiberis tractum victoriis navibus navigandi copia daretur, vilior in Urbe esset annona; & non modo *gens togata* h. c. qui dicuntur *curiales*, verum etiam *tunicata* h. e. infima plebecula, quæ nunc lupinis mucidoque vino sustentatur, tunc altilibus, & mollissimis suavissimisque vinis famem sitimque depelleret.

115 *vappa*] vino languido & nullarum virium.

117 *te non decipiant*] Etsi plerosque fere omnes optime vestitos cin-

Pinguefcens largo pompejo crinis, alutæ
Molliculæ, veras imitataque fibula gemmas.
Confluit e volfcis, gabiis, vejentibus, umbris
Turba frequens, fequiturque forum lactata dolofæ
Illecebris Aulæ. Nigros jam ftulta penates
Odit, & errantes vicino in monte capellas;
Affuetamque manum refugit protendere aratro;
Et docet inducto callum mitefcere lardo.
Stat Tiberis tentare vadum: vocat aurea Circe
Ro-

cincinnatos comptos unguentatos ornatofque vides, ne tamen erres, Princeps optime: nam domi fuæ miferrimi & inaniffimi fame & fiti premuntur.

118 *largo pompejo*] largo unguento delibutos. Per hypallagen, ut alibi, ponit *Pompejum* nobilem unguentarium pro unguento. *alutæ*] calcei e molliffima pelle: *fcarpette fine, calcetti.*

119 *fibula*] qua collucent calcei e falfis fed nitentibus gemmis: *di brilli.*

120 *confluit*] E vicinis volfcorum, vejentum gabiorum marforum &c. agris plurimi fallaci opum honorumque fpe ducti Romam confluunt; ac vix primis jurifprudentiæ cognitis elementis in turbam & barbariem forenfem fefe conjiciunt, caufarumque civilium patrocinio fufcipiendo mifere inhiant. Interea, donec cliens occurrat aliquis, cujus marfupium exenterent, arido ac prope ferino victu vitam tolerare coguntur.

122 *nigros*] domum, in qua nati, fumo fœdam, & paftoritiam agreftemque vitam oderunt.

125 *docet inducto*] Cum probro fibi effe putent quicquid agreftis fui generis indicium fit, facete comminifcitur *Sectanus*, eos lardo illito callum manibus tractando ligone obductum commitigare.

126 *ftat*] Propofitum iis eft *tentare vadum*, h. e. fortunam in romanis five foris five aulis. Eft enim multis Roma quædam quafi Circe, quæ incantantis fpei veneficiis attrahit ac tenet.

Roma. I, nate, & contractam quocunque modo rem
Auge propitiis fatis avibusque secundis.
Nil tibi turpe puta; nec majus crimen habeto,
Quam si contigerit vacua rediisse crumena.
Sic, marso genitore & matre hortante sabella,
Scribarum tabulas rimantur, pulpita turbant;
Protinus in manibus chartæ; putamque loquuntur
Rubricam, patrio tanquam succreverit horto
Inter serpyllum, cognataque olentibus herbis.
Sed, post concussum rauco clamore tribunal,
Maxima pars horum patina cœnare canina

Co-

127 *i, nate*] Verba, quibus pater rusticus vel mater filium nativo ab agro Romam, ut de nihilo crescat, proficiscentem alloquitur.

128 *avibusque*] bono ac felici omine, ex veteri superstitione in avium servando volatu.

129 *nil tibi turpe*] Papæ! egregium monitum! sanum consilium! quo quidem faceret Deus, ut minus multi uterentur; atque utinam paucorum esset angustas res per fas & nefas augere.

131 *marso*] montano ac rustico. *Marsi*, nunc *parte dell' Abruzzo*, circa lacum Fucinum, *di Celano*. [*sabella*] e sabinis montibus.

132 *scribarum*] Forensibus se turbis immiscent, & scribarum acta pervolutando, cavillando, tricas nectendo, rixando, omnia movendo, subsellia ipsa, tribunalia, prætoria perturbant.

134 *rubricam*] legis titulos, ipsis pro legibus. *patrio tanquam*] Salse irridet horum rabularum arrogantiam & temeritatem, qui aratro nuperrime dimisso, vixque excussis glebis, nil nisi leges & rubricas crepant.

137 *canina*] patina vilissima, h. e. vilissimum cibum cœnat, qualem canis. Prandium caninum apud *Gellium* est prandium sine vino,

Cogitur, & de pertuſa ſartagine vivit,
Algida caſtaneas cum mittit ſilva recentes;
Ac totos uno fallit quadrante decembres.
Nec miſeri meliore lavant præcordia muſto:
Namque illis premitur talo vindemia ſardo
Aſpera, per Tiberim pigro devecta phaſelo,
Quæque veliternis ſordet calcata bubulcis
Uva, meum (procul o) nunquam tinctura labellum.
Quin clavo ſuſpenſa tenent vicina matellæ

138 *de pertuſa*] Sunt Romæ, qui vergente autumno in hiemem paſſim, caminis ferreis expoſitis, adhibitaque ſartagine (*padella*) perforata, caſtaneas aſſant. Famelicum hoc, quod deſcribit, hominum genus inde ait *Sectanus* ſibi cibum coemere, ac totum in decembrem unico quadrante vitam prorogare.

139 *Algida*] Silva in Algido (*monte Aglio*) caſtanearum feraciſſima in Latio, ubi caſtellum: *Rocca di Papa*.

148 *totos uno*] Vel per hyperbolen dicit unico quadrante (*quattrino*] totos decembres tranſigere: vel ſingulis diebus uno quadrante prandium ita illis parari intelligas.

141 *nec miſeri*] Vilis miſeris non modo cibus, verum etiam potus. *lavant*] Bene *lavant*: nam de vino vulgari & infirmo dicimus itali quod ventrem eluat: *ſciacqua budella*.

142 *namque illis*] Vinum e Sardinia inſula aſperrimum Romam devehitur. *talo*] nam pedibus uvæ calcari ſolent, quorum robuſtior pars talus.

143 *pigro*] quia adverſo flumine devecta.

144 *veliternis*] Vinum veliternum (*di Velletri*) nullius ſaporis ac prorſus ignobile.

145 *procul o*] Ejuſmodi vinum averſatur *Sectanus*.

146 *quin clavo*] aliquot œnophora (*fiaſchi*), quæ jocular iter appellat dolia, una cum matella clavo in parietem adacto ſuſpenſa totam

Dolia, quæ vili fornax mercede paravit;
Et leo candefcat, vel plumbeus ingruat aufter,
Teftaceæ fruftra fufpirant frigora cryptæ,
Aut fitiunt pofitam fub vectigalia brumam.
Interea laxas nodo revocante lacernas

Spe-

tam vinariam cellam conficiunt hifce hominibus; quorum habes imaginem in *Codro* illo, ut malo, ita & pauperrimo poeta Domitiani tempore, apud *Juvenal. fat.* 3. 203. & *feqq.*

147 *vili fornax*] Fornax, quo vitrea vafa conflantur, lagunculas, feu œnophora, illis præbuit unius affis pretio.

148 & *leo*] Diebus canicularibus (*follione*) & flante auftro, qui Romæ funt, æftu præfocari quodammodo videntur. *plumbeus*] elegans ex *Hor.* 2. *fat.* 6. 18. adjunctum ab auftri effectu, qui humiditate pigros & quafi plumbeos homines facere folet.

149 *teftaceæ*] Tumulum effe Romæ ad portam oftienfem alibi diximus, qui mons teftaceus: *monte teftaccio:* fub quo cryptæ complures, ubi œnopolæ (*ofti*) vina ineunte vere, ne vitium contrahant, condere folent. Huc, qui fe nitidiufcule curant, per æftatem ventitant, vinoque frigidiffimo inde deprompto fe ab æftu recreant. Fruftra miferis illis ejufmodi patent œnopolia.

150 *fitiunt pofitam*] Fruftra, qua vinum refrigerent, argento omnino vacui, nivem cupide appetunt. Nix Romæ carior, quod vectigal illi impofitum a redemptore exigitur: *è in appalto.*

151 *interea*] Interea fame & fiti enectos fuimet eos pœnitet. Non jam arcus magnifice excitati, non porticus late patentes, non elegantiffimæ bafilicæ, non laxiffimæ & nitidiffimæ ædes, non picturæ, non figna, & alia Urbis ornamenta, quæ ftomachi tumultum fedare nequeunt, non denique Romæ pulcherrima facies eorum animum tangit. In oppidulum quantumvis ignobile fecederent, modo ibi meliufcule fe haberent. *nodo revocante*] Serici pallii collo circumligati dum venter anteriorem partem ante fe demiffam videt, pofteriorem vero a tergo undantem audit fluitare, famis,

quam

Spectat, & a tergo sentit fluitantia venter
Serica, jejunusque togæ maledicit & Urbi.
Jamque magis stomacho Tibur Frusinoque placere
Incipiunt, gelidumque Nemus, vacuæque Bovillæ,
Et quæcumque tepet subtili villula fumo,
Quam cochlides sculptæ,& pendentes arcubus hermæ,
Et gemini Fratres, & æneus Induperator,

quam vestis elegantia ne tantillum quidem sibi levari sentit, stimulis agitatus, in togam & Urbem maledicta congerit; quasi dicat: quid mihi serici pallii splendor, quid Urbis magnificentia prodest, si fame pereo?

154 *Tibur*] urbs in Latio ad Anienem fluvium (*Tivoli*) [*Frusino*] oppidum, al. urbs, in Hernicis.

155 *gelidumque Nemus*] oppidum in Latio, hodie *Nemi*, ideo *gelidum*, quod opaco umbrosoque *aricino* nemori proximum sit; atque ejusmodi nemus *gelidum* ab *Horat.* dicatur 1. *od.* 1. 30. *Bovillæ*] vicus ad XI. lapidem via Appia ita dictus, quod aliquando in *albano* monte taurus jam consecratus ab ara cum effugisset, ibi comprehensus est. *Clodius* ibi a *Milone* interfectus. *Vacuas* puto dici, quod sit habitatoribus infrequens locus, *Pers. sat.* 6. 55.

= . . . . . . *accedo Bovillas* =
= *Clivumque ad Virbj* . . . . . .

156 *subtili*] incolarum tum infrequentia, tum paupertate.

157 *cochlides*] Columnæ, duæ instar cochleæ intus cavatæ: quarum altera figuris rerum primo & secundo bello dacico a *Trajano*, (unde *Trajana*) altera bello marcomannico a *M. Aurelio Antonino* gestarum, (unde *Antoniniana*) anaglypho opere (*a bassi rilievi*) ornata. *hermæ*] herma, sive *hermes*, est *Mercurii* signum sine manibus ac sine pedibus apud *Juven. sat.* 8. 53. accipitur autem & pro quocunque signo, quod capite tantum ac pectore constet, nobis: *busto* . . . . . .
. . . . *at tu* = *Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Herma.* =

158 *gemini Fratres*] Castoris & Pollucis statuæ ante capitolinam

Qui ſtatua Romam ſpectat ſublimis equeſtri.
Nempe ſilent cathedræ; rari macrique clientes;
Et nimium longo intermiſſa negotia bello.
Quis neget? At ligures quoties e pyxide ſortes
Ducuntur, quanti tibi conſtat ſponſio? quanti
Somnia nutricum, vetulaque interprete noctes?
Eſt etiam aſtuto numeris erecta cucullo

Py-

aream poſitæ. *æneus Induperator*] M. *Aurelii* ſtatua equeſtris a *Paulo III.* in centro areæ capitolinæ locata.

160 *nempe ſilent*] Verba rabulæ Roma abire cogitantis. Silent actuariorum pulpita; rara negocia; nulla lis profertur in forum; nullus pecunioſus, qui emungi poſſit, cliens

161 *nimium longo*] inter armorum ſtrepitus ſilent curia, forum, leges. Flagrabat bello Italia, ipſique *Clementi XI.* arma ſumere, atque aliquandiu in armis eſſe neceſſe fuit.

162 *quis neget?*] Reſpondet rabulæ *Sectanus*. [*at ligures*] Ironice homini ſuadet, quo e ſua emergat inopia, ut in ludo genuenſi (de quo *ſat.* 16.) vulgo nunc *lotto*, qui Romæ jam, multiſque aliis in urbibus, inducta ab hominum furore neceſſitate, inſtitutus eſt, fortunæ periculum faciat. Docet exquirenda muliercularum ſomnia; conſulendas aniculas, quæ quam ad ſortem, ſeu quem ad numerum, unumquodque ſomnium attineat, ariolantur; adhibendam numerorum ſeriem in pyramidem diſpoſitam (*cabalam* vocant) cucullatorum ingenio aſtute quæſtus cauſſa excogitatam; aliaque deliramenta commemorat, quæ in vulgus ſpargi ſolent. Ennius. = *Superſtitioſi vates impudenteſque arioli*, = *Aut inertes aut inſani, aut quibus egeſtas imperat.* =

163 *quanti tibi conſtat?*] nempe pauci admodum: quare, hinc impendii levitate, illinc lucri magnitudine propoſita, bardi homines maximas in ſpes eriguntur: interim vero, qui miſeri ſunt, lenta iſta quaſi febri conſumpti fiunt miſerrimi.

Pyramis: hæc nunquam fallit; tria nomina ſume:
Nil dubita, & ſiccis quantumlibet utere ternis:
Sed cave ab electo vilis minimique lucelli.
Nec pudor obſtabit quin pilea thuſca ſequaris,

166 *nunquam fallit*] Ironice *Sectanus* iiſdem utitur verbis, quibus aſtuti pyramidis auctores; qui certiſſimam ejuſmodi ſortis regulam venditant.

167 *nil dubita*] Certus de pyramidis regula aude; & neglectis binionibus ex quibus minus lucri, ternis ſiccis ſponde, unde major fructus. In ejuſmodi enim ludo qui ſibi meliuſcule conſulunt, nomina, ſeu numeros, quos ſibi collibuerit, ſeligunt, & in iis non *terniones* tantum; (*i terni*) qui poſſunt haberi; ſed *biniones* etiam (*gli ambi*) coemunt. Plurimi vero (quæ ſunt hujuſce ludi præſtigiæ) rem utiliorem gerere putant, ſi repudiatis binionibus (quod plus pretii requirant, lucri autem minus afferant) ſolis ternionibus ſint contenti, pretii vilitate & præmii magnitudine illecti. Terni autem ita ſoli ſine binionibus *ſicci* vocantur: *terni a ſecco*, vel *terni ſecchi*.

168 *cave ab electo*] Electum nomen dicitur unum aliquod e quinque urna extrahendis. Pulchre Poeta per ironiam damnoſiorem ludendi modum ſuadet per ternarios, & a minime omnium damnoſo ludo deterret, qui fit ſingularibus nominibus coemendis. In hunc enim modum lepide irridet luſorum ignorantiam & cæcitatem; qui neſciunt in ejuſmodi ludis rationem habendam eſſe præcipuam, quæ cuique colluſorum expectatio ſit, & quanti æſtimanda.

169 *nec pudor*] nec pudebit damnatos ad ſupplicium ſequi &c. Nam mulierculæ blennique homunculi quidam ſuperſtitionibus dediti, quidquid damnatorum capiſtrum olet, vel illuc quoquomodo pertinet, neſcio quo tandem pacto, ad divinandas ſortes plurimum conferre putant. Itaque ſe fore perbeatos crederent, ſi funiculi, quo reus necatus eſt, compos fierent, aut ſi eum digitulo tangendi ſibi copia daretur. Quod ſi reus ipſe ſibi per noctem adeſſe viſus eſſet, tam læti, quam qui maxime, gaudecet:

Cum cervix triplici rapitur devota tigillo.
Tende manus cupidusque roga: tetigisse capistrum
O saltem liceat, quando oscula ferre negatum.
Funiculus quantum confert rationibus! O si
Cannabe suspensus prima me nocte bearet
In somnis! Deliria sunt cruciare pusillos
Impransum loculos. Oleo meliore perunge
Cauliculos, & frange prius civiliter offam;
Inde tibi placeant Nigrones, Spinula, Flisci,
Et certus mota prodire Cataneus urna.

Quo-

certissimaque spe triumpharent; *pilea thusca* = Romae (quod iterum iterumque monuimus) capitali poena plectendi florentinorum nationi traduntur, qui miseris illis vivis mortuisque omnia, quae christiani hominis sunt, officia diligentissime praestant. Pullati, lateque patentes pileos obnupto capite gestantes, bini longo agmine praeeunt, hominemque ad supplicium deducunt.

170 *triplici*] h.c. furcae, quae triplici ligno constat.

175 *deliria*] Ironiam mittit. Deliramenti certe genus est randusculum (*que' pochi soldi o bajocchi*) quo famem depellere possis, in ejusmodi ludum insumere: *cruciare loculos* est hic crumenulam excutere, exhaurire.

176 *impransum*] prandio carere malle, quam non ludere. *oleo meliore*] pelliculam tuam prius cura meliore jusculo ac pane meliore: dementis enim est famelicum ventrem cibo fraudare, ut spem alas inanissimam. Ubi famem pane minus mucido, & brassica meliori oleo condita depuleris, tunc, si collubeat, de ludo cogites.

178 *placeant Nigrones*] placeat ludus ille genuensis. *Nigrones &c.* nomina sunt primorum in genuensi republica, quae in sortem conjiciuntur.

179 *certus mota*] Etsi in eo ludo nil conjectando & ratiocinando as-

Quorſum hæc? Da veniam, mentes ſi fallit avaras
Pulchra lucri facies. Libeat convertere muſas,
Qua plebi infirmæ longo molimine ſurgit
Hoſpitium, claudiſque lares & tecta parantur,
Urbanique foci, ne poſthac turpis haberi
Contingat Romæ paupertas. Tua numina ſentit
Hæc quoque: nam limen cellaſque habitabit inemptas,
Quas ambit multo non vilis porticus arcu.
Aſt ego(parce, precor, Pater optime)bile redundans
Porto jecur, nigrumque velim præfigere theta

aſſequi poſſis, cur hic vel ille numerus educatur; ſunt tamen plurimi, qui nomina, quæ per inanes quaſdam ſomniorum conjunctiones, aliaſve hujuſmodi ineptias, ſelegerint, proxima ſortitione certiſſime préditura affirment, eaque vulgo prædicant: *nomi franchi, certi, ſicuri*.

180 *quorſum*] Hiſce dimiſſis, quos ſpecioſa decipit lucri facies, ad *Clementem XI.* ejuſque ſplendida opera redit.

183 *hoſpitium*] Ædes S. Michaelis ad ripam Tiberis (*S. Michele a Ripa*) ab *Innocentio* XII. (ut ſat. 10. 39.) ſuſcipiendis pauperibus excitatas *Clemens XI.* magna acceſſione amplificavit.

184 *ne poſthac*] ne pauperes per vias diſcurrentes almæ Urbi probro ac moleſtiæ ſint. *tua numina*] tui regni fruitur beneficentia.

187 *non vilis*] ſtabili enim fornice concamerata eſt.

188 *parce*] Bene veniam petit, ſi quid in opere reprehendendum putet. *bile redundans*] Jure *Sectanus* architecti imperitiam iratus exagitat. Utinam videre poſſent maxime Principes, cui nam architecto opera committunt. Plurimi quidem eam artem oſtentant; ſed quotuſquiſque vere peritus? Qua in arte, quod plerumque irrevocabiles ſint, minus ferendi ſunt errores.

189 *nigrumque*] velim capite damnare. Nam *theta* græcis litteram

Nescio cui, sacri qui tantum perdidit auri,
Colligat ut tenebras, latebrosaque fabrica crescat.
Labitur ante Tiber specioso in margine; pone
Hortorum spatia ampla; & circum lucidus æther:
Attamen (o Fabri ingenium!) splendore maligno
Circumfusa domus sordet, poscitque lucernas:
Et sole in medio, nisi te candela præiret,
Erudiatque pedes obscura per atria, posses
Vestibulo frontem gradibusque impingere nasum.
Non ita fraudatur regnantis cura Tiaræ,
Porticus Agrippæ qua se protendit, & uno

Con-

tam condemnationis, ut latinis C fuisse alibi diximus.

190 *nescio cui*] ut bene noti architecti nomen prudenter reticeat. *sacri*] sacro ex ærario deprompti.

191 *colligat*] ut tenebrosum faciat ædificium.

192 *labitur*] Locum describit ædibus luculentis aptissimum.

194 *attamen*] Magnum architecti illius, seu potius tenebrionis, ingenium, magnamque sollertiam fuisse oportuit, qui in aprico loco longe lateque patente, ubi putasses nisi domum luculentissimam ædificari non posse, ita ædificium disposuit, nihil ut illo sit tenebricosius. *maligno*] dubio, languido, ut Virg. *sub luce maligna*: nos : *luce scarsa*.

199 *non ita*] non ita vel imperitum vel indiligentem fuisse ait architectum a *Clemente XI.* adhibitum reconcinnando poliendo ornandoque celeberrimo delubro, quod *Pantheon* appellatur. *tiaræ*] h. e. Pontificis.

200 *Porticus Agrippæ*] Templum illud, unicum romanæ potentiæ, cui sive temporis, sive hominum vis ac barbaries pepercit, mo-

nu-

Contenta eſt oculo facies pulcherrima templi.
Hic etenim aſſiduo deterſum pumice marmor
Romanas oſtendit opes, populique potentis
Regnatricem animam. Phrygias laudare columnas,
Quas ſulcat ſtria longa, juvat, flavumque colorem
Et maculas. Non quæro tectum aut nobile tignum,
Cæca quibus rabies, & vandala flamma pepercit:
Quandoquidem innocuis olim reſoluta caminis

Ænea

numentum, *M. Agrippa* magnifica auxit porticu imm nibus e ſyenite lapide columnis innixa.

201 *facies*] Faciem hic intelligas interiorem templi formam, quam uno ait oculo contentam, quod ejus ſtructura latior ab imo paullatim incremento operis illi arctius coacta ſuperne in unicum foramen terminatur, unde lumen admittitur.

203 *romanas oſtendit*] Pulcherrimæ columnæ pulvere ac ſqualore obſitæ quanti eſſent faciendæ vix parebat. Beneficio *Clementis XI.* deterſæ atque expolitæ admirandas romanorum opes oſtentant.

204 *regnatricem*] quod nos: *animo veramente reale*. [*phrygias*] columnas ſtriatas (*ſcanalate*) e phrygio marmore ſolidas, vulgo, *di giallo antico*, & a parietibus ad circuitionem recedentes, quibus teſtudo fulcitur.

206 *non quæro tectum*] Senſus eſt. Non deſidero trabes æneas tegulaſque tecto ſublatas, quæ barbarorum direptionibus ſuperfuerant. Eas probe ſcio inde amotas novo & auguſtiori muneri ſucceſſiſſe. Ex iis enim conflata eſt ab *Urbano VIII.* aræ maximæ ænea moles SS. Apoſtolorum tumulo (vulgo *la Confeſſione di S. Pietro*) in templo vaticano ſuperſtructa: opus magnitudine ſua, materiæ nobilitate, exquiſitiſſimi artificii elegantia, plane admirandum.

207 *vandala*] Vandalorum furor in urbis direptione.

208 *innocuis*] non enim prædæ cauſſa amota eſt ac fuſa, ſed ut in ſacros, quos diximus, uſus abiret.

Ænea defluxit meliores tegula in usus;
Jamque hiemem & fœdas avertere nata procellas
Thura bibit, tegiturque tholo, quo major in orbe
Assurget nunquam, nec fabra insignior arte.
Me revocat, medium quæ nuper, concha, theatrum
Aucta tenet posito squalore & prodiga lymphæ.
Non lactuca forum, fungique, & sectile porrum,
Nec tiburtinis servatæ in collibus uvæ
Ornabunt posthac. Labro mareotica fontis

Sur-

210 *thura bibit*] quotiescumque in sacris solemnibus ad aram maximam thus adoletur. *tegiturque tholo*] sive testudine; vel hemisphærio (*cupola*) vaticanæ basilicæ amplissimo, ac toto terrarum orbe celeberrimo: de quo *Algarottius*: = ... *nè ancor avea* = *Michelagnolo al ciel curvato e spinto* = *Il miracol dell' arte in Vaticano*. = Erat is Michael Angelus *Bonarrotius*, trium illud optimarum artium quasi numen.

213 *revocat*] ad spectandum invitat. *concha*] Fons in medio areæ, unde antea tenue manabat aquæ filum, uberrime auctus. *theatrum*] pro area.

215 *non lactuca*] submotis ultra fontem vitibus uvæ tiburtinæ, (vulgo *pergole*) olerumque vendentium tabernis, quæ, pulcherrimi delubri intercluso adspectu, aream etiam turpiter deformabant.

217 *labro*] quod superius *concha*, a *labro*, vase prægrandi in balnearum usum. *mareotica saxa*] ægyptium obeliscum (*a Mareotide* Ægypti provincia ac palude) quem *S. Machuti* appellabant, juxta D Bartholomæi Bergomatium templum (*S. Bartolomeo de' Bergamaschi*) quod & DD. *Alexandro* M. ac *Machuto* britonum Pontifici sacrum est, jacentem antea, fœde comminctum a prætereuntibus, omnique sordium genere inquinatum, iis detersis, fonti illi Pontifex imponi jussit.

Surgere ſaxa vides variis ſignata figuris,
Arcaniſque notis, quæ victo ablata Canopo
Vexere ultrices tiberina ad littora proræ:
Quæque diu latuere irriſa; & vilis habebat
Angulus obſcœnæ ſuffuſa pudore latrinæ,
Erecta fanum decorant cervice vetuſtum,
Albanoque micat radiatus ſidere vertex.
Sed quis prætereat tarpeja in rupe Camœnas
Auditas, feſtumque diem; quo dona parantur
Artibus ingenuis; & habet ſua præmia Virtus?

Tunc

219 *arcaniſque*] hyeroglophicis pro ægyptiorum more. *victo Canopo*] domita Ægypto; cujus urbs *Canopus* ad Nili oſtia.

220 *ultrices*] quæ injurias populo romano illatas ultæ ſunt, victis hoſtibus, & ſuam in poteſtatem redactis.

223 *fanum*] Pantheon; cui nunc ornamento eſt obeliſcus ille.

224 *Albanoque*] Stella tribus imminens montibus ſtemma eſt *Albaniorum* gentilitium: icirco ænea ſtella auro illita in obeliſci vertice infixa, quæ cum ſaxum ornaret, tum fontis reſtitutorem monſtraret.

225 *tarpeja*] in Capitolio. Ut ſtatuaria, pictura, & architectura fructus ferrent uberiores, capitolinam Academiam inſtituit *Clemens*, in qua, qui ad eas artes ſtudia ſua conferrent, eorum animos gloriæ cupiditate cenſuit incendendos. Quare ternæ ſingulis artibus attributæ adoleſcentium claſſes. Inito quotannis certamine; duplex de ſuo quiſque ingenio induſtriaque ſpecimen exhibebat; alterum domo allatum, alterum in ipſo rei diſcrimine. E ſingulis autem claſſibus terni juvenes, qui ſe plurimum profeciſſe probaſſent; in magna hominum celebritate & frequentia a ſacri Senatus purpuratis Patribus in aula capitolina, poſt collaudatas ab egregio aliquo Oratore,

Tunc pictura loqui, vellent tunc signa moveri,
Et Domini curva vestigia lambere fronte.
Quos animos addis, quoties operosa juventus
Accipit a sacro regale numisma Senatu,
Laudarique suos sperat te judice nisus?
Nec minus esse puto, quod celsa palatia pandis,
Tresque jubes pulchras illic habitare sorores,
Cæsar ubi domito labaris victoribus orbe,
Exuviis regum trabeaque insignis & ostro,
Jura dabat populis: nam splendida facta quiritum,

Et

re, poetarumque præconiis, tres illas pulcherrimas artes, argenteo maximi moduli numismate cum Pontificis Maximi imagine percusso donabantur.

228 *pictura loqui*] Pictura & Sculptura *Clementi*, suo tamquam Patri ac Domino, gratias quasi agere gestiunt, ejusque pedes exosculari.

230 *quos animos*] Nil magis ad gloriam juveniles animos accendit, quam Principum beneficentia ac dona. Testis precipue Florentia *Mediceorum* non immemor liberalitatis.

233 *celsa palatia*] ædes capitolinas.

234 *tresque*] tres illas, quas diximus, liberales artes: quæ, instituta ibi academia, illis in ædibus domicilium quodammodo habuere: ubi acto triumpho Cæsares jura populis dederunt.

235 *labaris*] pro cæsareo exercitu. Nam labarum fuisse vexillum militarium omnium signorum præstantissimum diximus, quod ante imperatores ferri & a militibus adorari moris erat.

236 *trabeaque*] regia sive imperatoria purpurea veste: de qua *sat.* 8. 177.

237 *nam splendida*] Provido consilio in Capitolio academiam illam constituit *Clemens*. Nam aer ipse capitolinus gloriosa egregie factorum memoria quasi gravidus animum

Et locus atque aer mentes accendere honestas
Occulta virtute solet. Venere pelasgis
Urbibus artifices olim, cum Roma labori
Castrorum assueta, & sulcos proscindere aratro,
Agresti palea cellas & fana solebat
Incrustare fimo, madidamque inducere cretam,
Pendebant ocreæ muro galeæque minaces
Pro tabulis pictis: nullus cum Mentore crater;
Nec mensæ numidis radiabant dentibus orbes.

Ipsi

mum accendit honestis adolescentibus, grandiaque inspirat.

239 *venere pelasgis*] Artes, maxime liberales, a græcis ad latinos venisse ex historia notissimum est.

240 *cum Roma*] Veterum romanorum plerique vel solo rei militaris studio, ceteris gentibus imperitandi cupiditate fragrantes, vel uni præterea agrorum culturæ dediti, elegantiarum fere omnium incuriosi fuerunt ad ætatem usque *L. Mummii Achaici*, quem adeo fuisse rudem tradit *Paterculus* lib. I. 13. ut *capta Corintho cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, si eas perdidissent, novas reddituros*.

242 *palea*] Tanta erat architecturæ infantia.

244 *ocreæ*] Cum toti essent in re militari, erant domus ornamenta non picturæ, sed militaria instrumenta. *ocreæ* h. e. tibialia ex chalybe: *gambiere d'acciajo*.

245 *cum Mentore*] nullum poculum, sive aliud quodcumque vasculum, *Mentoris*, aut cujuspiam egregii artificis manu cælatum. *Mentorem* summum fuisse in argento cælando artificem tradit Plin. *hist. nat.* 33. 2.

246 *nec mensæ*] Nemo de gente illa hispida & agresti accumbebat mensis ex ebore orbiculatis. *dentes numidicos* intellige dentes elephantorum in Africa. *radiabant*] vel nitebant; vel radiis ex ebore insertis ornabantur.

Ipsi etiam tripodes faciesque augusta deorum
Informi e trunco: stabat sine fulmine nuda
Juppiter ædicula, nec non ficulnea Juno;
Et taciti cossis morsus muresque timebant.
Tunc Urbi populoque rudi versutus & acris
Græculus ingenii statuas pictasque tabellas
Monstravit primum; mox & mercede parata

Me-

247 *ipsi etiam*] Quæ ad sacra pertinerent, ea quoque, atque ipsa adeo deorum simulacra, vili erant e ligno. *tripodes*] Tripus vas, seu sella, seu mensa tripes. Præcipue est apud græcos sella tripes in templo *Apollinis* delphici, in qua *Pythia*, seu *Phœbas* mulier sacerdos sedens responsa dabat. Placet hic ita interpretari *tripodes*, ut sint *ollæ* seu *lebetes*, seu *crateres* illi, qui græce *anathematici*, h. e. qui ornatus gratia in templis dicati sublimes appendebantur, vel *apyrii*, qui igne intacti essent, idest non ad aquam calefaciendam comparati: atque hi certe lignei esse poterant. *faciesque augusta*] Sic deos *lib.* 1. *eleg.* 10. alloquitur *Tibullus* = *Nec pudeat prisco vos esse a stipite factos.* = & apud *Propert. lib.* 4. *eleg.* = *Stipes acernus eram properanti falce dolatus.* =

249 *Juppiter*] Tibull. *lib.* 1. *eleg.* 10. = *Stabat in exigua ligneus æde deus.* =

250 *& taciti*] Erant cariei & teredini obnoxii illi dii, utpote lignei. *Cossis*, seu *cossus*, idem est ac teredo (*tarlo*) quæ tacite lignum corrodit.

251 *tunc Urbi*] Architecturam, picturam, statuariam, plasticam, ærisque fundendi artem docet e Græcia Romam commigrasse. *Horat.* lib. 2. ep. 1. = *Græcia capta ferum victorem cepit, & artes* = *Intulit agresti Latio...* = *versutus*] Græci ut ingenio, ita & versutia insignes: quare adagium: *græca fides*: versutus autem præcipue in quæstu faciendo. Respexit, credo, ad *Juvenal. sat.* 3. 60. *& seqq.*

Metiri circos & fundamenta theatri,
Atriaque, & pharias docuit fervire columnas
Porticibus. Molli varios hinc fingere cœpit
Argilla vultus; ductumque ex ære Tonantem
Armavit triplici telo; castæque Dianæ
Expressit liquidis mistisque coloribus ora.
Inscia turba Remi laudat miracula, & artes
Educat: hinc grajo servatum in sæcula nomen
Artifici. Claras doleo periisse Mycenas,
Et Spartam, & doctas, nil præter rudera, Athenas.
Quam cuperem solito floreret Græcia fastu,
Et studia atque artes posset spectare latinas!
Nempe ego cum ligures video decrescere montes,
Ut

254 *metiri &c.*] quæ ad architecturam pertinent.

255 *pharias*] ex ægyptio marmore pro quocumque.

256 *molli varios*] quod ad plasticen spectat.

257 *ductumque*] statuas fuso ære conflavit.

259 *expressit liquidis*] Respicit (*credo* ad vermiculata, seu segmentata, seu tessellata emblemata: *pitture a musaico*.

260 *inscia*] Inde romani illarum omnino artium imperiti eas discere & colere cœperunt.

262 *doleo*] Quam vellem etiamnum stare Græciam, eamque florere, ut olim, optimis artibus: quæ si videret, quo progressa sint latinorum ingenia, minores spiritus gereret.

263 *nil præter*] quæ (*Athenæ*) jam nihil sunt nisi rudera.

266 *nempe ego*] Cum video e carrariensi, sive, ut olim, lunensi, niveo marmore ingentes statuas tanto

Ut delubra facris ornentur prima coloffis,
Scalpra quibus centum longo fudore dederunt
Effigiem atque animam, & tantum non poffe moveri,
Cum erepitu danaos procul hinc migrare juberem,
Et Spartæ tabulas, & reddi figna Corintho,
Ut nihil incultis pofthac Urbs alta pelafgis

De-

to artificio ab ætatis noftræ fculptoribus elaboratas, ut nihil abeffe diceres, quin eæ fpirent & moveantur, græcos (quibus nunc nihil nobis eft opus) cum crepitu ventris dimiffos hinc abire juberem, & figna, tabulas, aliafque id genus elegantias in Græciam, unde advectæ funt, afportari; ut uni tibi, Princeps optime, Roma debeat, quod pulchritudine, magnificentia, omnique ornamentorum genere, ceteris urbibus antecellit. *ligures* [latomias, feu lapidicinas, in montibus lunenfibus olim in Liguria: *cave di Carrara*.

267 *delubra*] Delubra *prima* vocat lateranenfem feu conftantinianam bafilicam, omnium Urbis & Orbis *ecclefiarum* matrem & caput, cujus medios utrinque parietes *Clemens XI.* a nonnullis regibus ejus efflagitatu ad feptuaginta aureorum millia collato ære, SS. XII. Apoftolorum ftatuis immanis magnitudinis, ideft palmorum undeviginti, e lunenfi marmore, ornavit.

268 *centum*] indefinite pro multis fculptoribus, multaque illorum opera.

269 *atque animam*] ut fpirare videantur. *tantum non*] pro *quafi*; ut fenfus fit: & quafi motus vim ac facultatem dedere.

270 *cum crepitu*] nempe ventris; quod eft maxime defpicientis & afpernantis. Ceterum poetico id furore dictum accipias, & ut *Clementis* laudes exaggeret. Nam, ad ftatuariam quod pertinet, fi græca figna Romæ dempferis, quæ præclariffima funt, ei dempta exiftimes: quandoquidem nihil illis pulchrius, nihil mollius tot feculis unquam vidit. Teftis *Hercules*, *Taurufque*, ut multa alia prætercam, in Farnefiorum ædibus.

272 *incultis* [quæ gens cultiffima fuit, eft omnium fere noftra ætate incultiffima.

Debeat, atque tuo crefcat decus omne favore.
Crefcet io! tantum capitolia celfa frequentent
Arcades eximias artes laudare parati;
Nec bifores rumpat difcordia livida cannas;
Aut gelidos fontes & prata virentia dirus
Vaftet aper, calabroque furens e littore turbo
Cuftodem & pecudes & acuta mapalia vellat.
Scilicet & tempus venit, quo Mufa libellos

274 *tantum*] pro *fi*, vel *dummodo*. Hortatur Pontificem, ut poetarum Arcadum faveat cœtui, qui quotannis in folemni pictorum, fculptorum, architectorumque capitolino certamine nobiliffimis artibus egregiifque artificibus laudandis adhibentur. Inde enim plurimum animorum fument juvenes artifices.

275 *Arcades*] Vid. *enarrat.*

276 *difcordia*] Pontificem obfecrat, ut fuo nutu comprimat & extinguat coortam tunc temporis atrocem in Arcadia feditionem, qua florentiffima Academia ad interitum ruere videbatur. *cannas*] calamos feu fiftulas, fontes, prata, mapalia, intellige Arcadiam. *bifores* dicit cannas Arcadiæ ftemma, ut fimpliciorem modeftioremque Arcadiæ ftylum, & a fæculi tumore audaciaque remotum exprimat.

278 *aper*] *Bionem*, feu *Philodemum* indicat in Bruttiis natum: quæ provincia nunc: *Calabria*. Litium enim fuiffe fatorem putabat *Sectanus*. [*turbo*] diffidium ab homine calabro excitatum.

279 *cuftodem*] Paftoritio cœtui bene paftoritiæ voces refpondent. *acuta*] acuto culmine.

280 *fcilicet*] Atrocis inter Arcades difcordiæ hiftoriam vide in *enarration.* [*quo mufa libellos*.] O tempora! o mores! quis unquam animo finxiffet, mufas, h. e. poetas, libellos, ideft actionem, dictaturos, atque rabulis immixtos forenfium vocum barbarie genus hominum politiffimum ufuros? Atqui & hoc tulit temporum in-

ju-

Dictitat, &, rabulis immixta, vocabula mœrens
Non audita prius discit, magnumque clientem
Judicis ante fores irridet Curia Phœbum.
Dicite, causidici, quænam majore tumultu
Actio romanum subiit famosa tribunal.
Nempe Bion, prisca qui pollet origine juris,
Quique suis titulis & pulchro nomine totas
Implet ephemeridas italas, venetumque fatigat
Tor-

juria. Eo enim discordia illa processit, ut res ad civilium causarum judices deducta fuerit.

283 *irridet Curia*] Proh dedecus! Phœbus, poetarum numen, spectatissimus cliens, lite illa contestata, omnibus ludibrio fuit. Est enim incredibile dictu, quantos ea causa in romana Curia risus excitaverit.

284 *dicite*] Quotus enim quisque Romæ tum temporis fuit, qui in eam causam se non demiserit, aut alterutrius factionis non se studiosum declaraverit? In viis, in circulis, in conviviis, in familiaribus colloquiis, pervulgato de illa causa sermone omnium aures terebantur: quodque perridiculum fuit, viros etiam graves in re ludicra levissimaque vidisses accurata disputatione multas horas consumere, & interdum non sine jurgio atque altercatione contendere.

286 *nempe Bion*] *Sectanus*, ut qui ab adversis partibus staret, *Bionem* hic exagitat, quasi tantum ille excitasset ac nutriret incendium. Ceterum in ea contentione pro *Bione* legis verba (ni fallor) sonabant. *prisca qui pollet*] Ediderat Bion libros *de origine & progressu Juris civilis*: in quibus mirantur nonnulli cum puritate & gravitate sermonis pulcherrimarum rerum copiam aptissime paucas in paginas conjectam.

287 *suis titulis*] quorum certe nullum potuit prætermittere homo ventosus, *pulchro nomine*] h. e. *Janus*: ironice.

288 *implet*] Opus illud *de originibus juris* in epitomen redactum diarii veneti scriptores retulerant in volum. VI.

Torcular, finem Arcadiæ poſtremaque fata
Indixit. Nemo juriſconſultus *in orbem*
Quid ſibi vult didicit. Magna eſt inſania leges,
Quas ego ſancivi tabulis e marmore ſectis,
Ponere ſub trutina, tortiſque infringere verbis;
Abſit & interpres, me dictatore, rubricæ:
Sic placitum nobis. Satis hoc. Sententia labro
Digna tuo triplicis referatur in acta latrinæ
Ad græcum Taurum, qua cernit ab imbre madentem

 Ju-

289 *torcular*] prelum typographicum.

390 *nemo juriſconſultus*] Verba *Bionis*, qui ut doctrina valeret, paullo tamen arrogantior, ſe omnibus præferendo atque omnes deſpiciendo, quampluriniis offenſioni fuit, utinam non & *Sectano*. *in orbem*] Lex Arcadum tertia ſic habet. *Cuſtodi Vicarius & Collegæ XII. adſunto. Eorum ſingulis annis Cuſtos, conſulto univerſo Cœtu, novos ſex* in orbem *eligito. ſex veterum retineto*. Quæ lex *eligendi in orbem* negligi certe videbatur, cum collegæ jam creati iterum crearentur, nec *in orbem* ſingulis Paſtoribus magiſtratus ille mandaretur.

291 *magna eſt*] Ita ſane videtur: tamen *Bionem* ſic pronunciantem ridet *Sectanus*.

292 *quas ego*] Leges arcadicas ſcripſerat *Bion*, quæ marmore inſculptæ ſunt. Nemo igitur eo melior interpres, qui dictarat. Ille autem, re ad eum delata, Collegas, qui jam fuerint, iterum creari reſpondit *non licere*.

294 *me dictatore*] me conditore, vel me, qui dictavi, interprete. *rubricæ*] legis.

295 *ſic placitum*] Vides quo tumore ſententiam pronunciantem inducit, ut *Bionem* ſibi ſemper ſimilem faciat. *ſatis hoc*] Interpellat *Sectanus*, eamque ſententiam deridet.

296 *triplicis*] In ædibus *Farneſiorum* eſt ſubdialis area, in qua latrina triplici patens foramine, vulgo: *il cacatojo di Farneſe*.

297 *ad græcum Taurum*] Plin. lib. 36. cap. 5. *In Pollionis Aſinii monu-*

Julia Manducum. Poterunt divertere & illuc
Tullia & *Andromede*, quas tu vestire cothurno
Ausonio...Quid ego hæc? Steriles, Pater optime, tricas
Rumpe manu, qua cuncta potes, ne carmina desint
Artibus, & toto resonent Capitolia Pindo.

Quid

numentis sunt . . . . Zethus & Amphion, & Dirce & Taurus, vinculumque ex eodem lapide, Rhodo advecta opera Apollonii & Taurisci. In ædibus *Farnesiorum*, præter pulcherrimum illud & elegantissimum atrium, est etiam subdialis alter locus ad adversam domus partem: quo in loco sunt statuæ, de quibus *Plinius*, ex uno eodemque miræ magnitudinis saxo eductæ, vulgo *il Toro di Farnese*. Dirces fabula notissima. *Græcum* dicit a græcis illis sculptoribus.

297 *Julia*] h. e. via ab *Julio II.* P. M. dicta. *Manducum*] Fere adversum triplicem illam latrinam via Julia manat aquæ fons ex hiante ore *Manduci* erumpens, vulgo: *il mascherone di Farnese*. Erat latinis *Manducus* larva quædam, seu persona a *mandendo* dicta, quæ in ludis, præsertim *atellanis*, circumferebatur, capite humano larvato, maxillas immanes vastisque dentibus armatas habens, qui oris hiatu, dentiumque crepitu sese in utramque viæ partem cum flecteret, ridentem turbam vertebat in fugam.

299 *Tullia & Andromede*] binas italicas tragœdias e quinque ad græcarum exemplum a *Bione* scriptis & in vulgus editis. *Tulliam & Andromeden* Sectanus in eam latrinam amandari ac detrudi vellet. Vid. *enarrat.* [*vestire cothurno*] a græco tragico stilo ad italicum transtulisti.

300 *ausonio . . .*] præclarum quid existimasti, ex quo laudem haberes. Hoc enim, vel quid simile, in animo erat dicere: sed sententiam abrumpit, ne ejus generis multis Pontificem morari videatur, atque ut ad obsecrationem potius sermonem convertat. *steriles*] Pontificem igitur obsecrat, ut arcadicas discordias de nullius momenti re, summa, qua est potestate, dirimat. Ita enim, tranquillitate parta, pergent Arcades pulcherrimas artes in Capitolio celebrare, ubi erit iccirco alter quasi Pindus.

Quin procul a patria carifque penatibus actis
Da proprium pecori fontem, & Paftoribus umbram.
Non Licini campos, Craffi non pofcimus ædes,
Atque palatinos, quos olim habitavimus, hortos:
Non ea vis animo, quem fors averfa fatigat.
Tres platani, buxufque virens, & virginis undæ
Unciola, & lævi conftrata fedilia mufco
Sunt fatis Arcadiæ; magnus cui cenfus arundo,
Mulctraque, fifcellæ, & cophinus pretiofa fupellex.

Nec

303 *quin procul*] Arcades in hortis *Farnefiorum* in palatino monte fuos antea conventus celebrabant. Inde nefcio quam ob rem pulfi fedem ftabilem certumque domicilium non habebant. Id igitur a Pontifice precatur.

305 *non Licini*] non fpatiofa rura petimus, non magnificas ædes, non ipfos, quos jam habitavimus, *Farnefiorum* hortos in palatino. *Licini*] ex Perf. *fat.* 2. 36. = *Nunc Licini in campos, nunc Craffi mittit in ædes.* = Licinius *Stolo* ob poffeffa cum filio agri jugera clɔ. damnatus eft. *Craffus* aliis eft *Marcus Craffus*, aliis *Licinius Craffus*. Uterque apud latinos divitiis famofus.

307 *non ea vis animo*] adverfæ fortunæ cafibus fracti non eo fumus animo, ut majora petamus. Quos inter cafus præcipue refpicit ad expulsionem ex palatinis hortis juffu *Farnefii* parmenfium Ducis.

308 *tres platani*] Quod Arcades, ex eorum legibus, fub dio vernis æftivifque feriis convocantur, ideo umbriferas petit arbores, quæ patulis diffufæ ramis locum opacent. *virginis undæ*] quæ copiofiffima, forte quæ nunc: *acqua di Trevi*. Petit ex ea fonticulum bene *unciolam*: quod olim modulis, digitis, unciis privatis diftribueretur. *Hor.* 1. *epift.* 10. 20. ibique *Scholiaft.* in edit. hak. 1670.

310 *arundo*] fiftula paftoritia.

311 *mulctraque*] a *mulgeo*, vas, quo lac excipitur inter mulgendum: *fecchiello* [*fifcellæ*] crates apud *Tibullum* l. 2. 3. 15. vimineæ, orbiculatæ, quibus cafeus con-

Nec tua villosus moveat fastidia thorax,
Et ferrugineo male picta subucula filo;
Aut si cœnosæ calcaneus intulit Urbis
Partem aliquam, armatæ servant ubi limina barbæ.
Rustica turba sumus, sed quæ mulcere loquaces
Scit calamos digitis, & scriptis imperat annis;

Ne-

constringitur & figuratur. *cophinus*] alias corbis: *corba, cestone.*

312 *nec tua*] nec nostrum vilem ac pastoritium amictum fastidias, qualis est villosus thorax: *giubbone di pelliccia ec.* Tota sententia sic est: agrestes quidem sumus: inculta vestis & horrida: hærent calceis sordes: nec rheda nec curru vecti huc in palatium forte pedibus e via cœnum intulimus: ne nos tamen aspernere. Non probro paupertas, non divitiæ honori esse debent. Divitibus fortunatisque multis, qui auratis bigis vehuntur, jure nos præferendos putes. Neque auro nec libidini obnoxii, sola freti virtute & innocentia, colimus bonas artes, musarumque præconiis clarorum virorum egregia facinora, resque præclare gestas posteritati commendamus.

313 *& ferrugineo*] In aliquibus Italiæ regionibus rusticani homines subuculæ manicas ad extremam oram filo ferrugineo intexto in modum phrygii operis (*di ricamo*) rudi ornatu distinguunt.

314 *cœnosæ*] bene cœnosæ, quæ ingruentibus imbribus cœnosissima est.

315 *armatæ . . . barbæ*] Principis ædes intellige, quas palatium dicimus, helvetiorum militum præsidio munitas, qui pilos labii superioris pascunt, qui a græco *mystax* vulgo: *mustacchi*, alias *basette*, seu *baffi.*

316 *rustica*] ex instituto quidem, non ex fortunæ necessitate. Nihil enim in romana *Arcadia* nisi ad pastoritios mores accommodatum. *sed quæ mulcere*] sed apollinei concentus periti, h. e. poetæ, egregia canimus facta, nostrisque scriptis in omnes ætates dominamur, ea immortalitati consecrando.

Neſcia corrumpi popano, nec murmure vanæ
Gloriolæ, rectique tenax, ſemperque parata
Auro virtutem & vitæ præponere honeſtum.
Hoc redimit raſtrum, moreſque excuſat agreſtes;
Hoc bigæ præferre juvat cunctiſque quadrigis,
Quas agitat loro pubes generoſa latino
Docta per anguſtos temonem flectere vicos.
Plurima ſunt equidem, noſtro quæ tempore Romam
Arcadia invexit bona. Gothos undique & hunnos

318 *neſcia*] gens noſtra non muneribus corrumpitur, non vana gloriæ aura ducitur. *popano*] quod tenuis placentæ orbiculatæ genus fuiſſe monuimus: quaſi dixerit: *non ſi prende al boccone*.

321 *redimit raſtrum*] Integritas, inquit, modeſtia, temperantia, doctrina tanti ſunt, ut cum iis virtutibus conjunctos æquo animo ferre poſſis agreſtes mores & impolitos.

322 *hoc bigæ*] Virtutes iſtæ merito quibuſcunque divitiis, lautoque bigarum quadrigarumque apparatui præferendæ.

323 *quas agitat*] Vellicat (quod non ſemel alibi in *ſatyris*) romanorum nobilium aurigandi morem. *pubes generoſa*] patricia romanorum juventus.

324 *per anguſtos*] Ibi enim major requiritur aurigandi peritia; quam probe callent ſuæ conditionis obliti nobiles quidam juvenes plane inconſiderati.

326 *gothos*] Intellige barbaros ſuperioris ſæculi oratores & poetas; qui fuerunt litteris, quales moribus gothi & hunni. Inter plurima ab Arcadia Romam invecta bona præcipuum eſt, quod litterarum barbariem expulerit. In Italia enim ventoſa quædam, ut ait *Petronius*, & enormis loquacitas oratores poetaſque peſtilenti quodam ſidere afflaverat. Tumore rerum, verborumque vaniſ-

Litterulis primum evertit, lateque vagantem
Barbariem. Quis enim manantes rore poetas
Audire, & croceum redolentia verba cubile
Auroræ poterat quocunque in carmine? regnum
Quis ferret tumidum Æoliæ, jaculumque trisulcum,
Antraque tergemino semper latrata molosso?
Quodque magis doleas, rarus de pegmate sacro

Ora-

simo strepitu magniloquentiam sibi tandem assequuti videbantur. Poetæ, præsertim in tropis, figuris, imaginibus, modum omnem excedentes cum maxime divino furore correpti videri volebant, tum maxime pueriliter nugabantur. Rara denique, sive soluta, sive numeris vincta, oratio prodibat, ubi bonam non mentem desiderares. Post institutam Arcadum academiam sana eloquentia, quæ mutatis sedibus hinc ad transalpinos transmarinosque aufugerat, in Italiam tandem aliquando remigravit.

328 *manantes rore*] Superioris sæculi poetas notat, qui suis in carminibus eadem semper ad nauseam crepabant, puta croceum roscidumque auroræ cubile, Æolum ventis imperitantem, Neptunum tridente maria regentem, Cerberum trifauci rictu umbras apud inferos appetentem, perpetuoque latratu territantem; aliaque ejusmodi tralatitia ac sæpe inopportuna, ut horatiana expressus; quibus commemorandis si poetæ illi prohibiti fuissent, jam prorsus eos obmutescere oportuisset.

331 *Æolia*] In liparcis insulis contra Sicillam, unico nomine *Æolia* dictis, *Æolus* ventorum rex fingebatur regnare. *trisulcum*] Neptuni tridentem.

332 *antraque*] inferna. *molossa*] cane *Cerbero* trifauci.

333 *quodque magis*] Quod poetæ ineptirent, magis erat ferendum. Quid quod sacri Oratores, quorum est de gravissimis sanctissimisque rebus agere, eadem laborabant insania & barbarie? *rarus*] Sacros etiam oratores ita labes illa infecerat, ut si quid argutulum audiretur, solerent homines dicere: *è un bel detto per*

la

Orator cupidæ miſcebat pharmaca plebi,
Quæ non inficerent nugæ, ſtultique colores
Dicendi. Exciſis viſa eſt facundia nervis
Quærere trans alpes, quos nutrit Sequana mores,
Aut potius Tameſis conſiſtere transfuga ripis.
Nunc pudor a calamo dextram ſubduxit: & albæ
Parcere ſi nequeunt chartæ, vel funera regum,
Vel portenta canunt ſtupido vendenda popello,

Quæ-

la predica. Nunc vero quiſque noſtrum & loqui & ſcribere maxime expetimus ad veteris eloquentiæ exemplum. Ad ſacros oratores quod attinet, *Paullus Segnerius*, barbarie depulſa, primus romanam eloquentiam reſtituit. Qui autem ſecus feciſſet, qui ſe ad *Ciceronis* & *Chriſoſtomi* exemplum componere conatus eſt? *de pegmate*] valet hic quod nos: *pulpito*.

334 *pharmaca*] Elegans translatum: ſunt enim, aut eſſe debent, ſacri oratoris dicta quaſi pharmaca animæ vulneribus curandis.

336 *exciſis*] Enervis apud italos facta eloquentia ad gallos & anglos tranſmigravit: nam *Sequana* (*Senna*) Galliæ fluvius *Tameſis* (*Tamigi*) Angliæ ſeu Britanniæ.

339 *nunc pudor*] nunc jam pudet ea ſtili barbarie ſcribere.

340 *parcere*] Si quis vero nullo pudore captus pergat etiamnum eo ſtilo chartas conſpurcare; næ ille nugas ſuas aut carmina futilitatis plena nemini, niſi circulatoribus, jam poteſt obtrudere, regum funera, portentaque &c. deſcribendo. *funera regum*] Romæ ſi Pontifici M. vita functo, vel ſi cui Regi, magnifice, ut par eſt, parentetur, continuo erumpunt paſſimque veneunt putidæ ac triviales narratiunculæ, cujuſmodi cenotaphio, quibus imaginibus, quibus exequiis, pompa, laudatione juſta peracta fuerint.

341 *portenta*] Sunt qui victum ſibi quæritant cantandis vendendiſque infimæ plebeculæ octonis carminibus, quibus incondito rhythmo narratur vel gravis cujuſpiam & miſerabilis caſus, vel oſtentum aliquod aut prodigium, aut quiddam de-

Quæque etiam auriti recitent in pontibus orbi,
Ut trita eugubium captivent pyxide nigrum,
Transtiberina colunt latiæ cum festa puellæ.
Hæc ubi deficiant, suspensa cucurbita templi

For-

nique eorum, quæ atrocia sunt, miseranda, & incredibilia.

342 *auriti*] Cæci ad mendicitatem redacti certo quodam loco, fere vero in pontium aditu, auribus adstant semper arrectis, ut incessum audiant prætereuntium, a quibus stipem petant.

343 *eugubium*] asses æreos, vulgo *bajocchi*, qui Eugubii (*Gubbio*) cuduntur. Est autem hyppallage, qua pro moneta ponit locum, ubi ea percutitur. *trita pyxide*] h. e. capsula longo usu attrita, qua obolos colligit mendicans. *nigrum*] nigros dicit asses, h. e. fœdos, quod in minuto commercio a spurcis vilibusque fartorum olitorum laniorumque manibus atterantur.

344 *transtiberina*] Cum ad aliquam sacram ædem festus dies Romæ celebratur, illuc videas omnes Urbis puellas lepide ornatas, ut suis amatorculis sese præbeant spectandas, magna frequentia concurrere. Si trans Tiberim templum, ubi fit celebritas, adeundum sit, cæci pontibus insident manu vasculum gestantes, quo a misericordibus denarioli per rimulam demittuntur. Cantiunculas quisque suas plerumque concinunt, quas puellæ semioboli pretio coemere solent.

345 *hæc ubi deficiant*] Ubi hæc, quæ diximus, argumenta scribendi, canendique desint, poterunt isti barbari stili amatores epigrammata italica (*sonetti*) scribere pro molitoribus, fartoribus, pomariis, olitoribus, aliisque vilissimarum ejusmodi artium corporibus, quæ in æde B. Mariæ sacra trans Tiberim, vulgo *la Madonna dell' orto* (ubi olim *Prata Mutia* a *Mutio Scævola*, cui ob egregium in *Porsenam* facinus donata fuere) singulis festis diebus ad sacra conveniunt. Sua cuique corpori pars ædis ornanda fuit. Itaque molitores parietes egregiis lapidibus incrustarunt; olitores lacunar opere ornandum inaurandumque curavere &c. Sane delubrum ornari non

po-

Fornice; & a domino cæpa incruſtata metallo,
Et reſidens Maculo Umbriciuſque tapetibus altis,
Carminis ampla ſeges. Nil ultra; & contineant ſe
Intra ridiculum: ſedes non aptior illis.
Certe ego nil dubito præſenti numine factum,
Tempeſtate tua ut cœtum coaleſcat in unum
Flos itali ingenii; vanis diſcingere natus

Ser-

potuit magnificentius. Sed, quod rideas, ſua quæque illarum artium collegia voluerunt poſita inſignia in ſuæ magnificentiæ pietatiſque monumentum. Quare in lacunari videas cucurbitam deauratam; molam in parietibus ex alabaſtro, hic cæpam æneam auro illitam, illic ſtateram, petaſonem, lucanicam &c. Cum vero dies B. Mariæ natalis ſumma pompa colitur, IIviri, IVviri, aut VIviri eliguntur, qui curent ſolemnia, dicti vulgo: *Sagreſtani della feſta*. Hi tetradecaſtica (*ſonetti*) in B. Virginis, interdum etiam in ſui laudem, a compitalitiis poetis ineptiſſimis coemunt, quæ non carius conſtant, quam perna aut farcimen &c.

346 *domino metallo*] auro, quod in omnia, atque adeo in hominum mentes, dominatur.

347 *Maculo*] Duumviri ſolemnitatibus celebrandis, qui dum ſacra peraguntur in edito ſubſellio tapetibus veſtito turgidi ſedent.

348 *ampla ſeges*] multa materies. *nil ultra*] tentare, ſcribere audeant; nec ad ſeria & grandia ſe conferant.

349 *illis*] qui ad corruptum ſæculi ſtilum ſcribere pergunt.

350 *certe ego*] Factum eſſe ait propitio numine, h. e. divina voluntate ac nutu, ut præſtantiſſima italorum ingenia ſub optimo Principe in Arcadia coaluerint, qui deterſis adventitiis extraneiſque coloribus, quibus germanæ eloquentiæ nativum candorem ſuperioris ſæculi nugatores infecerant, res a tanto Principe præclare geſtas incorruptis litterarum præconiis commendatas poſteritati tradent per omnium ſæculorum ſeriem laudandas.

352 *flos itali*] præclariſſima italorum

Sermonem phaleris. Nam quamvis grandia, Princeps,
Suscipias, famæque sonum merearis amicæ;
Ni tibi præcipuus calamus succurrat, & atræ
Invidiæ clypeum opponat, tacitæque senectæ,
Non pelago objectæ moles fluctusque tumentes,
Deposita jussi tua littora lambere arena,
Nec refluum ad Centumcellas decurrere flumen
Edoctum, & longo suspensæ fornice lymphæ

Te

rum ingenia *Arcadiæ* vel primis annis nomina dedisse ex *Arcadiæ* ipsius monumentis satis constat. *discingere*] metaphora ducta ab equorum supellectile. h. e. vanis ornatibus eloquentiam expedire.

355 *præcipuus*] Nisi præcipue calamus, h. e. scriptores tuæ famæ perennitati consulant, tuasque res chartis mandando, te; quasi opposito clypeo; a temporis invidia & voracitate defendant; earum rerum licet maximarum, quales sunt, quas statim affert, memoria interibit. *tacitæque*] quorumcunque vel præclarissimorum factorum fama sensim ac tacite senescere solet.

357 *non pelago*] Etsi magnitudinem animi tui splendoremque luculentissime declaraveris in *Trajani* centumcellensi portu (*porto di Civitavecchia*) molibus mari objectis, & uberrimis salubris aquæ fontibus per cuniculos immanesque substructiones e *Tulphæ* montibus in eam urbem deductis: horum tamen memoria paullatim ipsa vetustate quodammodo atteritur & consenescit; tandemque deleta ad seram usque posteritatem nunquam perveniet, nisi ab aliquo poeta, vel quovis alio probato scriptore, ab oblivione vindicetur.

359 *nec refluum*] Imperitia artificum, seu potius redemptorum fraude, quibus *Innocentius XII.* opus illud aquæ Centumcellas deducendæ locaverat, factum fuerat, ut rivus non satis declivi fluens itinere, turpissime reflueret.

360 *suspensæ*] longo ducta arcubus sustentato derivatæ.

Te letho eripient; venturaque nesciet ætas,
Quæ modo romuleos implent, tua nomina, fastos.
Diruta templa vides Solymæ testantia cladem,
Quamvis barbaricis fuerit suffulta columnis
Testudo; præcepsque Titi dilabitur arcus,
Artis opus mirum; quæque occupat æthera, moles
Flavia pendenti laudatur clara ruina;

Vix.

361 *te letho*] tui nominis memoriam ab interitu vindicabunt.

363 *diruta*] Magnificentissima quæque mortalium facta tandem peritura exemplis, & quidem oculis quotidie propositis, confirmat. Idem *Plin.* ad *Trajanum* in paneg. n. 55. *arcus enim & statuas, aras etiam templaque demolitur & obscurat oblivio &c.* Diruta templa accipias templum *Pacis*, cujus insignes adhuc exstant reliquiæ, a *Vespasiano* Augusto ob deletam, ut *Sectanus* putat, *Hierosolymam*, ædificatum. Plures templi fornicem sustinebant immanes columnæ, quarum unam in area ante vestibulum Liberianæ basilicæ *Paullus V.* locavit. Illuc inferri *Vespasianus* jussit, teste *Josepho*, candelabrum, ceteraque templi hierosolymitani vasa & ornamenta. Sub *Commodo* magnificentissima ædes tota incendio conflagravit.

365 *arcus*] Non longe abest a *Pacis* templo arcus triumphantibus (quod plerique opinantur) *Vespasiano* & *Tito* dicatus, qui vetustate exesus ita labefactatus est, ut nihil propemodum absit, quin totus dilabatur.

366 *opus mirum*] maxime ob ea, quæ anaglyptico opere exhibet repræsentata; inter quæ candelabrum templi hierosolymitani. *occupat æthera*] h. e. moles sublimissima.

367 *Flavia*] Amphitheatrum *Flavium*, vulgo *il colosseo* (de quo alibi) inter admiranda romanorum ædificia sane maximum, cujus pars magna diruta, quodque ex eo superest aliquibus in locis fatiscens ingentibus rimis jam jam ruinas agere videtur: *laudatur*] Tanta moles jam ea quoque de caussa celebratur, quod rui-

Vixque datum magni vestigia visere Circi,
Aurat æque domus, Regis monumenta superbi.
Scilicet immiti longæva perambulat ætas
Cuncta super gressu, spargitque oblivia Lethes,
Sola manet Virtus, fatique ignara per ævum
Extendit nomen: nec splendida facta peribunt,
Scriptor ubi æternæ stillavit balsama vitæ.
Hanc igitur foveas, hanc amplexare, latini

O de-

ruinam jamdiu minitetur impendentem, nec tamen edat.

368 *Circi*] Circus maximus a C. *Cæsare* Dictatore exstructus longitudine stadiorum trium, seu palmorum nostratium 2500, latitudine unius, cum ædificiis jugerum quaternum, ad sedem 260 millium, occupabat: quaterna autem jugera palmos conficiunt romanos recentes 1730. Ejus hodie vix, ac ne vix quidem apparent vestigia.

369 *aurataque*] Nero domum a palatio ad exquilias fecit, ut tradit *Tranquillus*. Mox incendio absumptam restitutamque *auream* nominavit; de cujus immensa laxitate, incredibili magnificentia, & sumptibus in eam factis usque ad insaniam, vid. *Tranquillum* ipsum in *Neron. c.* 31. de qua domo diximus ad *sat.* 16. 1. versiculos illos prodiisse: = *Roma domus fiet: Vejos migrate, quirites:* = *Si non & Vejos pervenit ista domus.* =

370 *immiti*] Velis nolis, vetustas, quoddam quasi numen inexorabile, omnia pessum premit, conterit, & oblivione spargit.

371 *Lethes*] inferni fluminis, cujus aquas potas oblivionem omnium rerum ingerere notissima fabula.

372 *fatique ignara*] mori nescia; cujus nomen ac fama æterna.

374 *balsama*] Elegante translato, quæ Scriptor egregius suis scriptis posteritati tradit illustrium virorum monumenta, balsama vitæ appellat: inde siquidem perpetuo vivunt in omnium ætatum memoria.

375 *hanc igitur*] Doctos igitur ac virtute præditos, optime *Clemens*,

fo

O decus imperii, donisque augere paratis
Ne pigeat, positumque putes in fœnore munus.
Magna quidem tetigi; sed tu majora capaci
Mente agitas. Duro volvuntur sæcula ferro
Aspera, & insomni nondum lux una Tiaræ

Af-

fove, amplectere, ac donis & honoribus auge.

377 *positumque*] Ab utili Principem hortatur, ut viros virtute scientiaque claros alat, sustentet, augeat. Quorum enim vera & solida est, non adumbrata, doctrina, ii Principis beneficentia aucti, parta illius nomini suorum scriptorum monumentis immortalitate, veluti fertiles agri, multo plus allaturi sunt, quam quod acceperint. Scribebat hæc *Sectanus*, dum florentibus Arcadiæ rebus ex omni disciplina Theologi, Philosophi, Geometræ, Oratores, Poetæ, antiquitatis cognitione, linguarum peritia, multiplici doctrina excellentes Viri in eam Academiam plerique adscribebantur. Quod omnino monendum censuimus: ne hæc pertinere ad se posse putent vaniloqui versificatores, leves rhetorisci, impudentesve trasones, qui, quasi omnia noverint, in quamcunque disciplinam nihil non attentant, ut Græculus ille apud *Juven. sat.* 3.

378 *magna*] ut magna sint, quæ cursim hic commemoravi, majora sunt, quæ magno animo agitas.

379 *duro*] sæcula habemus ferrea, non quidem si litteras spectes & artes, sed si mores, tantasque rerum perturbationes.

380 *& insomni* [semper vigilanti. *Tiaræ*] pro pontificio regno. *nondum lux una*] una dies. Constat *Clementem XI.* sæpe solitum fuisse dicere: ex omnibus diebus (neque paucis) quos in summa vixerat potestate, nullam sibi diem non aliquid molestiæ, & angoris attulisse. Quotusquisque vero Pontifex Romanus fuit, cui hoc idem dicendi querendique multæ non fuerint caussæ? Eam credo esse omnium, qui regnant, conditionem, ut non sine gravissimis curis regnent. Quid vero de Romano Pontifice, cui tanta rerum moles imposita est, quanta umquam nemini? Ita maxima cum dignitate maximæ sollicitudines conjunctæ.

Affulfit rapidæ non fœta tumore procellæ.
Ut Sinas taceam, ſtultæque piacula gentis,
Et ſola indignas reſolutas morte catenas,
Te Fidei tangunt gemitus, regumque potentum
Diſſidia, & totum commiſſa duella per orbem.
Te Patrem appellat, nudat tibi vulnera mille
Europa, & lacero venit ad tua limina peplo,

Sciſ-

381 *non fœta*] non tumidis procellis gravida.

382 *ut Sinas*] Decreto, quo ritus quoſdam ſinicos, ut qui cum chriſtiana religione convenire non poſſent, *Clemens* damnaverat, nonnulli apud ejus gentis Imperatorem gratia florentes acerrime adverſabantur. Ex ea re afflictiſque ac proſtratis catholicæ religionis rebus Pontifex graviſſime animo angebatur. Longa nimis ejus rei ac moleſta hiſtoria, eademque ex iis, qui ad hos fere annos ſcripti ſunt, libris notiſſima. Vid. *ſat. ſuperiorem* ad *fin.*

383 & *ſola indignas*] Carolus Thomas Cardinalis *Turnonius*, ad Sinenſes cum Legati, ut vocant, *de latere* poteſtate a *Clemente* miſſus, ob ſtrenue propugnatam catholicæ fidei puritatem adverſus ſinicarum illarum cæremoniarum labem Amacai (*Macao*) in carcerem conjectus, niſi morte, tanto ſane Viro indigna, ſeu potius ſanctis illis vetuſtæ Eccleſiæ chriſtianis digniſſima, vinculis non eſt liberatus, VI. id. jun. 1710.

384 *te Fidei*] Gallicanæ Eccleſiæ quibuſdam Epiſcopis obſtinato animo Apoſtolicæ Sedis decretis parere detrectantibus, quantum inde catholica fides detrimenti caperet Pontifex magno dolore intelligens quotidie tanto malo ingemiſcebat. Videſis hiſtoricos.

385 *diſſidia*] Bellis per ea tempora atrociſſimis tota fere ardebat Europa, ut in annalibus.

386 *vulnera mille*] tot tantaſque tibi ſuas calamitates oſtendit, ut paternis interpoſitis officiis ſuccurras.

387 *peplo*] ſuperiore matronali ſtupo.

Sciſſa comas, fletuque genas perfuſa tepente.
Proh fatum! noſtro fumant ſaturata cruore
Arma, quibus perſæ melius ſcythæque perirent.
Mille rates in bella ciet, roſtroque ſuperbo
Jam gravis Italiæ cupida ſpe devorat Urbem
Impius, & ſpoliis jam nunc exſultat opimis.
Sed non odryſio ſemper fortuna tyranno
Vela dabit, noſtrumque cadet ſine vulnere telum.
Auſpice te quanta feſtinat mole geritque

potius regia veſte; dicerem *manto*; licet non hoc omnino ſonet vox: bene autem *lacero*, vel ad doloris indicium, vel quod bellico furore quaſi diſciſſum fuerit.

389 *noſtro fumant*] Infenſis inter ſe armis chriſtiani reges decertabant, quæ multo utilius præclariuſque conjunctis viribus in teterrimos chriſtiani nominis hoſtes convertiſſent.

390 *perſæ*] Scythas ponit pro thracibus, vulgo *turcis*.

391 *mille rates*] maritimum in Venetos bellum formidoloſiſſimum thraces & gerebant & parabant.

392 *Jam gravis*] partim ſumptibus, quod Italiæ Principes, cum maxime Pontifex, pecuniam, milites, commeatus, rates ſuppeditarent; partim timore, quod pulcherrimam regionem, ipſamque adeo Urbem, hoſtis crudeliſſimus inhiaret.

394 *odryſio*] turcarum tyranno.

595 *vela dabit*] proſperis ventis pandenda: h. e. non ſemper erit propitia: quod poetice dictum accipias: nihil enim non Dei univerſa regentis nutu fieri credebat *Sectanus*.

396 *auſpice te*] Clementis XI. ſuaſionibus & hortatu *Carolus VI.* Cæſar cum Venetis inſtaurato fœdere ingentem belli molem in Pannonia anno 1716. pro chriſtiana republica in turcas moverat reſque gerebat clariſſimus ille *Eugenius* Princeps a *Sabaudia* dictus, in quo ſumma rei militaris ſcientia, virtus, auctoritas, felicitas

Cæſar bella Dei, cauſamque tuetur olympi!
Nec tantum precibus cœlum gemituque fatigas,
Udaque flexanimis turgeſcit palpebra guttis;
Sed vires auges ſtudiis, &, in arma feroces
Dum properant aquilæ, fulvo tua dextra metallo
Militat ad Savi ripas; undaque fideli
In mare jam totus te vindice labitur Iſter,
Ultorique vado pallentem provocat Hebrum.
O quot theſſalicæ numerabunt funera matres,
Cum primum gladius ſacras luſtratus ad aras
Ful-

398 *nec tantum*] Res non modo precibus lacrymiſque ad Deum fuſis, verum etiam officiis ſtudiiſque, potiſſimum vero pecunia, juvabat Optimus Pontifex.

401 *aquilæ*] arma Cæſaris ab aquila militari romanorum ſigno. *fulvo*] auro. Pecunia ſua Pontifex ſumtus belli ſuſtentando bellum adverſus turcas quodammodo gerebat.

402 *ad Savi*] vulgo *la Sava* in regionibus pannonicis, vel Pannoniæ, nunc *Hungariæ*, finitimis. *undaque fideli*] a chriſtianorum armis ſubactæ gentes circa Iſtrum, nobis *Danubium*, ſuperſtitione abjecta, ad Chriſti fidem convertentur. Non enim adhuc tantum boni conſequuta erat chriſtiana reſpublica, ſed futurum auguratur *Sectanus*: nec fruſtra, niſi fuiſſet, qui inter nobiliſſimas *Eugenii* victorias Cæſaris res turbaſſet. Vid. *Muratorium italicorum annal. vol.* 12. *ann* 1717.

404 *ultorique*] Iſtrum cæſariani milites, turcicarum injuriarum fortiſſimi ultores, ſeu vado ſeu pontibus trajicientes provocant *Hebrum*, h. e. thraces tanta irruptione perterrefactos. *Hebrum*] flumen in Thracia, hodie *Mariza*. Vides quam poetice omnia.

405 *o quot*] Pergit proſpera quæque ominari, bellum præclariſſimo adminiſtrante imperatore. *theſſalicæ*] turcicæ.

406 *gladius*] Egregii imperatores, qui

Fulguret! Ismaricas rumpent tua dona phalanges;
Invictique Ducis, manibus post terga retortis
Braccati reges, & barbara virgo sequetur,
Quales non egit, Roma plaudente, triumphos
Nec Marius victis afris domitoque Jugurta,
Nec qui deleta retulit Carthagine nomen.
Felices properate dies: impune licebit
Sacratos Solymæ colles urnamque capacem

qui adversus christiani nominis hostes strenue pugnaverint, militari pileo atque ense a Romano Pontifice, sacra quadam adhibita cæremonia, donari solent. *Eugenium* ob res ad Petrovaradinum & Temesvariam fortissime gestas, misso ad id Præsule *Rasponio*, Clemens XI. ejusmodi honore auctum voluit. Sacro igitur ense ac pileo Jaurini (*a Giavarino*) vi. id. novembr. an. 1716. ornatus est. *lustratus*] Ensem illum (vulgo *stocco benedetto*] natalitia D. N. J. C. nocte lustrandi ritus a Romano Pontifice peragi solet.

407 *ismaricas*] turcicas ab *Ismaro* monte in Thracia. *tua dona*] ensis ille, quo est a te donatus.

409 *braccati*] barbari, qui longioribus braccis utuntur, pro orientalium more.

411 *nec Marius*] C. Marius arpinas eques romanus, qui septies consulatum gessit, summus ille imperator, *Jugurtham* regem in Africa superavit. *Juven. sat.* 8. 245. *Plutar.* in *Mario*.

412 *nec qui*] P. Corn. *Scipio Æmilianus Africanus* minor, qui Carthaginem Numantiamque delevit.

413 *felices*] Vota facit *Sectanus*, ut aliis super aliis partis victoriis turcarum quamprimum evertatur imperium: ut inde ea, quæ mox commemorat, bona christianis consequantur. *impune*] sine periculo & impendio.

414 *sacratos*] vulgo *il Calvario*, ubi reparationis nostræ mysteria, divino mactato Agno, peracta sunt. *urnamque*] Christi Redemptoris sepulcrum.

Numinis ore pio cupidisque invadere labris:
Et patriam, dulcesque focos, & cara relinquet
Pignora longinqua properans regione viator,
Primaque deposita solvet formidine vota.
Jam Libani saltus transcendere & ense juvabit
Scribere odoratis belli discrimina truncis.
O quoties cæso, Clemens, tua nomina cedro
Discinctus patrii mirabitur incola montis!
Et parvis uxor narrabit garrula natis
Historiam, inque omni te cortice pastor amabit;
Atque Parens Orbis, pacisque vocabere Princeps.

PRO-

419 *Libani*] montis in Syria, unde oritur Jordanis, pro *Palæstina*, in qua Verbum Patris JESUS CHRISTUS homo factus nasci, vivere, mori dignatus est. Vides qua poetica majestate concludit.

420 *truncis*] cedrorum, quæ sæpe in sacris litteris memorantur, in *Libano* olim frequentissimæ, nunc vero infrequentes.

422 *discinctus*] Ad animi laxamentum ac remissionem pertinet hic vox *discinctus*; ut *discinctus* dicatur, qui animo remisso est, & ab omnibus curis soluto. Hor. 2. sat. 1. = *Nugari cum illo, & discincti ludere, donec = Decoqueretur olus* . . . .

424 *amabit*] Pastores maxima cum animi delectatione in omni cedrorum cortice tuum nomen scriptum legent.

ENARRATIONES

IN SATYRAM XVIII.

Italia] Pulcherrimam Satyram a multis exscriptam typis committere quatuor vel quinque suum ante obitum annis, regnante *Innocentio XIII.* in animo *Sectanum* habuisse, plagula quædam, ipsa illius manu exarata, demonstrat, quam (quod gratissimum fuit) in autographo volumine, separatam tamen, invenimus. Delineatam, multisque lituris intercisam complectitur *Typographi ad Lectorem* præfatiunculam, quam Satyræ præponere statuerat. Ex qua præterea est intelligere, Satyras omnes, quales nunc prodeunt, in lucem emittere propositum habuisse. Ne quid autem tanti viri intercidat, ita, uti est, afferimus.

TYPOGRAPHUS LECTORI BENEVOLO

Pervenerat ad manus meas forte fortuna quoddam carmen ignoto auctore exaratum, sed tanta verborum rerumque ubertate fæcundum, eoque lepore ac latini sermonis elegantia concinnatum, ut aureo sæculo natum productumque facile credidissem, nisi Clem. XI. nuperrime gesta, res, moresque nostros utraque pagina contineret. Doctissimis in Urbe Viris, quorum consuetudine familiariter utor, illius copiam feci; & a frequenti corona non semel perpenso, consensere omnes scribendi felicitatem, & styli robur nitoremque uni Q. Sectano tribuendum; meque, ut publica usura facerem, communibus votis impulerunt,

 Pa-

Parui libentissime. Atque utinam integrum Anonymi Auctoris opus auctum emendatumque meis cudendum typis contingeret. Haberet sane respublica illustre documentum nostra ætate, licet senio confecta, vigeret adhuc latinum sermonem: & romanæ eloquentiæ dignitatem, modo cultura adhibeatur, a longo interitu revocari posse fateretur. Hanc tamen exiguæ partis editionem totius Operis futuram præludium alacri animo mihi polliceor. Quoties enim mecum reputo regnantis Pontificis Innocent. XIII. præcipuum in politiores litteras amorem, & conquisitis undique codicibus amplissimam in ædibus suis conflatam bibliothecam, in spem erigor, Romano Principi gratum acceptumque fore, si Q. Sectani carmina in lucem prodeant, ne Urbis æternæ decori ac famæ invidisse quodammodo videatur. Dempto siquidem Satyrarum titulo, quo pusilli jejunique ingenii homines plerumque commoveri solent, & acerbitate nuncupationis mitiori vocabulo delinita, conatus laboresque meos etiam severioribus auribus placituros maxime confido. Ædilem metuant ineptiæ nugæque frigidissimæ, quæ italos Auctores, non sine bonorum mœrore, transalpinis gentibus sæpius ridendos exhibent. Verum elucubrationes communi Litteratorum consensu probatas, & a quibus severam flagitiorum censuram, honestique moris imitationem, haurire datum, prelo committere e re publica, nedum opportunum, meo judicio videtur. Vale, amice Lector; & hac tenui libatione pleni poculi desiderium interim solare.

12 *lacrymis*] De illa *Clementis XI.* repugnantia & lacrymis ex multis clarissimorum Virorum testimoniis, *Joannis Vincentii Gravinæ* verba majestatis plena, quæ sunt in *nuncupatione ad Clementem XI.* potissimum placet proferre. = *Talis enim tua fuit Pontificatus recusatio, ut nihil humani penitus in egregia illa moderatione animi deprehendatur. Neque enim cum sensu modestiæ metus hostium christiani nominis admi-*

miſcebatur, non tyrannorum atrocitas, non eccleſiæ vexatio, non pericula, non cædes, nulla ſtrages, nulla ſeditio, commotio nulla bonorum fugam incitabat. Et tamen ad culmen dignitatum omnium invitus atque reluctans, mœrore ac triſtitia ſqualidus, lacrymans, & gemebundus, e cubiculo, ubi te condideras, velut ad crucem aliquam evocabaris........... Dum enim ampliſſimi Patres ad te confertim ibant, ut paratum divinitus delatumque ad te a collegis omnibus Pontificatum maximum reciperes; tu illum ad ſeniores conſtantiſſime remittebas, unanimeſque preces lacrymis abunde manantibus refutabas. Cum igitur nemo, quin eſſes unice creandus, ambigeret, præter unum te, a cujus modeſtia, cum illi magis contenderent, minus expugnabant, idemque diffiſus viribus copiam ſuffragiorum undique te ambientium averteres, ac ſolus petitioni omnium repugnares; certe non tam comitia illa fuere, quam lis & judicium inter te ac ſacrum Senatum inſtitutum, cœleſtique ſententia diremptum, ac definitum ſacrorum librorum oraculis: quæ voluntatem pervicere tuam, ac te attinuere dilabentem; ut divinam in Pontificia creatione præſentiam, quam nobis adhuc religionis auctoritas perſuaſit, nunc in mirabili creatione tua oculis prope deprehenderimus. Quæ enim humana ope negotia illa, quæ ſuapte natura levi qualicumque aura vertuntur, tamdiu conſtitiſſent, niſi vis divina optimorum Patrum voluntates in te incumbentes ex alto rexiſſet; eorumque ſuffragia, ne alIorſum deflecterent, totum illud glorioſiſſimum tibi, longum vero atque anxium ceteris mortalibus, triduum admirabiliter ſuſtinuiſſet? Quæ tum populi totius trepidatio fuit! quæ ſollicitudo bonorum! quales anguſtiæ doctorum ac piorum hominum! quanta fluctuatio Eccleſiæ univerſæ! quæ dum retraheres manus a gubernaculo tibi porrecto, portum hic, illic ſcopulos, hac ſere-

 nita-

nitatem, illac tempestatem prospectans, a te unice petebat, ut in tranquillum conferretur &c.

14 *dum triduo*] Reluctantem *Clementem* tandem vicit trium pietate doctrinaque gravissimorum Virorum unanimis sententia; qui, magna e theologicis doctrinis collecta argumentorum vi, *contra Clementis* perrari exempli modestiam pronunciarunt. Fuere autem *Thomasius* (*Tommasi*) Teatinorum, *Alfarius* (*Alfaro*) Jesuitarum; *Massolinius* (*Massolin*) Prædicatorum, *Baresius* (*da Varese*) Franciscanorum Ordinis. Neque hic prætereundum, Josephum M. *Thomasium* tum cum *Cardinalatus* dignitatem a *Clemente XI.* oblatam constantissime recusaret, sua ipsius doctrina ab Optimo Pontifice expugnatum esse.

43 *cineri*] Sexagesimo tertio ætatis anno decessit *Alexander Guidius*. Mortis autem caussa fuisse fertur, quod cum prid. id. jun. an. 1712. rheda vectus Tusculum peteret, ut inde Pontifici Maximo ad *Castrum Gandulphi* rusticanti ejus *Homilias* a se versibus hetruscis datas, magnificisque typis excusas, splendidissimaque membrana intectas sisteret; atque inter viam in volumine evolvendo delectaretur, in typographicam mendam inopinato incidit, quæ forte una incredibilem peritissimorum ortographorum diligentiam fefellerat: quare ea fortuna fraudatus, quam hercle nemini unquam contigisse credo, bile subito exarsit, non quidem immodica, sed tamen multa præ ut mite illius ingenium ferre posset, tantaque, ut torpore correptus paullo post contra *Ciceronis* villam expiraverit.

45 *Torquato*] Cum *Guidio* sepulcrum *Tassi* cineribus proximum statui jussisset *Clemens XI.* Pontificem ipsum quasi ejus ambitioni, quam vivus declaraverat, nimium indulgentem pungere videtur *Sectanus*: quod forte caussa fuit, cur de hac

Sa-

Satyra seu carmine typis committendo nisi post *Clementis* obitum, & in novo regno, non cogitarit.

54 *ante stolatarum*] Interea dum litteratuli græcum latinumve auctorem ante matronas interpretantur, illæ pinguntur, comunturque, singulisque periodis seria gravisque de stola, de redimiculo, de calantica, nonnumquam etiam atrox inter ancillas & dominam de lapso cincinno, rixa interjicitur. Quamobrem litteratulus librum seponere cogitur, intermissaque lectione concertationem dirimit, dominæ animum demulcet; post ad librum redit. Quicquid illa dixerit; ingenium, argutias, sublato supercilio, laudat, admiratur. Ita matronam sublandiendo, argutando, garriendo, assentatiunculis inflat, sibique demeretur. Ad hunc modum non unus fuit, qui res suas fortunatus mirifice auxerit, & ad honores sibi aditum patefecerit. Vid. *Terent. Eunuch.* 2. 2.

78 *urbinas . . . Apelles*] Raphael urbinas ann. 1482. *fer.* VI. *in Parasceve* natus, sacra eadem die VII. id. april. ann. 1520. æt. 37. esse desiit. In *S. Mariæ ad Martyres*, vulgo *della Rotonda*, quod olim *Pantheon*, ejus videre est monumentum, ubi legitur elogium, quodque sequitur, distichon a Petro *Bembio* scriptum.

Ille hic est Raphael, timuit quo sospite vinci
Rerum magna parens, & moriente mori.

Muretius pariter & *Castilionius* perelegantibus versibus memoriam posteritati commendarunt.

93 *Insculpto*] Utrumque de *Cleopatra Castilionii*, & *Favoritii* carmen est in volumine Operum *Balthassaris Castilionii edition. patav. cominiana* 1733. alterum *pag.* 339. alterum 359.

225 *sed quis prætereat*] De liberalium artium Academia illa ann. 1702. a *Clemente XI.* instituta hæc habet in vita Joannis

Marii

Marii *Crescimbenii* Cl. Franciscus M. *Mancurtius* forocorneliensis: cujus ex Fratre nepos hic noster *Dominicus Carretius Mancurtius* (*dal Carretto Mancurti*) mihi, qua est humanitate, benevolus, tam belle jurisprudentiæ severitatem cum musarum amœnitate conjungit. = *In questo medesimo tempo il Massimo Pontefice Clemente XI. a cui le lettere tanto debbono, e per cui le buone Arti risorsero in Roma, istituì la celebre Accademia del Disegno in Campidoglio, ed appoggiò altresì la cura della celebrazione della medesima alla nostra Adunanza: perlochè gli Arcadi poi sempre la resero chiara co' loro discorsi, e poetici componimenti stampati. Il primo de gli Oratori, che vi recitasse, fu l' Avvocato Gianbattista Felice Zappi, onore dispensategli dallo stesso Pontefice; e onore* altresì non *conceduto poscia, se non a Prelati eloquentissimi; e furono questi: Monsignor Lodovico Sergardi*; (cujus pulcherrima Oratio est in nostra edition. ejus Oration. & epistolar. volum. pag. 20.) *D. Annibale Albani, oggi amplissimo Cardinale; Monsig. Ulisse Giuseppe Gozzadini, poscia splendore della Sacra Porpora e Vescovo d' Imola; Monsig. Camillo Cybo, Principe per la sua rarissima pietà e dottrina oggi decoro del Senato Apostolico; Monsig. Cornelio Bentivoglio Cardinale anch' egli letteratissimo; Monsig. Vincenzo Santini; Monsig. Domenico Riviera; Monsig. Filippo Maria Monti; Monsig. Niccolò Forteguerri; Monsig. Carlo Majella; e Monsig. Giovan-Vincenzo Lucchesini: ciascun de' quali per lo spazio di dodici anni illustrò la detta Accademia, allora quando mercè del magnanimo genio e della munificenza del medesimo Sommo Pastore facevano in Roma pompa di se stesse le Arti cospicue della Scultura, Pittura, e Architettura.*

275 *Arcades*] Quoniam iterum de Arcadia incidit sermo, ac, quod in *enarratione* 2. ad 2. *satyr.* scripsimus, errandi occa-

occasio sit, illud hic monendum censemus, *Arcadiam* quidem sub auspiciis *Christinæ Alexandræ* suecorum reginæ natam dici posse, non vero, dum adhuc ea viveret, congregari cœptam: nam superiore anno 1689. xiii. cal. maj. decesserat. Augustæ autem Fœminæ originem primaque suæ dignitatis fundamenta debere *Arcadiam* Michael Josephus *Moreius* Procustos in *Orat. de laud. Clem. XI. vol. 4. Vit. Arcad. illustr.* prædicat = *e Cristina la gran Regina di Svezia, la nostra immortal Basilissa, quella, dal cui regal genio riconosce Arcadia e la sua origine e il fondamento di sua grandezza ec....*

Præterea *parrhasium* nemus (ut in *enarrat.* 12. ad *eand. satyr.*) ab Arcadiæ regione *Parrhasia* dictum omnino volumus, non vero a *parrhasia ursa*: quod ex invita interpretatione *Paulli Alexandri Maffeii* (de quo in *enarrat.* 188. ad *satyr.* 4.) imprudenter posuimus; quem post suis in annotationibus ad *Sectanum* infirmæ quandoque fidei esse novimus, & antiquariorum fere communi labe infectum; qui cum plurima properantes negligentesve scribunt quadrata sæpe miscent rotundis.

280 *scilicet & tempus venit*] Arcadicæ, quæ ann. 1711. exarsit, seditionis caussas pro vario partium studio alii in alios congerunt. Eorum, qui ab Arcadia secesserunt, seque novo nomine *Quirinos* appellarunt, qui partes defendunt, rem ita narrant. In Arcadia Alphesibœus Caryus (*Crescimbenius*) summum magistratum gerebat, quem contra jus fasque ad extremum vitæ spiritum retinere voluit. Est enim secunda inter Arcadum leges = *Custos rebus gerundis & procurandis singulis Olympiad. a Communi creator, minusque idoneus removetor.* = Custodi adesse XIIvirum Collegium tertia lex jubet. Hos pro lubito suo Custos potest adsciscere, ita tamen, ut consulto universo Cœtu singulis annis novos sex eligat,

sex

sex veterum retineat. *Alphesibœus*, ut sibi viam muniret ad regnum, quos consuetudine, familiaritate, sensibus sibi conjunctissimos habebat, aut vario officiorum genere obnoxios fecerat, eos tantummodo Collegas creare, iterumque eligere, nec in orbem singulis Pastoribus eum magistratum mandare, idoneos complures præterire; ac præsertim, odio & factione intercedente, juvenum aliquot nullam rationem habere, quorum carmina in solemnibus Arcadiæ conventibus clamore & plausibus probabantur. Hi e *Bionis* disciplina fere omnes poetica laude maxime florentes, cum se contemni diutius pati non possent, lege agere cœperunt. Lex enim tertia ita se habet = *Custodi Vicarius & Collegæ duodecim adsunto. Eorum singulis annis Custos, consulto universo Cœtu, novos sex in orbem eligito, sex veterum retineto* = Tergiversantem *Alphesibœum*, legemque interpretando rem extrahere tentantem ad inimicitias redegerunt; ipsum arcadicarum legum perscriptorem (*Joan. Vincent. Gravinam*) vehementer flagitantes, ut, quam ipse expresserat, legem explicaret. Quare cum quæreretur, an ex formula *in orbem eligito* liceat semel vicem suam functum Collegam, præteritis idoneis aliis nondum electis, iterum eligere, perscriptor legis ab universo Cœtu consultus respondit: *non licere*. Tum vero maxime iræ exarserunt. Qui ab *Alphesibœo* stabant dictitare cœperunt, *Bionem* seditiosorum nutricolam juvenes ingenio quidem & poetica facultate non contemnendos, sed juveniliter ferocientes, ad Academiam evertendam excitasse. Res tandem ad judices civilium caussarum deducta est, qui gnari genus esse irritabile vatum, & utri partium caussam adjudicassent, obtrectationem invidiamque subituros, judicium protrahendo exspectabant, dum leniente animos die defervescerent iræ. Et sane restincto paullatim animorum ardore, cum sua quemque quies & re-

missio

missio delectet, de re nullius momenti, & qua nemo, nisi modice, tangebatur, utraque factio desiit disputare.

Exstat autem hac de re eruditionis ingeniique plena *Joan. Vincentii Gravinæ*, qui secessionis illius auctor habebatur, ad Scipionem *Maffeium* epistola italice Romæ data mens. septembr. 1782. *Guidii* carminibus apposita.

Contra vero *Alphesibœus* ipse, quique ab eo stabant, suo rationum pondere arcadici tumultus a se culpam avertunt; idque potissimum pro se afferunt, frequentissimo cœtu xii. cal. sextil. an. 1711. congregato, sexagenis quaternis suffragiis *Bionis* interpretationem illam rejectam fuisse. Ne longiores simus, adeas ad *Mancurtium* in Vit. *Crescimbenii*, & *Crescimbenium* ipsum, in compendiaria Arcadiæ historia quinto ejus de italica Poesi librorum volumini annexa.

299 *Tullia & Andromede*] Tragœdias quinque italice scripsit *Philodemus*, quas primo Neap. edidit an. 1712. Sunt autem: *Il Palamede*; *l' Andromeda*; *l' Appio Claudio*; *il Papiniano*; *il Servio Tullio*. Iis autem ita sibi ad *Sophoclem* & *Euripidem* proxime visus est accessisse; ut eas perfectum in exemplum subjiceret; seque nihil præclarius scripsisse, & imperitissimos diceret, qui reprehenderent; atque adeo tragicæ apud italos se conditorem prædicaret. Sed ut tam magnifice de iis ipse ejusque amici sentirent; tamen multa objicientes improbarunt quamplurimi; quorum sane judicium apud posteritatem vicisse videtur. Neque eum alium inde cepisse fructum comperimus, quam quod odio fere publico Romæ flagraverit, novo invidiæ, quam turgida quædam ingenii ferocitas jam ante in illum incenderat, oblato argumento. Cujus profecto invidiæ socium & hæredem habuit carissimum egregiumque alumnum *Petrum Metastasium*. Quare acerrimus idemque lepidissimus *Julius Cordarius* (*Ab. Giulio Cordara*

dara di Calamandrana) (latinis italicisque musis, universæque litterariæ reip. jucundissimum nomen) in parentali oratione ad Academicos *Immobiles* Alexandriæ Statiellorum de laudibus *Petri Metastasii* VII. id. jul. superioris an. 1782. habita, secundisque prelis hoc anno Romæ edita, pag. 11. & 12. hæc habet: = *Uscito felicemente da' primi studj elementari della puerizia ebbe, non so come, l'incontro di farsi conoscere da* Gian Vincenzo Gravina, *uno de' più grandi Uomini in lettere, che allora vivessero, ma per certi suoi essenzialissimi pregiudizj odiato comunemente e giustamente in Roma*. Il Gravina *rapito dalla bell'indole del Giovinetto* Trapassi, *che più bella ancor compariva in un bel volto, e scortolo dal verseggiar che faceva all'improvviso, d'ingegno oltre modo pronto e ferace, sel prese a coltivar nelle lettere greche e latine, ma specialmente nella tragica poesia, di cui egli stesso avea dato più saggi al pubblico, poco però dal pubblico applauditi, e dalla penna licambea del celebre* Q. Settano *anche derisi. Non è cosa nuova, che chi sa dare ottimi insegnamenti in qualche facoltà non sappia poi eseguirli. Ciò vale specialmente nella Poesia, di cui parlando Orazio, io farò, dice, come la cote, la quale aguzza il ferro e lo rende tagliente, eppur essa non taglia*.

. . . . fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi.

Pag. deinde 16. = *Morì frattanto il* Gravina *nel gennaje del* 1718, *e lasciò erede, come de' suoi beni, così anche in gran parte delle sue odiosità il suo diletto discepolo* Metastasio. *Questi, che di poco oltrepassava i venti anni di età, ben si accorse, che i nemici del suo Maestro erano ancora nemici suoi, e che il vento di Roma non gli spirava a seconda. Per toglierfi dunque dagli occhi di un popolo, che tutto vede, di tutto par-*

la,

la, e niente perdena, trovandosi alquanto al largo per l'acquistata eredità prese il partito di fare una corsa a Venezia &c.

Pag. autem 19. = *In fatti l'anno seguente* 1729. *l' Ab.* Metastasio *fu chiamato a Vienna in qualità di Poeta Cesareo: e Roma, che dianzi applaudiva ad* Artino, *e sel tenea caro, come Poeta, per non doverlo sempre rimirar di mal occhio, come discepolo dell' odiato, benchè dottissimo*, Calabrese, *di buon grado sel lascia toglier dal seno, e gliene dà il congedo.*

Denique pag. 30. & 31. *Della sua Patria non lagnossi giammai; mai non tacciella o d' ingiusta, o d' ingrata: essendosi ben accorto, che Roma gli avea reso giustizia come a Poeta; e se l' avea lasciato partire come allievo e discepolo del* Gravina, *non gli avea fatto alcun torto.*

Neque tandem præterire ullo modo possumus *Philodemum* suis tragœdiis, & quodam præterea de tragœdia scribenda libello, apud *Nicolaum Capassium* in regia neapolitana Academia primarium Legum Antecessorem, festivissimum illud ingenium, ita offendisse; ut perlepidis neapolitanis versibus & librum & auctorem diverberandum censuerit: quibus certe, præ sermonis indole, & *Capassii* amœnitate, nihil jucundius. *Varie Poesie di* Niccolò Capassi *edit. neapol.* 1761. *pag.* 112.

LU

LUDOVICI SERGARDII

CARMINA INEDITA.

CARMEN.

D. Philippi Nerii pudicitia, quam Cæsarea famosa meretrix blanditiis expugnare frustra conata fuit, ansam dedit poeticæ fabellæ, qua invicti Herois laudes heroico carmine delibarem. Fingimus itaque profanum Amorem, ægre ferentem Nerii virtutem, exorare Cæsaream, ut infensissimum sui hostem aggrederetur. Protinus hæc, simulando pessimam valetudinem, imagine Pietatis Lasciviam adornat, coegitque Philippi caritatem fornicem subire, ut, dum periclitanti divinam opem afferret, incautus labaret. Vos interim astus profani Amoris, Cæsareæ lenocinia, Lasciviæ fraudem, postremo Philippi victoriam gratis auribus accipite. Ita Sergardius.

Blanda lues animi, mentique timenda voluptas,
Cypri vane Puer, quid cuspide sæva nocenti
Exeris & molli delinis tela veneno?
Non tibi dardanius Simoentis margine Pastor,
Non feriendus Hylas: procul hinc insomnia vatum:
Pellaces dextræ lusus tua despicit arma
NERIUS, & stultos ridet sine viribus ausus.
Scilicet incestæ frustra tibi sulphura tædæ
Lascivo fulgore micant, ubi flamma supernæ
Sedis adorato perstrinxit lumine pectus.
At tu, sancte Pudor, tu Cyrrhæ trade canora

Pocula Virginitas, desuetaque nablia plange,
Sic pia turba tuas semper procumbat ad aras;
Liliaque e calathis pueri, innuptæque puellæ
Depromant, niveoque comas tibi flore maritent.
Forte Amor exsultans spoliis, lacrymisque superbus,
Quas domito blandus collegerat orbe tyrannus,
Ibat, ut Ausoniæ dira face perderet oras:
Ibat, & a tergo mentis male sana sequuntur
Gaudia, sollicitique metus, & pallor amantum
Decolor in viola: curæ, serique dolores
Non longe immeritos laniabant ungue capillos.
Jam steterat Latio, qua serpit littore flavus
Tibris, & alpinam resupinat turbidus urnam:
Captus & innocuo properantis murmure fluctus
Deposuit pharetram; tingitque in gurgite primo
Corpora. Subsidunt undæ, labroque fluenti
Oscula delibant nudo spumantia talo.
Et vos, o Nymphæ, tiberino e margine, Nymphæ,
E gelidis caluistis aquis; Dryadesque puellæ,
Hausistis caram sitienti lumine pestem.
At non, illectus vultu regionis, amica
Torpet Amor sponda: sedet altum in pectore vulnus,
Quod requiem jugulat curis: nam fama per Orbem
Detulerat Cypri regno nova bella parare
In-

Insignem pietate Virum; cui plurima fronte
Ridebat Charis; & mores candore nivali
Vincere cæleſtis potuiſſent lilia veris;
Quin etiam aſſyrio fumare altaria coſto
Sacra Pudicitiæ, audierat quæ NERIUS, alto
Excivit pretioſa tholo, nubemque ſabæam
Non parcis devota manus libabat acerris:

Indoluit, germen tenera de matre, Cupido;
Quaſque gerit tædas geminis ardoribus ira
Ventilat, atque dolor: pulchro dolor ore placebat,
Iraque mellito in vultu potuiſſet amari.
Quid faceret? Tepidum ſubiit centone lupanar,
Subdola ubi incautæ medicabat philtra Juventæ
Cæſarea: hanc adiit mœrens; tamen uda loquuntur
Lumina: vultus agit cauſam, lacrymæque perorant.

Ecquid, ait, longum ſemotis otia curis
Lenta bibis? Mundi ſpoliis, formoſa, triumphas?
Reſtat adhuc uno vincendus pectore mundus.
Tela vides, mea tela, manu fabricata Cyclopum,
Quæ metuunt ſuperi? ſcidit hæc mortalis. Inane
Numen ero poſthac, ſi tanta potentia terris
Bacchatur. Floræ almus honos, (quo ſoſpite numquam
Lætus ero) noſtros inſultat frigidus ignes:
Et pateris? Fruſtra crinis tibi rorat amomo,

Ni refugos animos vincis, mentemque pudicam
Illecebris captas. His utere fortius armis,
Si juvat, & totam consume in bella pharetram.
Sic tibi nostra parens rugas avertat aniles;
Sic vernent capiti flores, & gratia labro.

Vix ea, cum subito in flammas tenuatur imago
Fallacis Pueri: fervet; notæque favillæ
Cæsaream furiis implent. Turpissima pellex,
Longius haud pateris stimulos; sed fraude magistra
Excogitas ignava dolos, artemque pudendam,
Qua Virtus vitio cedat mactata, suumque
Lugeat amissum violata mente decorem.

Illius ante fores stabat Lascivia, nardo
Uncta comas: petit hanc Meretrix, risumque procacem
Comprimit, & monstrum Pietatis imagine velat.
Mox larvam properare jubet, limenque Philippi
Sollicito tetigisse gradu; mandataque dictis
Addidit: illa volat scelerum haud ignara, dolumque
Arte juvat: nam ficto incedit pallida gressu,
Et querulo interdum ducit suspiria corde.

Jamque aderat, tectum, quod lucis verbere puro
NERIUS implebat: subit intus callida, & hostem
Aggreditur dictis, Lascivia. Desere limen,
Si pietas te tangit, ait: lacrymabilis orci

Si

Victima, lethali febris torquetur ab æstu
Cæsarea infelix: jam pleno stamina rumpit
Parca colo. Erranti vitiorum tramite curvo
Monstret iter tua dextra poli; vitæque nocentis
Abluat elicitus lutulenta piacula fletus.

Dixerat hæc simulans: at ficto credulus ori
NERIUS ardet amans: quamvis mentita placebat
Virtus, & tenero strinxit præcordia sensu.
Egreditur vana ductus Pietatis ab umbra;
Festinatque gradu, qua vecors fornice turpi
Venalem præbet Circe romana pudorem.

Carpserat interea peregrino vere colores
Cæsarea; exornatque genas, & consule vitro
Nativæ pretium formæ, lumenque juventæ
Addidit; & liquido fucantur labra pyropo.
Divisit crinem: lambit pars lactea colla,
Pars in fronte micat; vario quam subdola gyro
Castigat, buxoque comas tortore flagellat.
Hic cultus formæ: mox & miscere repulsæ
Blanditias, precibusque minas confundere discit.
Ipsa etiam molli spirabat marcida luxu
Aura necem, furiasque sinu lactabat Amoris.

Ut stetit ante oculos Meretrix, fœdumque cubile
NERIUS ut subiit, turpes patuere retecta

Fronte doli: vultu demit Lascivia larvam,
Visa prius Pietas, blandisque leporibus ora
Docta movet, tremulumque jubar vibravit ocelli
Cordis in exitium. Quæ tunc mens, qui tibi sensus,
Dive, fuit? Veluti pressit qui calcibus anguem
Incautus, dat terga fugæ, pulchramque Megæram
Devovet. Aurata jam spicula conde pharetra,
Improbe Amor: vicisti: hostis fugit: essedа cursu;
Largus age, & magnos victor molire triumphos.

Infelix! Cæco non est penetrabilis ictu,
Quæ fovet Empirei genium, quæ Numine plena,
Cratibus abruptis, cordis brevis urna, laborat.
Nulla tibi posthac placeat mucrone sagitta,
Stulte Puer: jaceat lacrymoso squallida fumo
Fax, stygiique lacus putrida moriatur in unda.
At tibi, cui pulchra ridet victoria lauru,
Gaudia sint plausus, tarpeja limina olympus.

CAR-

CARMEN
AD LECTOREM
SERGARDIUS IPSE.

Cogitanti autumnalibus feriis desuetas musas ad jocum revocare obviam mihi præbuit materiem carminis Maximilianus Emmanuel Bavariæ Dux Sereniſſimus, *qui fusis apud Dravum Turcarum copiis, valloque superato, sub regali hostium tentorio eadem nocte placidiſſime decubuit. Somnus ille triumphalis & nihil molle spirans desidia impulit animum meum, ut inter arma, & tubarum clangores auderem officioso laudum munusculo* Auguſtalem Septemvirum *interpellare. Daturus itaque nugis meis colorem aliquem poeticum finxi, audita tantæ cladis fama per Orientis plagas, illico Auroram catenis gravem petiiſſe Pannoniam* Bavari Herois *auxilium imploratura. Ingreditur castra sollicita Virago; dormientem Ducem in somnis alloquitur. Excitus ille nocturna imagine ardet pugnæ desiderio. Larvæ plorantis se vindicem spondet, & jam spe successus præcurrente futuræ victoriæ præludit. Quisquis hæc legis da veniam feriato calamo, mentique delinita deliciis, quibus me in amœniſſimo Ariciæ otio* Excellentiſſimus Farnesii Princeps *Patronus meus amantiſſimus regali donavit munificentia. Licet enim*

Carmina ſeceſſus ſcribentis & otia quærant;

tamen (pace Apollinis sacrarumque Virginum) plus sapiunt dulcia Matronarum colloquia, ludi geniales, quæque il-

illic omnia jucunda expertus sum, quam sterilis Parnassi genius, & imaginaria Musarum voluptas. Vale.

Scriptum est Carmen feriis autumnalibus an. 1687. ut ex Sergardii epist. xv. ad *Felicem Couccium* Rom. iv. non. jan. an. 1688. data.

MAgnanimos ausus, formidatumque Tyranno
Robur idumæo, furiisque ultricibus actas,
EMMANUEL, depone minas. Ventura nepotum
Sæcula si longos impleri fastibus annos
Exoptas, nil supra aliud mortale labores.
Laudibus immodicis frigescit, & inclita famæ
Sæpe nocet Virtus. Præstat fecisse minora,
Quam justas ævo caussas præbere futuro
Culpandi annales. Bavaræ mavortia dextræ
Posteritas jam facta negat; facilisque putabit
Historiæ prostasse fidem, nummisque coemptum
Mendaci nomen late crevisse papyro.
Nam cum jam premerent hostes, viresque domaret
Rara Ceres, morsaque agmen decresceret herba,
Jamque Aquilæ pigro sequerentur castra volatu,
Tu stimulos addis pugnæ, vultuque lacessis
Impavido Martem: unus tot discrimina contra
EMMANUEL: tu cæde rubens, & pulvere belli
Decolor, ismarias qua cingit linea turmas

Ir-

Irruis armatus vallo, cuneisque revulsis
Securum sub castra paras inimica cubile.
Pro cithara armorum sonitus gemitusque cadentum
Conciliant somnum. Tenero non margine lectum
Pestanæ stravere rosæ, non lana, puellæ
Assyriæ pensum, sed fusis rapta maniplis
Signa, leves arcus, & torto barbara lino
Fascia, & infidis jaculis viduata pharetra.
O Asiæ metuenda quies! Resoluta sopore
Dextra minatur adhuc, & nullo lumina motu
Stragibus adspirant. Cæcum petit ocyus antrum
Cimmeriæ noctis, timuitque papavere Somnus
Lambere, quæ duro crepitabant, tempora, ferro.
Stant circum Imperii Numen, Geniique minores
Pannoniæ; cilicumque animas, umbrasque vagantes
Massagetum, quas ille orco dimisit inultas,
Propellunt strato; placidasque teporibus auras
Grataque lethæis admittunt somnia valvis.

Protinus ut thracum largo tumuisse cruore
Danubium celeri retulit vaga fama volatu,
Anxia longævi thalamos Aurora relinquens
Conjugis, armatas Istri tendebat ad oras.
Non qualis Latmi caros visura recessus
Induit auratos cultus, capitique decoro

Di-

Disponit violas grato pallore micantes;
Sed laxos discincta sinus fletuque tepentes
Languida vix tardo torquebat lumina gyro;
Neglectisque comis marcebat odora rosarum
Purpura; nec niveis certabant lilia membris.
Ante levi cursu lusuque innixa procaci
Quassabant udam moritura crepuscula tædam,
Et matutino mulcebant rore capillos.
Attigit ut tandem metam, gressuque tremonti
Castra Ducis subiit, fotamque tapetibus altis
Europæ vidit placide dormire salutem,
Restitit; & partis nitidum mirata trophæis
Pulvinar, precibus sic miscuit illa querelas.
O mundi communis amor, quem livor, & atra
Invidiæ pestis, timidus quem diligit hostis,
Quem moriens laudat crimen, gaudetque tyrannis
Ense perire tuo: plebejo livida nexu
Et motu confusa comas, & pallida vultu
Ante oculos Regina tuos procumbit Eoi.
Quod si nulla mei vestigia clara decoris
Adspicis, & priscæ dilapsa est gratia formæ,
Illa ego sum, sceptro quæ quondam fulta potenti
Jura dabam populis, atque altæ splendida Romæ
Æmula sidonio saturavi murice pallam.

Nunc

Nunc damnis celebrata meis, & nobile fati
Ludibrium, magnæ demonſtror pulchra ruinæ
Teſtis; & exitii cumulat quoque fama dolorem.
At non longa meos ſulcabit lacryma vultus,
Altaque biſtoniæ venerari cornua Lunæ
Serva diu cogar, ſi te, Fortiſſime, tangit
Gloria, ſi tenero non ſpectas lætus in ore
Singultus, meſſaſque placet decerpere laurus.
Abſtineo precibus: neque enim tua pectora flectunt
Blanditiæ, ſed cauſa movet, qua juſtior ulla
Nuſquam erit. Hæc te regales contemnere ſedes
Hæc docuit molles, Auguſta Conjuge, ſomnos
Caſtrorum vigili lætum mutare labore.
Cumque coronati radiarent lumine poſtes,
Permiſſiſque jocis leniret caſta voluptas
Magnanimas, cruda quas lactas indole, vires,
Vix tibi ſelecta libavit cuſpide pectus
Cæcus Amor; potuit vix carpere parva minacem
Oſcula per galeam Conjux, timuitque leonem
Tangere, qui ſumma pandebat caſſide rictus,
Gentileſque jubas fulvo criſpaverat auro.
Nec te ſeu propriæ fecere pericula vitæ
Sollicitum, ſeu Rheni gens inimica per undas,
Quæ regno excidium patriæque extrema pararet;
Sed

Sed furias tibi corde pias, & nobile calcar
Addidit alma Fides, & læsi caufa Tonantis.
Et cum tranquilla populos ditione teneres,
Et patrium crebra floreret limen oliva,
Bella geri placuit folo virtutis amore;
Cafurifque novus pavido fuccedis olympo
Alcides aftris. Utinam mihi fortia facta
Non tantum longas delata audire per oras,
Sed liceat vidiffe oculis, atque ofcula dextræ
Figere, dum noftras rumpit generofa catenas.
O quot theffalicæ deferto in littore matres
Floribus occurrent, lætifque adolenda favillis
Thura dabit panchæa cohors, quacumque feroci
Vectus equo laxa monftrabis caffide crines,
Et populi cladem facili folabere vultu,
Quofque dedit letho ferrum, tua lumina vitæ
Reftituent! Caffum non flebit fponfa maritum,
Non raptos genitrix crudeli funere natos,
Dum te confpiciant. Jam multa clade fugatum
Pannoniæ cogis difcedere finibus hoftem,
Et turmas numerare breves; undaque fideli
In mare jam totus, te vindice, profluit Ifter.
Ergo quid dubitas? Victori concute ferro
Perfidiæ fedes, alteque in vifcera regni
Odry-

Odryfii penetraſſe juvet. Gynecea pudendis
Non latebris monſtrum excipient; turpique cruore
Efflabit molles, quas ſpirat, barbarus auras.
Scilicet illecebris luxuque ſolutus inerti
Alcides thracum non una torpet Iole,
Aut ſolam teneris infamat luſibus Œten,
Sed conſorte ſui numeroſa pellice lecti
Marcet, & aſſyrio crinem pollutus amomo
Vilia fœmineo circumdat colla monili.
Non enſes ſtrinxiſſe manu, non ſpicula nervo
Cydonio laxare juvat, niſi perlitus auro
Barbarica mucro ditarit luce ſagittas,
Infundatque neci pretium. Proh ſidera! Eoæ
Urbes ignavi patientur fræna Tyranni?
Captivaque diu mœrebit Boſphorus unda?
Non ita. Abydenæ figent in culmine turris
Romanæ nidos Aquilæ; roſtroque minaci
Helleſpontiacam turbabunt limine regni,
Te ductore, feram. Bavaro mucrone peribit
Tot populis quondam pollens ſceptriſque ſuperbus
Regnator; capitiſque minor, truncuſque relictus
Europæ atque Aſiæ pacabit funere manes.

Dixerat; & multo quamvis reſperſa ſopore
Dextra Ducis nitidi capulum tendebat ad enſis,

Clau-

Claudere & impavidos quærebat caſſide vultus.
Hoc niſu diſcuſſa quies; animoque recurſant
Juſti ſingultus, & vindice digna querela,
Et crebri gemitus, læſæque injuria formæ.
Ergo avida hoſtiles jam jam ſpe devorat urbes;
Incuſat damnatque moras, & prælia miſcet
Mente ferox, galeaque bibit jam pronus Orontem.
Ac veluti ſonipes fœcundæ filius auræ,
Qui prope graminei ripas laſciviat amnis,
Exſilit, & tentas animoſus porrigit aures,
Audito clangore tubæ, ventoſque laceſſit
Hinnitu, nitidiſque cupit ſpumare lupatis;
Sic pulchra flentis correptus imagine larvæ
Deſtituis plumas, pingitque ferocia vultus,
MAXIMILIANE, tuos. Pietas tibi candida virgo
Accingit lateri gladium; criſtaſque comantes
Jungit Honos capiti: prenſo Victoria fræno
E ſtabulis educit equum; Pallorque Metuſque
Colla manu plaudunt, & motæ murmure virgæ.
Quam bene regali majeſtas mixta furore
Emicuit; mediaque decor formoſus in ira
Terrebatque ſimul, ſimul & meruiſſet amari!
Interea croceis Aurora invecta quadrigis
Lætior intactos ſpargebat vertice flores;

Qua-

Quaque Dravus tumidam resupinat turbidus urnam,
Altaque se Bavari pandunt tentoria Martis,
Purpureo tremulæ ridebat lumine frontis.
Visus & ignipedes fræno cohibere jugales
Exoriens Titan, ut puro longius axe
Supplicibus posset radiis Aurora fidelem
Implorare manum. Cornu Dravus ipse tumenti
Erigitur, gaudetque armare in prælia ripas,
Ultorique vado pallentem provocat Hebrum.

Non ego fatidicæ fallacia numina Delphos
Consului, aut Phœbi tripodas, aditusque Sibyllæ;
EMMANUEL; sed, quam generoso pectore, virtus,
Includis, mihi Phœbus erit. Pugnabis ad Istrum
Augusti fulmen Soceri, cognataque jura
Imperii claudes domiti cum limine mundi.
Per te namque cupit latebrosus flumina Nilus
Prima capi, tremulisque procul tibi murmurat undis,
Et patula annosam detexit arundine frontem.
Ipsa tuos pulchro serto vinctura capillos
Dant Jericho dumeta rosas; tibi frondet Idume,
Pronaque demissa substernit vertice palmas.
Jamque jocus puerilis erit facilisque voluptas
Pannoniæ lustrare plagas, & mœnia Budæ,
Danubiumque cava lusus decurrere pinu.

Scilicet auſtriacæ, capta Babylone, puellæ
Picta peregrinæ laudabunt ſtamina telæ,
Et doctæ portenta coli, radiique labores.
Quin etiam ſervi mirati vellera Seres
Mollia gaudebunt manibus contingere fila,
Et calathos onerare ſuos. Impune licebit
Sacratos Solymæ colles, urnamque capacem
Numinis ore pio cupidiſque invadere labris.
Et patriam dulceſque focos & cara relinquet
Pignora, longinqua properans regione, viator,
Longaque depoſita ſolvet formidine vota.
Jam Libani ſaltus tranſcendere, & enſe juvabit
Scribere odoratis cedrorum prælia truncis.
EMMANUEL, quoties cæſo tua nomina libro
Captivus patrii mirabitur incola montis!
Et parvis uxor narrabit garrula natis
Hiſtoriam, inque omni te cortice Paſtor amabit.
Quodque magis mihi corde ſedet, tiberina relinquet
Oſtia, perque novas tranquillo remige ripas
Ibit ſacra ratis, tumidaſque aggreſſa procellas
Jordanis placida ſecura natabit in unda;
Atque ubi velatus mitra turpique tiara
Myſta profanatas Maometis proſtat ad aras,
Dalmatica indutus nivea cultuque latino
Pin-

Pinguia Christiadum libabit thura Sacerdos
Æterno devota Deo; ruptisque catenis
Obsessæ longo prodibunt carcere leges,
Et nova cæsareas spectabit Roma secures.

IN HONOREM SACRÆ IMAGINIS
DEIPARÆ VIRGINIS
IN PROVENSANO
CARMEN.

Tu quoque virgineos Jerichuntis margine flores
Carpe rosas Clio, Libani pulcherrima cedrus
Fronde nova vireat, lentoque e vulnere trunci
Roscida odorato distillet gaudia fletu,
Intactas lacerare fides, & pectine eburno
Fila movere licet. Non sceptra canenda quiritum;
Non molles arabes veniunt sub fræna; nec arctat
Inclitus actiacis Cæsar capitolia rostris.
Syrmate flammarum lucisque nitore supernæ
Æthereæ graditur per compita Virginis Icon,
Liliaque e calathis spargunt pia turba puellæ
Cum pueris, tacitoque micant præcordia voto.
At tu, Virgo, (sacræ renovare exordia pompæ
Dum juvat, & Lethen cirrhæa vincere lympha)

Casta tholis devota tui sine figere plectra
Delubri, viduasque preces implere tuorum.
Splendida qua fumant eoo templa vapore
Reginæ Superum, sudat qua vena perennis
Muneribus pretiosa suis opobalsama vitæ,
Præbuit incautæ quondam insidiosa Juventæ
Fornice venalem Circe non una pudorem.
Quin etiam molli spirabat marcida luxu
Aura dolos, flammasque sinu lactabat inertes.
Illic, thessalico misso in præcordia philtro,
Penelopes thalami patriæque oblitus arenæ
Nobilis argolicam fregisset transfuga puppim.

Horruit, & comptos laceravit arundine crines,
Arbia, dum fœdos violare Amathuntidos ignes
Ingenuæ timuit crystalla fugacia ripæ.
Et vos, o Nimphæ, gelido de gurgite, Nimphæ,
Incaluistis aquis; pronæque ultricibus urnæ
Fluctibus idaliæ lutulenta piacula labis
Mens fuit abluere: Oceano sed nata parente
Fata nequit subiisse vadis Erycina; furensque
In patrem mediis Neptunum torreat undis.

At non vesanos longum imperiosa voluptas
Mille palæpaphia (a) torquebit compede amantes,
Ar-

(a) veneria, h. e. *Veneris* a πα λαι, olim, & παφος, *pala* & *paphus*,

Arbitriumque animi cordiſque tenebit habenas.
Nam bacchata diu tandem tetigere Pudoris
Probra Deam, mentemque accendit Virginis ira.
Ira tamen placido blande miteſcit in ore
Illius, & furor in vultu potuiſſet amari.
Sic roſa purpureas quamvis prohibere rapinas
Optet vulneribus ſtipata ſatellite acuto,
Ridet, & ante diem perituro purpurat oſtro.
Ergo Pudicitia artes indignata nefandas
Matris acidaliæ (*a*), ſuperi penetralia regni
Ebriaque æternis Phœbi petit atria flammis.
Non illi crinis luxu tortore ſuperbit,
Aut acus aſſyrio ludit per colla labore:
Forma ſuis exculta bonis nec divite palla
Obtutus emit; ſed veſtis concolor ori
Fluctuat ex humeris undanti candida peplo..
Huic comes imbelli tranquilla per æthera nervo
Sidereus laſcivit Amor, placidoque furore
Perlita formoſis captivat tela pharetris.

phos, ideſt *antiqua Paphos*. Nam duplex in Cypro *Paphos*: vetus, quæ iccirco *Palæpaphos* dicta, in colle poſita, ubi Veneris templum: & nova, quæ *Neapaphos*, in plano ſita.

(*a*) *Veneris* a fonte *acidalio* in *Bœotia*.

Jam nitidum radebat iter, nubemque curulem
Flectebant animæ magnum per inane jugales,
Frigora ubi terris gelidæque crepuscula lucis
Cana pruinoso sudabat Cynthia cornu;
Cum subito rapidi jubar increbrescere cæli
Incipit, & blanda pluvialis grandine lucis
Lumina perstringit. Genitrix & nata Tonantis
Hic niveæ radios augebat lumine frontis,
Cyclade stellarum & solio sublimis eburno.
Ut stetit ante oculos, lacero velamine nudat
Membra Pudor; solvit facundis fletibus ora
Pallidus, & liquido mandat sua verba dolori.

O Dea, divino, rutilas quo, Virgo, pudori
Se timeant conferre nives, tua numina posco.
En ego felices inter pulcherrima Nymphas
Urbe Pudicitia extorris (dolor opprime mentem)
Urbe tua extorris, profugis nova limina plantis
Cogor adire, olimque mea decedere terra.
Scilicet ætherei docta quo dextera Amoris
Creta tuos animat vultus, & fictile numen
Barbarica melius scintillat luce metalli,
(Infandum) Cytheræa sedet, luxusque sacerdos
Degeneres animas erebo litat. Obrue signa
Diva tui, aut Veneris. Num sede Pudoris in una
Ma-

Mater, & inceftæ regnabit Pronuba tædæ?
Proxima num Cades ftabit tibi cypria palmæ
Myrtus, & impuram mifcebit cefpitis umbram?

Dixerat, & graciles fletus corrumpit amaro
Imbre genas, potuitque dolor formofus haberi.
Illi autem, facilis præbet dum brachia, Virgo
Pauca refert. Thalami confors fidiffima noftri,
Ne dubita. Non hæc lacrymis tentanda fuiffent:
Ultro optata rogas. Ubi noftra renidet Imago,
Non tepido fordebit iners centone lupanar,
Infamis juvenum fcopulus. Sed pronus ad aram
Hefperiæ pretiofa dabit mihi munera cultus;
Tyrrhenæque nurus cogent procumbere natos;
Quæque meæ feriem recludant civibus urbis,
Implebo mentes, & præfcia corda futuri.

Vix ea, cum fatis hilarem complexa Pudorem
Longa puellares delibant ofcula fletus.

Interea molli fuperæ Carofius (*a*) auræ
Carpitur afflatu, fœcundaque pectora veri
Comprimit impatiens. Sacro fqualore verenda
Olli barba riget, majeftas hifpida fronti.
Hujus adoratum labari fert dextera fignum,

(*a*) *Brandanus* ex Carofiorum ftirpe.

Lævaque direpto tollit calvaria busto.
Ergo ibat vesana inter ludibria vulgi,
Plenaque fatidico lustrabat compita labro.
Non qualis medio rumpens e gurgite Tibris,
Sordidus illuvie madidaque informis arena;
Attonitæ clades Urbi & pendentia olympo
Fulmina portendit; pulchro sed percitus æstu
Quo ruitis, cives, (inquit) volucrique carina,
Ut ferro matris lacerentur viscera avaro,
Credula vicinæ laxatis carbasa morti?
Divitias, quas quæris, habes: sed, prodiga, vili
Pariete, Sena, latent: fulvis hic flumina ripis
Invidiosa Tago serpunt, hic vellera Phryxi.
Verba diu tumidi rapiunt non credita venti;
Et tacito cives riserunt murmure Vatem.
At non ingrata longum torpere latebra
Flamma potest, cujus mendicat nobile Phœbus
Luce jubar. Tandem pigro micuere favillæ
Abstrusæ cineris tumulo, famamque lacessunt
Igne suo. Zonam pretiumque volatile crinis
Solve, Pudor, trepidoque exsultent gaudia corde.
Tempus adest, reduci quo visere mœnia gressu
Exoptata licet. Jam plenis omina fatis
Invenere fidem. Tenui sub imagine Virgo,
E nu-

E numidum gaudet ſibi marmore creſcere molem,
Quam tamen anguſtam, largo licet edita cælo,
Muneribus facit illa ſuis. Nam fornice ab alto
Et circum pictis ſtipantur vota tabellis,
Edomita, mortis captiva, tyrannide, jura.
Atque ubi pellacis ſtabant modo ſigna Diones, (a)
Fervida nunc Pietas devota libat acerra
Virgineis pia thura focis, truncique ſabæi
Candida felici rident altaria damno.

MARCOLINIUS SERGARDIO

acerbum Fratris funus ſignificat.

ROmanæ clarum decus Aulæ, & gentis hetruſcæ
Laus & amor, Sergarde, tuæ nam munere linguæ
Culta venuſino redeunt jam ſæcula Flacco,
Si vacat, & memor es noſtri, concede parumper,
Ut triſti ſermone morer tua tempora; quando
Vindice jam paret compreſſa Peruſia pœna,
Et tua Dionyſius commendat tela ſine ictu.

In-

(a) *Dione* nympha, *Oceani* & *Tethyos* filia, quæ ex *Jove* Venerem tertiam peperit, ponitur hic pro ipſa *Venere*, ut non ſemel ab *Ovidio* 2. *Faſt.* 461. & 5. 309. & *de art. am.* 3.

Interea, risus, procul hinc estote, jocique.
Mœstum mœsta decent: Musæ qui convenit, æstus
Flebilis, ille meas, Sergarde, vices tibi narret;
Et falsa ostendat rerum sub imagine quantum
Decipimur mortale genus, nisi sancta tuetur
Nos probitas, servatque animi constantia pronos.

Unica spes sobolis, fateor, quem sponsa maritum
Vix adeo in thalamo castis implexa lacertis
Vinxerat, (infandum!) morbo correptus inulto
Occidit ante diem, & sponsam, fratremque, domumque,
Et matrem in gemitu, miseraque in nocte reliquit.
Scilicet illecebras inter mors invida repsit;
Atque inter choreas felicis & omina prolis
Fata parabantur tanto crudelia luctu!
Hi sunt nimirum mores, queis lubrica vitæ
Conditio mentes hominum spe fallit inani.

Nunc me cura fatigat prima, atque omnis in hoc sum,
Ut quæ sollicitant animum procul esse velim, nec
Terrenis frangar, cum sim cælestibus aptus.
Principio fugiet non me, nos nostraque morti
Deberi. Quid enim cita, vel tibi sera, venit mors,
Vivere momento collectum cum sit in uno,
Præteriti simul ac venturi temporis expers?
Vixit idem Astyanax puer, & Priamus gravis annis.

Nam

Nam grandis natu non plus vitalibus auris
Præſenti voto gaudet, quam parvulus infans.
Munere naturæ nemo ſibi prorogat ævum.
Duplicat uſuram vitæ, qui mente recurſat
Quicquid præſtiterit dignum ſapiente bonoque.
Sit mihi præterea fixum immotumque malorum
Congeriem, qua nos premimur, patrimonia vitæ
Dura quidem fore, primævæ ſed debita culpæ,
Quæ non humanis arcentur viribus unquam.
Fatorum æterna urgeri nam lege jubemur
Mortales, ne plus æquo mortalia vivant;
Neve voluptates, vel ſigna, vel æra, vel oſtrum,
Formaque tranſverſos agat, aut fortuna moretur.
Ipſe, foro licet & curis civilibus aptus,
Propoſitique tenax, vitæ ornamenta prioris
Ad patriæ transferre inglorius ocia nolim,
Plurimus enitar, ne fallax torqueat Aula,
Neve animum verſare timores inter & iras,
Votorumque inter ſpes & certamina cogat.
Liber & ingenuus fortunam non ſequar ultro,
Non fugiam, veri cuſtos rectique miniſter.
Nam me quid tyrio rapiat chlamys igne renidens-
Ultra quam ſatis eſt? auro ſpectandus & oſtro
Cum niteat plerumque & toto ferveat orbe
In-

Insanus potior sapienti, turpis honesto.
Quæ veras dat opes, quæ non ingentia laudis
Præmia commaculat, prope res est una: beatum
Virtus una potest facere, & servare perennem.
His ergo instituam vitæ cultum; his elementis
Componam mores animi; quo nullius unquam
Vel desiderio, vel spe, aut formidine posthac
Efferar, aut mœrore gravi divellar & angar.
His contentus ero: magno opponam quoque lucro,
Hac si mente fruar, quidquid fuit ante malorum.
Interea ignavum vulgus jactetur ab omni
Turbine, quærat, amet, fugiat, formidet, & optet,
Æstuet, & nullo semper premat ordine vitam.
Hanc pœnam natura facit nolentibus aurem
Culturæ docilem præbere: sed innatat iisdem
Fluctibus, & nulla abripitur vertigine, qui se
Præceptis fingi patitur virtute magistra.
Nempe adeo nullus ferus est, quin legibus æquis
Mulcere indociles animos & flectere possit.
Hæc tibi scribebam promens, quæ mente revolvo,
Quæque meæ fuerint vitæ documenta futuræ.
Si quid habes, dociles mores quod rectius istis,
Constantemque animum valeat, Sergarde, juvare,
Commodus imperti: & quid Roma, quid Aula minetur,
An-

Anglica quid classis, siculas quid (*a*) ibera per undas,
Quid Cæsar struat, absenti rescribe: Nepotem
Et bene rem gerere & tecum salvere jubeto.

SERGARDIUS MARCOLINIO

rescribit.

CUlta nimis multoque nitens tua littera Flacco
Occupat attonitum, longaque e cæde (*b*) reorum
Jam fessum. Aonias vultu novisse puellas
Vix mihi forte datum. Fluxerunt otia & ætas,
Quæ Musæ juvenem me commendabat amicæ.
Nunc steriles subeunt curæ; assiduoque labore
Verto solum; & nulla mendax flavescit arista.
Non igitur solitos fas exspectare lepores,
Quos decoxit hiems, & plumbeus abstulit auster.
Quin potius socias miscentem in funere Fratris
Excipias lacrymas: una simul invida fata,
Crudelem Lachesim, fugitivaque gaudia vitæ

Ex-

(*a*) Classis ibera sive hispanica, Siciliam invasit anno 1718.

(*b*) In eo erat *Sergardius* romano magistratu, qui vulgo: *Segnatura di giustizia*.

Exclamare juvet. Sed vana eſt iſta querela,
Dignaque fœmineo vix pectore. Si ſapientes
Eſſe hominumque ſuper cupimus conſurgere vulgo,
Fingamus ſtudiis mentem, nugaſque putemus,
Quæ vafri fucata crepant elementa Cuculli.
Mecum age; mortalis rationes pendere vitæ
Te non diſpliceat, tricis, nucleiſque relictis.
Ille diu vixit, quamvis defunctus acerbo
Funere, qui patriam, dulces qui fovit amicos,
Quique Deos coluit, nec amavit præter honeſtum.
At cito decedit perjurus, triſtis, avarus,
Sit licet uſque ſenex, canoſque in tartara portet.
Fruſtra conquerimur: non eſt Natura noverca,
Si quantum libuit producere poſſumus ævum,
Atque ipſis ſupereſſe nepotibus, & dare faſtis
Victurum, metuens nil livida ſæcula, nomen.
Hoc præſtare valet divinæ filia mentis
Virtus: labentes hæc nobis prorogat annos;
Solaque fatalis deridet ſtamina fuſi.
Verum ego ſocraticas contendo vendere chartas
Non uni de fæce Numæ plebiſque togatæ,
Sed cui rite ſalit læva de parte mamilla,
Fervet & incoctum generoſo pectus honeſto;
Qui bene tam novit ſacri documenta Platonis,
Quam

Quam mihi notus erat Philodemus ſcurra, ſenexque
Barrus, & ultrici trajectus arundine Rullus.
Eſt animus tibi, ſunt & opes, eſt gratia formæ;
Et mores hominum multorum & callidus urbes
Vidiſti, Tagus, & quas præterlabitur Iſter,
Quas Rhenus Thameſiſque rigat. Tibi murmurat unda
Caſtalis, & pleno redoles Helicona labello.
Ultra quo tendis? Vitæ argumenta beatæ
Cuncta tenes, zephyroque tument tua vela ſecundo.
Flecte ratem: vada, quæ circumſpicis, omnia plena
Syrtibus, & cautæ longe vitanda carinæ.
Sed Circe formoſa vocat, tenditque lacertos,
Et violas tyrio ſpondet mutare colore.
I propera: curru populum ſpectabis ab alto;
Et ſenior famulus dictabit nomina: menſam
Nola tibi indicet: criſpo circumdata lino
Brachia jactabis; claviſque argentea ſervo
Impoſita ante tuos ibit pulcherrima greſſus.
Si tanti hæc tibi ſunt, ut ſubdas libera colla,
Spem ſobolis jugules, patriæque oblitus amatæ
Ipſe tuos ſpectes viduos lugere penates,
Nil moror. Immo ſtultus ego, qui talia numquam
Humanis majora bonis nec digna putavi
Illecebris altam ſapientis frangere mentem;

Qui.

Quique inter luſcæ fortunæ mimica pono,
Bracteolaſque voco, quidquid non confero, in horas
Ut melior fiam. Sed perlita muriee lana
Effrenos mulcere poteſt in corde tumultus,
Et pacare animum, moreſque evellere agreſtes?
Summa boni hæc eſt. Ergo te ſequar; & mea poſthac
Secura incedent tua poſt veſtigia vota.

Si quid agam quæris, calices pateraſque corono
Sæpius, & patrio rumpo cryſtalla falerno,
Signatam vincit Bibulo quod conſule teſtam.
Nec me ventoſo tangit quaſſata Pachino
Italiæ terror claſſis, nec Cæſaris arma,
Quæ prope ſicanias ventura parantur in oras;
Aut ſi tarpeja meditetur fulmen ab arce
Arboris ingentis ramos truncumque ferire.
Hoc unum te ſcire velim, me cedere nulli,
Qui tua teque colat; pro viribus iſta voluntas
Sufficiat; non eſſe poteſt quia pronior ulla:
Cumque meo longum jubeo ſalvere Nepote.

ELE-

ELEGIA

Hevæ primæ parentis a paradiſo exſulis lacrymas, querelaſque deſcribit: quæ tandem Virginis reparatricis nuntio relevatur.

ILlecebris poſtquam vafri decepta colubri
Explevit ſacram Fœmina prima famem,
Reſpicit ad truncum, diri qui poma saporis
Protulit, & vetita fertilitate necem:
Cum ſubito longis tabeſcere lumina guttis
Sentit, & ignoto rore madere genas.
Neſcit adhuc proprio dicat quo nomine fletus;
Flet tamen, & tepidis ora rigantur aquis.
Tergere conatur vultus; ſed filia culpæ
Lacryma de cordis fonte perennis erat.
Ergo, ubi ſe tantô cognovit crimine fontem,
Miſcuit hæc lacrymis verba dolenda ſuis.
Felices agri, fortunatique receſſus,
Et formoſa oculis arva beata meis!
Dum licuit veſtra, ſilvæ, ſpatiabar in umbra;
Lambebat noſtras mollior aura comas.

Quaque ibam violas tellus calcata ferebat
    Sponte ſua, & teneris lilia mixta roſis.
At nunc horrentes dumi, cæciſque latebris
    Sola tenent oculos aſpera ſaxa meos.
Quocumque aſpicio, labuntur ab arbore frondes,
    Et viduus læto truncus honore riget.
Si fontes luſtrare placet, de fontibus unda
    Proſilit, & rauco murmurat illa ſono.
Reſtabat cælum: ſed cælum ſidere torvo
    Intentat ſævas in mea damna minas.
Nam ſtricto propius me fulminat Aliger enſe;
    Et procul a caris ſedibus ire jubet.
Scilicet hoc meruit pomi ſcelerata voluptas,
    Me miſeram, ſatius quo caruiſſe fuit.
O utinam tunc cum decerpſit ab arbore fructus,
    Hæſiſſet ſubito pendula dextra gelu.
Non ego divino caruiſſem ſtulta favore;
    Nec quererer ſobolis facta noverca meæ.
Nam quod peccavi, tetigit quoque culpa nepotes;
    Et mea fatali crimina morte luunt;
Quodque mihi placuit virus deſcendit in omnes;
    Et ſucco venas inficit uſque ſuo.
Proh dolor! Aſt cælo Genius mihi dexter aperto
    Advolat, & lætos ſolvit ab ore ſonos.

Fæ,

Fœmina, pone metus: delet tua crimina Virgo,
    Cognatumque nefas; Fœmina, pone metus.
Scilicet hebræa nafcetur ftirpe Puella,
    Cui parere intacta virginitate datur.
Nondum phœbus erat, nondum æther, flumina nondum,
    Nec ftabat tellus pondere fixa fuo,
Cum formofa Deo Virgo placitura parabat
    Naufragio portum tæda fecunda tuo.
Vera parens erit ifta, tuæ non confcia culpæ,
    Decretum mundo nec fubitura jugum:
Calcatoque prius, qui te deceperat, angue,
    Virgineos lambet lingua trifulca pedes.
Illa genus fævo rapiet mortale tyranno;
    Atque aditum foboli pandet ad aftra tuæ.
Terge igitur lacrymas: tenebris & morte fugata,
    Crimine parta tuo nafcitur orbe falus.
Pulchra fames pomi; frangit fi culpa catenas,
    Et referat cœli gaudia, culpa placet.

E L E G I A.

S. S.

S. P. D.

LUDOVICUS SERGARDIUS

Amico, ejusque Fratri, ac Sorori bene precatur.

ÆThereas rupere fores jam cornua tauri;
Et remeant tacitis aurea lustra rotis.
At vos quid sacro resupina siletis in antro
Plectra diu? segnes plange, Thalia, fides.
Virginea lege serta manu; cui roscida Tempe,
Cui circum fusis purpuret Hybla rosis.
Frontis apollineæ debet mordere corolla
Luxuriem, & magnum cingere fronde caput.
Excipe non humili de vimine, Scipio, sertum,
Quod tibi largitur pauperis unda vadi.
Præter aquas, gracilesque rosas, & garrula fila,
Nil habeo; hæ sterilis sunt Heliconis opes.
Magna vovet tamen ipse animus, si sidera tangunt,
Sollicitant æquos si mea vota deos.
Phrixeæ pecudis penso tibi digerat aurum
Atropos, & spargat flore rubente colos.

Vi.

Vive diu precor, & livore favente beatus:
Sint longæ noctes, & fine nube dies.
Molle tibi dubia vernet lanugine mentum;
Muricis & tyrii labra cruore natent.
Et pateras Bacchi rumpat pretiofa fenectus:
Det tibi cecropius dulcia mella cadus.
Cumque pigris ætas veniet prudentior alis,
Parcius & fyrio crinis odore fluet,
Pulchra maritales accendat Virgine plumas
Tæda; nec incaffum pronuba flamma micet.
Sitque animo docilis, fit mollis, quæ tibi fervat
Pectoris intactas cruda puella nives.
Illa quidem formæ torquebit fidere amantes,
Hetrufcas inter gloria prima nurus.
Nulla tamen nuptæ labefactet corde pudorem
Illecebra, & thalamis fida fit illa tuis:
Sed patere ut caftis conniveat illa Poetis:
Nos fumus infonti turba petulca joco.
Illius afcræa modulabor arundine nomen;
Dum tenero flammas augeat ore meas.
Sicca mihi tantum claufis det pauca labellis
Ofcula, nec linguis garrula fint cupio.
Non tibi dardanius per dorica marmora adulter
Navigat, ut fponfæ vellicet ille fidem.

Sum tibi, Phœbe, sacer, nudisque in littore nymphis
    Ludo; nec idalio pectus ab igne tepet.
Parce, precor: cupidam pascit spes credula mentem;
    Et falsis avidum lactat imaginibus.
Hæc tibi portendo: sed prodiga pectine Clio
    Continuat laribus gaudia mille tuis.
Findat victrici Frater vada salsa carina;
    Vectet & ad patrias barbara sistra deas.
Aura fretum crispet; non illi virgo Pelori
    Audeat infidos sollicitare canes.
Urat mille procos, quæ jam crescentibus annis
    Matura gestit virginitate, Soror.
Pensa Semiramidum qua se superata fatentur,
    Et vinci gaudent qua Babylonis acus.
Illius & vultus metuat fœdare senecta,
    Et fulva ignavas spargere fronte nives.
O utinam nostros videat nova nupta penates,
    Et mihi cognato cara sit illa toro.
Quid si pulchra meum laxaret sponsa cubile;
    Et ferret cupidis oscula longa genis?
Ultima sed patrum cera, atque insana voluntas,
    Non dant conjugii munere posse frui.
Nam mœsta exiguas tondet mihi villica lanas;
    Rarus & argenti cosmus in orbe nitet;

No-

Nobile nec multo radiat mihi Mentore citrum;
Strataque sidoniæ pexa labore nurus.
Non tamen irascor fatis. Mihi murmurat unda
Castalia, & Pindi luxuriantur opes:
Armat & innocuis calamis me (*a*) doctus Apelles;
Ebria nec vili tela liquore micat.
Alcimedon lenta docuit vertigine torni
Pocula mentorea temnere sculpta manu.
Effera me raptat placido tenore voluptas,
Qua furit odrysii (*b*) mitis arena dei.
Quid mihi divitiæ? Fulvi pretiosa metalli
Sordet cura: animo divitis illa latret.
Me leves citharæ, purique Cupidinis arma,
Me vaga pennarum remige fama juvat.
Quo properas Clio? pleno jam margine cedrum
Emeritam lasso pollice stylus arat.
Audiat hæc lævaque micans arrideat æther;
Et votum fatis impleat ille meum.

(*a*) Picturæ simul & poesi se delectabat *Sergardius*.
(*b*) Orphei.

ELEGIA

NICOLAO ABBATI DE FUSCO

LUDOVICUS SERGARDIUS S. P. D.

Epithalamia quædam, & ampliſſimi ordinis neapolitanam Matronam collaudat.

REdderet ut doctas Erato mihi, Fuſce, tabellas,
Quæ teſtes animi (dulce) fuere tui,
Inſtitit heu quoties! quoties e limine dixit
Non aptum muſis janitor eſſe locum!
Eſte procul, teneræ Cirrhæ de fonte puellæ,
Cæſa quibus tremulo pectine fila juvant.
Hic fœdi ſqualore rei, (*a*) faſceſque ſeveri:
Hic multa crimen compede triſte gemit.
Stat Judex vultu implacidus, torvumque tuetur,
Immemor antiquis reddere verba jocis.
Quid quod pertundunt miſeras clamoribus aures
Cauſidici, putam barbariemque ſonant?

Plu-

(*a*) Magiſtratum (uti diximus) gerebat, qui vulgo: *Segnatura di Giuſtizia*.

Plura loquebatur crudelis janitor; illa
Territa non tamen eſt, continuitve gradum:
Utque erat in nodum flavos religata capillos,
Tinxerat & niveas fœda repulſa genas,
Ilicet ingreſſa, & ſolito formoſior, inquit:
Has te Parthenope juſſit habere notas.
Hæc ubi Virgo; meos fugit indignata penates,
Et decuit celeres proripuiſſe pedes.
Quid facerem? fruſtra fugientem ſæpe vocavi;
Nec ſurda noſtras ebibit aure preces.
Non ego blanditiis potui lenire viarum
Tædia, non feſſis oſcula ferre genis.
Ergo dolens avido percurrere lumine chartam,
Namque inſcripta meo nomine charta fuit.
Ut ceras novi ſignatas pollice amico,
Ut vidi ingenio carmina culta tuo,
Mœrores animo, fateor, pepulere; ſed illa
Inſimul invidiæ cauſa fuere meæ.
Quippe ego, cui ſanctæ quondam placuere ſorores,
Qui retuli aſcræis uda labella vadis,
Atque olim Latii dicor flexiſſe maritas,
Cum tetigi argutæ garrula fila lyræ,
Fuſce, tuis impar nunc penſa referre camœnis
Invenior, ſtudiis deſtituorque meis.

Fe-

Felices thalami, fortunatique jugales,
    Queis Pindi crescit texta corona rosis!
Non tituli, claræque faces, non sanguine avito
    Gloria, non ætas, formaque blanda placent;
Sed citharæ ad sonitum redimitaque tempora lauro
    Ibit carminibus Nupta superba tuis:
Ibit, & imbelli qua murmurat Arbia fluctu,
    Quaque rigat vitreo jugera culta pede,
Narrabit cupido genialis sponsa marito
    Quos dederit Siren parthenopæa sonos.
Tunc centum aut plures hetrusco in margine Nymphæ,
    (Nam centum aut plures flumina nostra tenent)
Egregias cupient solum te vate vocari,
    Et numeros fastis addere posse tuos.
Proh quantum Pyrrhæ soboles infirma Poetis
    Debet, &, ingenuo qui natat ore, rubor!
Forma bonum fragile est; rapido non imperat ævo,
    Nec potis est celeres continuisse colos.
Nos facimus teneræ maneat quod gratia fronti;
    Quod feriant oculi pectora nos facimus.
Nam si deformem laudes viduamque lepore,
    Protinus aoniis pulchra fit illa notis.
Turpis eras Helene, lento nec digna duello,
    Quo caderent græca Pergama victa manu:
Nec

Nec tu lascivi pellex famosa Canopi
Per freta romanas digna ciere rates.
Sed quia vos sacri sparserunt balsama fontis,
Durat adhuc vestris credita forma genis.
Est tamen una, sacris tingi quæ despicit undis,
Fusce; cui nostra non venit arte decor:
Quam coluisse jubet virtutis fama: sed illam
Visere me propius fors inimica vetat.
Distineor, patiorque moras: nec sæpe petita
Pascit adhuc oculos picta tabella meos.
Hæc est Sebeti formosa in littore Siren,
Ausonias inter gloria prima nurus.
Namque ortum nitido ducit millesima trunco;
Et late populos sub ditione regit.
Si modulis cantare juvat, si pangere chordas,
Personat omne nemus, castalidumque chorus.
Quin etiam thusco plaudenti pulpita socco
Assurgunt pleno rauca theatra sono.
Sæpe oblita sui sexus per inhospita tendit
Culmina, & a solis lustra habitata feris,
Et spumantis equi moderatrix splendida torquet
Plusquam fœminea spicula certa manu.
Quid cunctamur adhuc? Nostris non illa camœnis
Indiget; & meritis stat bene fulta suis.

Non

Non eſt forma bonum fragile, & quod conterat ætas,
    Iſtud ſi Virtus condiat una bonum.
Ergo, ſive parat nolana per oppida greſſus,
    Sive jugum flammis (*a*) nobile tuta videt,
Seu potius tumidi cuſtodit pignora ventris,
    Feſtinatque nova prole beare domum,
Illam, Fuſce, meis verbis ſalvere jubeto;
    Quæ magis ut placeant, ſi vacat, adde tua.
Adde etiam, violas quod non laudare propinquas,
    Sed quæ romana ſunt regione, velit.
Nam quamvis fulmen tarpeja fulguret arce,
    Turbidus & rhæto milite Tibris eat;
Non hoſtes erimus, nec ſæva movebimus arma:
    Eveniat Scythiæ gentibus iſte furor.
Nos Pax alma juvet, puerique Cupidinis arcus,
    Et juvet æterna cingere fronde comas.
Vive, vale; &, juſtas quæ neſcit, epiſtola, metas,
    Pallentis fiat penula longa croci.

ELE-

(*a*) Veſuvium.

ELEGIA

MARIÆ ANTONIÆ (a)

NEPTI SUAVISSIMÆ

LUDOVICUS SERGARDIUS S. P. D.

UT tetigit noſtrum genialis epiſtola limen,
Sponte ſua clauſæ diſſiluere fores.
Non famuli occurrunt, cortinaque nulla moratur,
Protinus in noſtras quin volet illa manus.
Forte ego tunc æqua penſabam lance nocentes,
Atque in plectendo crimine totus eram:
Attamen hetruſca miſſas regione tabellas
Pandere ſollicito pollice juſſit amor.
Juſſit amor patriæ; nec me ſpes vana fefellit;
Namque erat a ſtilo cera notata tuo.
Quas charites! quales vidi legique lepores!
Quam fuit aoniis humida charta vadis!
Omnis enim ſanctas redolebat ſyllaba muſas;
Intonſique dei multus ubique calor.

Si

(a) Sororis filiæ, quæ genere erat Biazzarinia-Tondia, *Bizzarini-Tondi*.

Si me peligno (*a*) possem componere Vati,
 Altera tu nobis pulchra Corinna fores.
Quin etiam numerum digna es augere sororum,
 Quæ tangunt miris fila beata modis.
O utinam solita redimirem tempora lauru,
 Atque animo virtus, quæ fuit ante, foret.
Non te natali paterer clarescere terra,
 Et solas patriæ vincere laude nurus.
Splendida trans Alpes ferret te fama; tuumque
 Ultra tyrrhenas nomen abiret aquas.
Sed quia difficiles veniunt ad plectra camoenæ,
 Nec facit ad curas blanda cicuta meas,
Vulgares calathos nec dedignare coronam,
 Quam meus ex humili gramine nectit amor.
Hoc tamen haud pudeat serto vincire capillos;
 Et (*b*) Patrui donis perge superba tui.
Multæ, crede mihi, nostra de fronde puellæ
 Errantes cupiunt implicuisse comas;
Nullaque tam rigidas imitatur casta sabinas,
 Quæ pensum citharæ non velit esse meæ.
Sed mihi rara placet tiberino in littore nympha:
 Hinc est quod nimia rusticitate notor.

Nam

(*a*) Ovidio. (*b*) Vere erat avunculus.

Nam me lafcivæ non pellicit aura juventæ,
Nec qui fœmineo ftat brevis ore color.
Non fequor umbellas, volucres, gracilefque figuras,
Quas cultu exotico finica pingit acus;
Nec ftola blanditur, longo nec fyrmate palla,
Quæque hæret fputo ferica mufca cuti.
Una oculos implet, quæ de Virtute, venuftas,
Crefcit, & a docto forma lepore venit.
Flofculus eft, nitida quæ fulget, gratia, fronte;
Sæpius & tacito labitur ille pede.
Nec ridere diu poffunt duo fidera ocelli,
Quæ fluxa accendit lampade ftultus amor.
Sola manet Virtus æternæ filia mentis:
Non ævum celerem non timet illa rogum;
Quin fuper attritis graditur rediviva fepulcris,
Contingit quoties ipfa fepulcra mori.
Hanc igitur foveas: hæc fit tibi carior auro:
Hæc ornet vultus mitra batava tuos.
Caftigent aliæ fpeculo fub judice crines,
Ferre quibus leges gallica pupa folet,
Et faciem laudet nuribus ceruffa latinis,
Qua graditur pictis plaftica Roma genis,
Tu cole mufarum cœtus, ebenumque fonorum
Non pigeat crebra follicitare manu.

Sic

Sic inter thuſcas ibis pulcherrima matres:
Sic poteris Patruo vivere digna tuo.
Vive diu, & tenues, quos educat Arbia, flores
Miretur Tiberis flavus, & invideat.

Romæ VI. cal. maj. 1710.

AD TRIUMPHANTEM VIRGINEM

Ut porticum nuper ad Camulliæ portam Senis erectam inviſat. (*a*)

O D E.

ECquo ſuperbo lucis anhelitu,
Juditha noſtræ pulchra Bethuliæ,
Te raptat Æthon, & beato
Pondere ſiderum fatigas
Sub axe callem? Te viduæ vocant
Baſes, & altæ numina porticus
Votis morantur, pervicaci
Qua pietas potior metallo

Ex-

(1) Eam porticum picturis ſua ipſe manu ornavit *Sergardius*, ut bina pulcherrima arte Virgini Deiparæ honorem tribueret.

Excivit arcum; nec latiis minor
Pendet triumphis. Hic tibi mœnia,
Calcemque ditavi liquore,
Et nitidos ſine luce pinxi
In nube cives. Non ego achaicis
Venator oris turpe acidaliæ
Lini jubar formæ; mihi nec
Aſſyrio pretioſa ſucco
Fluxere conchis uda corallia:
Sed penna Amoris pro calamo fuit,
Dum molle cæmentum fatigat
Dextra tui ſtudioſa vultus.
Quod ſi loquacem cedat arundinem
Zeuxis precanti, Virgine parietem
Implere geſtit mentis ardor,
Nobilis invidiæ trophæum
Facturus almæ Solis (a) adoreæ.
Videtis? Io. Viva coloribus
Imago connivet, voluptas
Empirei, archetypuſque cœli.

 Ut

(a) Hor. 4. od. 4. 41. *qui primus alma riſit adorea.*

Ut frontis ignes, ut trepidant ſinus,
 Fœcunda puro lacte coagula,
  Natantque vivaci labella
   Murice ſidonioque fuco!
Frænat nivalis tortile carbaſus
 Aurum comarum: riſus eteſias
  Propinat auras; & ſabæum
   Ore olet arabicumque rorem.
Feſtiva plenis Arbia fluctibus
 Cryſtalla lymphæ devovet ad pedem;
  Muſcoque nativo corollas
   Crinibus expediunt Napææ.
Murus Patronæ o bibat indolem;
 Avara ſervent mœnia lineas;
  Notique brumales adorent
   Virginei monumenta vultus.

SE-

SERENISSIMO FRANCISCO MARIÆ
AB HETRURIA
ODE

VIdetis? Io, Roſcida margine
Gemmante Nymphas provocat Arbia,
Ripiſque delibat ſonora
Oſcula, luxuriante fluctu.
Non illa fronti munera theſſali
Veris maritat; non leve arundine
Captivat electrum comarum,
Aut patrio reſupina muſco
Indulget urnæ. Rumpite pauperis
Amica arenæ rumpite vincula,
Exclamant undæ: nos ſilentes
MEDICEI jubet aura vultus
Criſpare fontes. Anxia pectore
Timore dulci gaudia palpitant.
Adoro Regnantis decorum
Heſperiæ taciturna votum.

Fulgor ferena prodigus indole
Adulta fpirat femina gloriæ,
Hyblæque mendicant volucres
Mella tuo generofa labro.
Cognata gaudet fidera Juppiter
Jubarque avita fede domefticum
Cinxiffe, frontem & puriori
Luce tuo radiare crine.
Quod fi latentem me quoque gurgite
PRINCEPS, beato lumine tingeres,
Ganges nitenti dives unda
Attonito minor iret auro;
Tagufque fulvo lætus ab alveo
Noftro refufus flumine curreret;
Cenfumque deferrem liquentem
Oceano invidiofa patri.

IN

IN TRES CATULOS RECENTER NATOS DELICIÁS EMINENTISSIMI PRINCIPIS

EPIGRAMMA

TErgeminos, uteri maturo pondere, natos
Enixa eſt pleno fœta catella ſinu.
Horruit ad partus Lucina, atrumque paludis
Cuſtodem ſtygiæ credidit eſſe canem.
Sed gaviſa fuit, dum, quæ fera monſtra putabat,
Jam fieri cernit delicias Domini.
Niliaci hic, inquit, vincet miracula Anubis;
Cum vita excedet, ſirius alter erit.
Tertia vilis erat ſine nomine bellua cultus;
Nullaque reſtabat ſtella vel ara feris.
Utque forent pariles, tu, dixit, deſpice cælum,
Et tu memphiticæ thura profana manus.
Omnes una fovet vos Purpura. Vincit honores
Hoc phariæ gentis, vincit & aſtra poli.

AD CLEOPHEM
DE OBITU ZONGHINÆ CATELLÆ
EPIGRAMMA

Adriaci Venus alma freti, quam ſuſpicit Ancon,
  Qua nondum viſa Tibris amore calet,
Da mihi Zonghinæ conſpergere floribus urnam,
  Et tecum mœſtas imbre rigare genas.
Delicias luſuſque breves rapuere ſororum
  Decreta, & fragilis ſtamina pulla coli.
Quem non fata manent longæque oblivia noctis,
  Si periit Dominæ blanda catella ſinu?
Plaude tamen: gemino nam ridet ſirius aſtro;
  Et nova ſunt lacrymis ſidera nata tuis.

AD

AD SANCTISSIMUM CLEMENTEM XI.

CUM AULAM, CANCELLARIÆ APOSTOLICÆ

Reparatam regioque cultu ornatam inviſeret

EPIGRAMMA

AUla Palatinis hæc eſt non ædibus impar,
Cui facies longo decolor ante ſitu.
Aſpice barbarico laquearia culta metallo,
Quæ mors intranti pendula nuper erant:
Et ſi de lybico non creſcunt pulpita dente,
Nobile materiem vincere gaudet opus.
Jam non antiquos ſubtilis aranea muros,
Dædala ſed vivo dextra colore linit.
Implet utrumque latus PRINCEPS, parieſque ſuperbit
Imbutus DOMINI facta referre ſui.
Porticus, Hoſpitium, Statuæ, Navalia, Thermæ,
Adſunt, & vero reddita Templa DEO.
Sparſa quid in tota petimus miracula Roma?
Omnis in hac Aula Roma coacta nitet.
Sed Romam atque Aulam, viſo TE PRÆSIDE Mundi,
Deſpiciam: vultu miror utramque tuo.

AD UNA DAMA
QUARTINE

OR che ſo che di Febo amica ſiete,
E che talor preſſo il caſtalio fonte
Colle nove Sorelle ornar la fronte
Di lauro eterno e di bei fior ſolete,
Laſcio la rozza penna, e prendo anch'io
A trattar con la deſtra il cavo legno.
Già ſento che dà moto al pigro ingegno
Con la ſua face il faretrato iddio.
Non ſdegnate gradir queſt'atto umlle
D'un ch'adora di voi la miglior parte;
E ſe vi ſcrivo ſenza ſtudio od arte,
E' proprio il compatir d'alma gentile.
Da che mirai alla fredd'urna appreſſo
La vita mia, e fra quell'ombre il ſole,
Si gelar ſulle labbra le parole,
E circondommi il crine atro cipreſſo.
Ah! non poſſo aſpettar che iniqua ſorte,
Se nella tomba è nato il foco mio:
Io non ſo ſe m'uccida il cieco dio,
O ſe mi faccia innamorar la morte.

So-

So ben ch'ambo son ciechi, ed ambo han l'ali:
Morte vibra la falce, Amor la face;
Questo è nato a turbar de i cor la pace;
E quella a funestar l'aure vitali.
Or io che sono per bersaglio eletto
Di questi numi, se pur numi sono,
Non so la lingua scior che in mesto suono,
Per dar ristoro al tormentato petto.
Ma se fortuna un dì m'apre le soglie
Del bel giardino che sospiro in vano,
La cetra toccherò con dotta mano,
Cangiando in gioja le passate doglie.
O se potesse con ingordo labro
Qual ape iblea andar baciando i fiori
Or della fronte ne' vivaci avorj,
Or della bocca nel gentil cinabro!
Di dolci note e di soavi accenti
Sparse foran le carte, ed ebro il core.
Ma chi prova degli astri il rio tenore
Speri sol di sposare i suoi tormenti.
Dunque voi del mio mal cagion primiera,
Cara cagione di bramate pene,
Se volete che tragga ore serene,
Vi prego ad ammollir la bella fiera;

 O al-

O almen verſate ſull'acerba piaga
  Corteſe inchioſtro con pietoſe note:
  Che ſe del tutto riſanar non puote,
  Della voſtra pietà l'alma s'appaga.

SOPRA LA PERDITA
DI UN OROLOGIO
QUARTINE

CHi ritrovato aveſſe un orologio
  Lo porti al Sagreſtan di Campitelli.
  Queſto è fatto in Ginevra, ed è di quelli,
  Che fabbricati fur da Frate Ambrogio.
Veduto non fu mai più bel lavoro,
  Bench' opra ſia d'oltramontano ingegno;
  Il pendolo vi fe di nuovo ordegno
  E la cuſtodia bullettata d' oro.
Scudi val ventiquattro di moneta,
  Che sborſati non fur dal Compratore,
  Chi di voi ne ſa niente, o mie Signore,
  Star non ſi voglia taciturna e cheta;

Ma

Ma lo faccia sapere in Refettorio,
Lo dica alle Novizie, e alle Converse;
Od a quel Santo delle cose perse
Reciti in caritade il Responsorio.
Povero Padre, che del cielo estivo
Sol per servire a voi sprezzò l' arsura!
E qual iniqua mai strana sciagura
Lo fa partir del suo pendolo privo?
Che dirà la Sibilla Tiburtina
Nel vederlo tornar da' sette Colli
Con gli occhi di dolor bagnati e molli,
Pensoso in fronte e colla faccia china?
Che dirà l' Aniene, che con l' onde
Dell' Estense giardino irriga i fiori;
Penso che verserà nuovi liquori
Dalle pupille a funestar le sponde.
Basta, Signore mie, la robba altrui
Spesso si perde entro cotesto loco;
Ed una volta anch' io, nè già di poco,
Per mio fatal destin, preso ci fui.
Anzi se 'l Padre comparar desia
Co' discapiti miei le sue sventure,
Vinto dalla ragione ei dirà pure,
Che perdita maggior fosse la mia.

Egli ha ſmarrito una dorata moſtra,
  In cui partite ſi vedevan l'ore;
  E a me fu tolto di naſcoſto il core,
  In cui racchiuſa ſta la vita noſtra.
Eſſo il tempo ha perduto, ed io la vita:
  Ei contar più non puote ore o momenti;
  Ed io trafitto da' be' lumi ardenti
  La morte veggio nella mia ferita.
Felice Padre, che del tempo a ſcherno
  Senza tempo vivrà giorni immortali;
  Ne può mai paventar l'ore fatali:
  Che dove non è tempo ivi è l'eterno.
Ma sfortunato me, che cieco fei
  La perdita maggior ch'uom far poteſſe:
  Perdei ragion con libertade, e in eſſe
  S'eſtinſe il fior de' più begli anni miei.
Eppur non è così fuor di ragione
  Il comparare un orologio al core,
  Che quel del Padre ſia danno minore,
  Se far giuſto vorremo il paragone.
L'orologio dimoſtra in ſe diſtinto
  Del tempo ogni minuto, e lo divide;
  E 'l cor tramanda con ſembianze fide
  Sopra la fronte ogni penſier dipinto.

Com-

Composto è quel d'artificiose rote,
Che non vedute fan girar la mole;
E questo ha in se, come ogni saggio vuole,
Cartilagini, vene, e fibre ignote.
D'aver la chiave all'orologio è dato,
Che fabbricata fu sopra l'incude;
E quella, che 'l mio core or apre or chiude,
Stà ne' begli occhi dell'oggetto amato.
L'orologio lo guida una catena
Di fino acciar con replicati anelli;
E 'l cuor lo tiene con i suoi capelli
Schiavo Serpilla, e dove vuol lo mena.
In somma eguali siamo il Padre, ed io:
Ma egli vorrebbe i ventiquattro scudi;
Ed io vorrei che men spietati e crudi
Li strali avesse il faretrato iddio.
Onde ambedue vi prego a far contenti.
Mandi l'Altieri a quello i suoi denari;
E di Filli ver me non siano avari
Gli occhi nel raddolcir gli aspri tormenti.
E così il tempo non avrà perduto
Nel venire da voi il Gesuita;
Ed io per grazia vostra avrò la vita,
Se di Filli mi giunge un sol saluto.

PER

PER LA MORTE
DI UNA CAGNOLETTA DI CLORI

I

MADRIGALE

NOn far più forza al cielo,
O vaghissima Clori,
Asciugandoti gli occhi col bel velo.
Se fra' letali orrori
Giace la cara tua dolce Frafchetta,
Amor l'uccise, e fu giusta vendetta:
Che non era ragion del tuo bel core
Amar vezzosa belva,
Ed esser poi di gelo al nostro ardore.

II

SONETTO

BElla fera gentil, che già di Clori
Fosti l'amore, ed ora il pianto sei,
Sovra rogo fatal soffrir ben dei
Per man del nudo Arcier gli ultimi ardori.

Forse t'accese infra i notturni orrori
Audace brama nel bel sen di lei
Di farti eguale a Sirio, e fra gli dei
Girne superba per novelli onori?

Ma se fuor dell'usato umil costume
Ornar di stelle la tua spoglia frale
Bramavi, e sopra il ciel spiegar le piume,

I begli occhi di quella, che mortale
Sol pare al vulgo, col suo vivo lume
Potevano quaggiù farti immortale.

III

MADRIGALE

Piangete Amori, e con voi pianga Venere.
Di frefchi e vaghi fiori
Tolti al volto di Clori
Spargete di Frafchetta il freddo cenere.
Fiero crudel deftino! Ah no: che appena
Molle di sì bel pianto
Giunfe di Stige alla fatale arena,
Che Cerbero cuftode
La pofe al varco, e la fe fcorta e guida
D'ogni fpirto gentil, d'ogni alma amante,
Che all'elifia magiòn volga le piante.

A CLO-

A CLORI
SOPRA IL PENSIERO
SONETTO

L'Amoroso penfier, che in te fovente
Vola a goder quel ben che l'alme accende,
Tanto piacer ne'tuoi begli occhi prende,
Che tardi riede nell' afflitta mente.

E fe talor ritorna, egro e dolente,
Per narrar ciò che vide, al cor difcende;
E con parlar, che fol fra lor s'intende,
Aggiunge al foco antico ardor cocente.

Quindi fi lagna col penfiero il core;
E dice: a che non ftar preffo a quel vifo,
Dove il nido han le Grazie, e 'l trono Amore?

S'ivi tu godi, e fe da lui divifo
Ritorni a me per rinovar l'ardore,
Rimanti pur colà per fempre affiffo.

Tu

SONETTO

TU parti, o caro, e fra le nubi avvolto
Già s' ecclissa per me del giorno il lume;
Poichè Febo solea per suo costume
La luce mendicar dal tuo bel volto.

Nè mi cale il morir: lo spirto sciolto
Già s' accinge a varcar di Lete il fiume:
Ma che debba lasciare il suo bel nume
E' più che andar tra le fredd' ombre accolto.

Quando dal corpo suo dolce conforte
L' alma si scioglie, e verso il ciel ne vola,
E' crudo affanno, è fier dolore, è morte.

Or che fia s'al mio core il cor s' invola,
Se due alme divide iniqua sorte,
Anzi se in due si parte un'alma sola?

SONETTO

FAbbro divin, che con eterna mano
Disegnasti dell'uom l'alta struttura,
Di loto vile e d' una scorza impura
Perchè poi circondar lo spirto umano?

Se al primo incrudelir d'austro inumano
Si scioglie in polve, e poco tempo dura,
Mal somiglia il Fattor la sua fattura;
Nè pari è l'opra al braccio tuo sovrano.

Ma tu, Signor, di spoglia frale intorno
Cingesti con ragion l'opra novella,
Acciò sdegnasse questo umil soggiorno.

Che l'alme nostre alla nativa stella,
Donde partiro, non farian ritorno,
Se la prigion quaggiù fosse più bella.

SONETTO

CEtre non più, non più fiato canoro
Intorno al funeral d'un Dio che more;
Ma fgorghi in rio d'amaro fangue il core,
E porga vita al duol l'altrui martoro.

Preffo al tronco fatal cangiar fra loro
L'armi crude vegg'io Morte, ed Amore:
Cinge quefti il bel crin d'atro pallore;
Quella ful tergo ha la faretra d'oro.

Cambio d'armi crudele, e patto rio
Tra' due nemici della forte umana!
Or che più contra voi fperar pofs'io?

Ma folle è il mio dolor, la tema è vana:
Se colla falce Amore uccide un Dio,
Con lo ftrale d'Amor Morte ci fana.

EXPLICIT FELICITER VOL. III.

ERRATA CORRIGE.

In argum. ſchol. enarrat.

		ERRATA	CORRIGE
pag. 34. *ſchol.* 299.	lin. 9.	elegantiſſimum	elegantiſſimum
39. *ſchol.* 336.	2.	deridend	deridendi
ibid.	6.	ſatvra	ſatyra
ibid.	9.	carnem	carmen
57. *enarr.* . .	6.	*Nò*	*No*
64. *ſchol.* . . .	18.	51 *Tityum*	52 *Tityum*
ibid. *ſchol.* 52.	5.	ſeruntur	feruntur
72. *ſchol.* 122.	2.	amimos	animos
135. *enarr.* 248.	14.	*Bayſium*	*Baiſium*
139. *enarr.* 349.	l. penul.	*intermiſſi*	*intermiſi*
160. *ſchol.* 68.	32.	mitteret:	mitteret,
182. *ſchol.* 265.	2.	forma	formæ
193. *ſchol.* 368.	6.	alternm	alterum
195. *ſchol.* 387.	4.	fui	ſui
245. *ſchol.* 92.	2.	Ciceronem	Ciceronis
246. *ſchol.* 97.	3.	feligit	ſeligit
276. *ſchol.* 346.	10.	nis	his
297. *enarr.* 220.	2.	ſciat	ſciant
302. *enarr.* 357.	12.	*meditetur*	*meditentur*
306. *argum.*	21.	*primum typis mandatam*	— *primum typis inter ſatyras mandatam.*
308. *ſchol.* 14.	4.	tres Viri	quatuor Viri
352. *ſchol.* 382.	13.	ſeripti	ſcripti
357. *enarr.* 1.	1.	*Ilalia*	*I Italia*
358. *enarr.*	4.	*vigeret*	*vigere*
360. *enarr.* 14.	2.	trium	quatuor
361. *enarr.* 93.	1.	*Caſtilionii*	*Caſtilionii*
362. *enarr.* . . .	13.	altresì non	*altresì non*





